Ex Libris

P. GOYET,

Canon. Francopolitani.

Um 48
S62-3.489

J. rom. m. 604 i.

Fg 182-197/106

tout ce petit recueil se trouve dans
le Trésor des Antiquités romaines Tom. 8
depuis la page 1008, mais sans la Table
qui est dans cette petite édition

Bayerische
Staatsbibliothek
München



De veteri ritu

NVPTIARVM

& jure

CONNUBIORUM:

Barnabas Brissonius,

Antonius Franciscus } Hotmanus.

Amstelodami,

Apud PETRVM le GRAND.

cIↃ IↃC LXII.

SOC. JESU

AD LECTOREM.

HAbes hic, benigne Lector, Nuptiarum omnia, quæ quidem ex veterum ſcriptis erui atque obſervari potuere, ſacra atque ſolennia: florido Briſſonii ſtylo, Hotmanorumque conſignata. Quem libellum cum jam diu deſiderari, ob ejuſque præſtantiam utilitatemque requiri, atque à quam plurimis expeti cerneremus; digniſſimum profecto, qui à nobis recuderetur, judicavimus. Ceterum fœde corruptum depravatumque exſtitiſſe eum hactenus, non ignari; ea nobis cura curæ præcipue fuit, ut, ſi non in totum emaculatus, (quis namque Augiæ ſtabulum hoc, niſi Hèrcules quiſpiam ſemel ſimulque expurgare potuiſſet?) multo tamen, quam ante, correctior nitidiorque prodiret. Veſte itaque eum nova, & quaſi Nuptiali, quæque ejus formam merito commendare poſſit, induimus; nihilque, quod ad ornatum

ejus

ejus faceret, omisimus: confusionem in eo omnem evitavimus; ac proinde auctorum quæ citantur loca, legumque allegationes, distinctis typis expressimus: innumerosque ejus nævos ac maculas, quæ ejus faciem hactenus deturparunt, sustulimus. Quod sane passim, qui conferre editiones non gravabitur, deprehendet. Adeoque laborem hunc nostrum probis probatum iri non diffidimus. Tu fruere sis, Lector, & vale.

B. BRIS-

B. BRISSONII, I.C.

Et in ſuprema Pariſienſi

CVRIA PRÆSIDIS,

DE RITV NVPTIARVM,

Liber Singularis.

DIcturus de ritu nuptiarum, pauca de ſponſalibus, quæ earum celebritatem antecedunt, præfabor. Fuit autem hoc in more priſcis temporibus poſitum, ut qui uxorem ducturus eſſet, ab eo unde ducenda erat, eam in matrimonium datum iri ſtipularetur: idque qui nuptum daturus erat, ſponderet: qui contractus ſtipulationum ſponſionumque, dicebatur ſponſalia. Hoc Servium Sulpicium *in libro de dotibus*, Neratium Priſcum *in libro de nuptiis*, tradidiſſe, Gellius ſcriptum reliquit *a*. Quibus Ulpianus & Florentinus conſentiunt, *b* qui ſponſalia quoque à ſpondendo dicta, & ſponſi ſponſæque appellationem inde ductam credunt, quod veteribus ſtipulari & ſponde-

a lib. 4. noct. Attic. cap. 4. *b* in l. 2. & 3. D. de ſponſalib. l. ſponſ. D. de verb. ſignif.

re uxores futuras moris esset. Nec clam me est, horum nominum originem à Græco fonte Verrium Flaccum idoneum auctorem derivasse, qui, ut apud Sex. Pomp. legimus, sponsorum, & sponsarum nomen inde tractum existimabat, quod σπονδὰς interpositis rebus divinis facerent. Sed à priore harum vocum notatione qui dissentiret præter unum Verrium, præterea inveni neminem. Veteris certe moris, quo prius illud etymon nititur, multa sunt in Plauti Comœdiis non obscura impressa vestigia. Sic enim ille *in Aulularia* Megadorum ab Euclione filiam stipulantem facit:

M. *Quid nunc etiam mihi despondes filiam?*
E. *Illis legibus,*
Cum illa dote quam tibi dixi. M. *Spondesne ergo?* E. *Spondeo.*

In Trinummo quoque Lysiteles à Charmide ita stipulatur:

Sponden ergo tuam gnatam uxorem mihi?
Ch. spondeo: & mille auri Philippûm dotis.

Et paulo post:

Isthac lege filiam tuam sponden mihi uxorem dari?
Ch. *Spondeo.* Ca. *& ego spondeo idem hoc.*

Sed & *in Curculione* Phædromus ita à milite stipulatur:

Ph. *Spondesne miles mihi uxorem tuam?*
M. *spondeo.*

Inde

Inde Arnobius, *libro 4. adversus gentes*, fabulosa gentilium deorum conjugia ridens: *Vxores*, ait, *dii habent, atque in conjugalia federa conditionibus veniunt ante quæsitis: habent pactas, habent interpositis stipulationibus sponsas.* Memini etiam idem ipsum Servium grammaticum adnotare ad eum Virgilii versum, qui est lib. 10. Æneidos:

Quid soceros legere, & gremiis abducere pactas?

Nec vero à filiæ duntaxat patre nuptum datum iri, sed & à patre viri ductum iri sponsio interponebatur, si modo Donato fides accommodanda est, qui Terentii verba *ex prima Andriæ scena* ad eam rem expendit, quæ ita habent:

Hac fama impulsus Chremes
Vltro ad me venit, unicam gnatam suam
Cum dote summa filio uxorem ut daret.
Placuit: despondi: hic nuptiis dictus est dies.

Ad constituenda plane sponsalia nudus consensus sufficiebat: nec quicquam intererat utrum testatio interponeretur, an aliquis sine scriptura sponderet. Denique & absenti absens per epistolam vel internuncium recte despondebatur. *a* In tabulas tamen ut plurimum sponsalitiæ conventiones referebantur. Ex quo illud Iuvenal. *b*.

a l. sufficit. l. in sponsalibus, D, de sponsalib.
b Sat. 6. 7. & 8.

Si tibi legitimis pactam junctamque tabellis
Non es amaturus.

Tertullianus in libro de virginibus velandis: *Hæ sunt tabellæ priores naturalium sponsaliorum & nuptiarum.* Quæ tabulæ signatoriis, eorum qui interfuerant, anulis obsignabantur. Unde Juvenalis de nuptiis contrahendis agens,

Veniet, ait, *cum signatoribus auspex.*

Apulejus Apolog. 2. *Habes, Æmiliane, causam totam, cur tabulæ nuptiales inter me & Pudentillam non in oppido sint, sed in villa urbana consignatæ.*

In argumentum etiam contractorum sponsaliorum à sponso sponsæ arrhæ dabantur: quemadmodum ex Paulo *lib. 2. sententiarum*, & ex Gratiani, ac Valentiniani, aliorumque Imperatorum constitutionibus intelligimus *a*. Quin & anulus sponsæ pignoris loco mittebatur, quem *pronubum* Tertullianus *in lib. de cultu feminarum* vocat, *Aurum*, inquiens, *nulla norat præter uno digito, quem sponsus oppigneraſſet pronubo anulo.* Isidorus Hispalensis lib. 20. Etymolog. *Feminæ*, ait, *non usæ sunt anulis, nisi quos virgini sponsus miserat: neque amplius quam binos aureos in digitis habere solebant. Item* lib. 2. de divin. offic. cap. 15.

Quod

a l. si quis officium. D. de ritu nupt. l. arrhis. l. mulier. C. de sponsalib.

Quod in primis, ait, *nuptiis, anulus à ſponſo ſponſæ datur, ſit nimirum vel propter mutuæ dilectionis ſignum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur. Unde & quarto anulus digito inſeritur. Ideo quia in eo vena quædam, ut fertur, ſanguinis ad cor uſque perveniat.* Quam eandem rationem Gellius *a* & Macrob. *b* ex Appione & Atteio Capitone reddunt, cur apud Romanos communi aſſenſu receptum eſſet, anulum in digito qui minimo vicinus eſt, quem & medicinalem vocant, atque adeo manu præcipue ſiniſtra geſtare. Nicolaus quoque Pontifex ad conſultationem Bulgarorum reſcribens, ut eſt apud Gratianum, *Et poſtquam*, ait, *arrhis ſponſam ſibi ſponſus per digitum fidei anulo inſignitum deſponderit.* Sed & hunc ipſum morem, Juvenalis à me ſubjecti verſus indicant: *c*

Conventum tamen & pactum & ſponſalia noſtrâ
Tempeſtate paras, jamque à tonſore magiſtro
Pecteris, & digito pignus fortaſſe dediſti.

His à Paulo *d* relatam ſpeciem adjungamus licet, in qua ſponſum alienum anulum ſponſæ muneri miſiſſe proponit. Ferreum vero anulum, eumque ſine gemma, ſponſæ mitti

a lib. 10. c. 10. *b* lib. 7. c. 13. *c* Sat. 6.
d in l. ſi donatæ. 36. §. ult. D. de don. int. vir.

ætate ſua conſueviſſe, Plinius *lib.* 33. *Naturalis hiſtoria* auctor eſt.

Cæterum à qua ætate ſponſalia contrahi olim poterant, ex Modeſtino *lib.* 4. *differentiarum* liquet: cujus ipſamet verba ponam: a *In ſponſalibus contrahendis ætas contrahentium definita non eſt, ut in matrimoniis. Quapropter à primordio ætatis ſponſalia effici poſſunt, ſi modo id fieri ab utraque perſona intelligitur: id eſt, ſi non ſint minores quam ſeptem annorum.* Quæ verba certam nominatim ſponſalibus contrahendis præſcriptam ætatem non fuiſſe ſignificant. Quamquam quod ad legis Papiæ præmia attinet, ea demum ſponſalia probari admittique Auguſtus conſtituit, quibus biennio poſt juſtæ ac legitimæ nuptiæ accedere poſſent, ut proinde minores natu decem annorum virgines fruſtra ſponſæ haberentur. Cujus rei conſtituendæ cauſa fuit, quod ſponſaliorum obtentu, quæ ad exitum & effectum brevi perduci per ſponſarum immaturam ætatem non poterant, legi fraudem fieri animadvertiſſet. Id quod ex Dione *lib.* 54. didici, cujus hæc ſunt verba: ὡς δ' ἂν βρέφη τινὲς ἐκγυώμενοι τὰς μὲν πρὸς τῶν γεγαμηκότων ἁρπάζοιεν, τὰ δ' ἔργον αὐτῶν δὲ παρείχοντο, ἔθος ἐποίησε μηδεμίαν ἐγγύην ἰσχύειν μεθ' ἣν δὲ δυοῖν ἐτοῖν διελθόντοιν γαμήσαι τις τύχοι, δεκέτιν πάντως ἐγγυᾶσθαι τὸν γε

a l. in ſponſalibus. 14. D. de ſponſal.

γέπα ἀ'ϖ' αὐτῆς ἀπολαύσονζα. Δώδεκα ϑὲ ταῖς ϰόραις ἐς τὸν ϑ γάμυ ὥραν ἔτη πληρη, ϰαὶ τότϖξ εἶπον, νομίζε). Quorum verborum ſententiam quia nec aſſecutus eſt, nec expreſſit interpres, ego in eorum gratiam quibus Græca lingua minus innoteſcit, in Latinum ea convertam ut potero. *Quoniam autem*, ait Dio, *quidam infantes puellas deſpondentes, præmiis quidem conjugum fruebantur, ceterum effectum rei, & conjugum opus non præſtabant, ea ſponſalia vires nullas habere conſtituit, poſtquæ duobus tranſactis annis ſponſa duci minime poſſet: Hoc eſt, ut omnino decennis virgo deſponderetur, ſi quidem ex ea commodi quid capere ſponſus vellet. Duodecimo namque anno virgo matura viro & nubilis, ut jam ante dixi, exiſtimatur.* Quam eandem Auguſti conſtitutionem Zonaras totidem prope verbis retulit, quæ ſunt ab ejus interprete, ne quem debita laude fraudem, fidelius, ac planiùs quam ab illo altero, viro alioquin erudito, ac bene de Græcis merito, reddita. Atque hoc nimirum eſt, quod breviter ac ſtrictim, more ſuo, Tranquillus in ejuſdem Principis vita ſcribit his verbis: a *Cumque etiam immaturitate ſponſarum, & matrimoniorum crebra mutatione vim legis eludi ſentiret, tempus ſponſas habendi coarctavit.* Quo procul dubio pertinet Caii *b* locus quem *ex ejus lib.* 1. *ad l.*

a cap. 34. b l. pen. D. de ſponſalib.

Iuliam & Papiam Pandectarum concinnatores delibarunt. In eo ita est: *Sæpe justa ac necessaria causa non solum annum vel biennium, sed etiam triennium aut quadriennium & ulterius trahunt sponsalia : veluti valetudo sponsi sponsæve, vel mortes parentum, aut capitalia crimina, aut longiores peregrinationes quæ ex necessitate fiunt.* Itaque à septimo anno utiliter quidem contrahi sponsalia potuisse, non dubium est : verum eorum demum sponsaliorum nomine quæ cum virginibus decem ad minus annos natis contraherentur, ex lege Papia, commodi lucrive quid percipi poterat.

Hæc de sponsalibus, quæ viam ad explicanda nuptiarum solennia muniant, breviter prædicenda censui. Sponsalibus factis, consequens erat nuptiis diem dici. Nec vero temere & è re nata, ac quolibet, prout incidisset, die nubebant: sed in ea re non levem mensium, temporum ac dierum delectum habebant. Novarum certe Calendarum posteros omnes dies à nuptiis habitos alienos, Sex. Pomp. *libro.* 12. scribit. Mensis item Maius, quemadmodum Plutarchus ἐν Αἰτίοις testatur, nuptiis infaustus & inauspicatus existimabatur. Ex quo illud olim vulgi sermone tritum proverbium : *mense Maio nubunt malæ.* Ovidius lib. 5. Fastor.

Nec vidua tædis eadem, nec virginis aptæ

Tem-

Tempora, quæ nupſit, nec diuturna fuit.
Hac quoque de cauſa, ſi te proverbia tangunt,
Menſe malas Maio nubere vulgus ait.

Dies etiam alios qui nuptiis contrahendis vitabantur Macrobius *lib.* 1. *c.* 15. recenſet: cujus ipſamet verba ſubjicere ſatius fuerit: *Nec hoc prætermiſerim*, ait, *quod nuptiis copulandis Calendas, Nonas & Idus religioſas, id eſt, devitandas cenſuerunt. Hi enim dies præter Nonas feriati ſunt: feriis autem vim cuique fieri piaculare eſt. Ideo tunc vitantur nuptiæ, in quibus fieri vis virginibus videtur. Sed Verrium Flaccum juris Pontificii peritiſſimum dicere ſolitum refert Varro, quia feriis tergere veteres foſſas liceret, novas facere jus non eſſet, ideo magis viduis quam virginibus idoneas eſſe ferias ad nubendum. Subjiciet aliquis: Cur ergo Nonis, ſi feriatus dies non eſt, prohibetur celebritas nuptiarum? Hujus quoque rei in aperto cauſa eſt. Nam primus nuptiarum dies verecundiæ datur: poſtridie autem, nuptam in domo viri, dominium incipere oportet adipiſci, & rem divinam facere. Omnes autem poſtriduani dies, ſeu poſt Calendas ſeu poſt Nonas Idusve, ex æquo atri ſunt. Ideo & Nonas inhabiles nuptiis eſſe dixerunt, ne nupta aut poſtero die auſpicaretur libertatem uxoriam, aut atro immolaret, quo nefas eſt ſacra celebrari.* Idem etiam auctor c. 16. ejuſdem libri ex Varrone, *Mundus*, ait, *cum patet, deorum*

deorum triſtium atque inferum quaſi janua patet. Propterea non modo prælium committi, verum etiam delectum rei militaris cauſa habere, ac militem proficiſci, navem ſolvere, uxorem liberum quærendorum cauſa ducere, religioſum eſt. Parentalibus quoque, quæ menſe Februario celebrabantur, conjugium propter infauſtos & ominoſos ejuſmodi dies vitandum eſſe, Ovidius *libro 2. Faſtorum* præcipit his verſibus:

Poſtea prateriti tumulis redduntur honores,
Prodigiiſque venit funeribuſque modus.
Dum tamen hæc fiunt, vidua ceſſate puellæ,
Expectet puros pinea tæda dies.
Nec tibi, qua cupida matura videbere matri,
Comat virgineas haſta recurva comas.
Conde tuas hymenæe faces, & ab ignibus atris
Aufer, habent alias mœſta ſepulchra faces.

Pomponii tamen nuptias pridie Idus Februar. celebratas, Cicero *lib. 2. Epiſt. ad Q. frat. Epiſt. 2.* indicat. Sed & Saliorum diebus feſtis, abſtinendum nuptiis, idem Ovidius ſuadet lib. 3. Faſtor.

Nubere, ait, *ſi qua volet, quamvis properabitis ambo,*
Differ; habent parvæ commoda magna moræ.

Contra conjugio aptiſſimum eſſe id tempus quod Idus Iunias ſequitur, oſtendit *lib. 6.* quo loco filiæ diuturnam ſalutem precatus, ita concludit:

Hanc

Hanc ego cum vellem genero dare, tempora tædis
Apta requirebam, quæque cavenda forent.
Tunc mihi post longas monstratur Iunius idus,
Vtilis & nuptis, utilis esse viris.
Primaque pars hujus thalamis aliena reperta est.
Nam mihi sic conjunx sancta, dialis ait.

Atque ad hunc superstitiosum dierum nuptialium delectum referenda suspicor hæc Ciceronis *ex lib. 2. Epist. ad Q. fatrem* verba: *De nostra Tullia, tui me hercule amantissima, spero cum Crassipede nos confecisse. Dies erant duo qui post Latinas habentur religiosi. Ceterum confectum est.*

Jam ubi nuptiis dictus dies venerat, maxima circa comendam ornandamque sponsam cura impendebatur. Quod priusquam exponam, recte atque ordine facturum me puto, si usurpatas ab antiquis matrimoniorum contrahendorum formas aperiam. Tribus autem generibus uxores quæsitas invenio: usu, farre, coëmtione. Arnobius lib. 4. adversus gentes: *Vxores enim ii habent, atque in conjugalia fedora veniunt conditionibus ante quæsitis: usu, farre, & coëmtione genialis lectuli sacramenta conducunt.* At Cicero *in Topicis* duo tantum uxorum genera facit: *Si ita*, inquit, *Fabiæ pecunia legata est à viro, si ea uxor materfa. esset, si in ma-*

num viri non convenerat, nihil debetur. Genus est enim uxor: ejus duæ formæ: una matrumfamiliarum; hæ sunt quæ in manum convenerunt: altera earum, quæ tantummodo uxores habentur. Sed enim discidium hoc facile Ulpiani interventu componitur: qui in manum tam farre quam coëmtione conveniri *in Institutionum fragmentis* docet. Itaque Boëthius ad illum Ciceronis locum, totidem quot Arnobius uxorum quærendarum modos constituit. Et confarreationem quidem solis Pontificibus convenisse scribit. Tametsi à primo urbis ortu id ritus genus institutum, omnibusque peræque nuptiis far interveniſſe, Dionysius Halicarnasseus indicare videtur, cum ita scribit: ἀ ἐκάλυν πε τὰς ἱερὰς οἱ παλαιοὶ γάμυς ῥωμαϊκῇ ἀφορμείῳ φελλαμβάνοντες φαῤῥάκια, ἐπὶ τ κοινωνίας τ φάῤῥ, ὃ καλῶμεν ἡμεῖς ζέαν. Idem subjicit, non nuptiis modo sed & sacrificiis omnibus far à priscis Latinis adhibitum. Quod & Arnobius *lib.* 2: *adversus gentes* testatur: *Tus*, ait, *neque ipse Romulus, aut religionibus artifex in commiscendis Numa, aut esse scivit aut nasci: ut pium far monstrat, quo peragi mos fuit sacrificiorum solennium munia.* Ovidius lib. 1. Fastor.

Ante deos homini quod conciliare valeret
Far erat, & puri lucida mica salis.

Nondum

a lib. 1. Antiquit.

Nondum pertulerat lachrymatas cortice myrrhas
Acta per æquoreas hospita navis aquas.
Tura nec Euphrates, nec miserat India costum,
Nec fuerant rubri cognita fila croci.

Asconius in 3. contra Verrem oratione: *Nefarium est, quod sacra polluit, farre pio solita celebrari.* Incruenta quippe, & à sanguine pura, prisca sacrificia ex Numæ instituto erant, atque ut Plutarchus loquitur, ἀναίμακτοι αὗται πολλαὶ δ' ἀλφίτῳ καὶ οἴνῳ καὶ ὀπτοῖς λιβανώτου θυμιάμασιν. Quinetiam inter ejus instituta idem auctor hoc refert: μὴ θύειν ἄνευ ἀλφίτων. Valer. Max. *lib.* 2: *Memorabil. cap.* 1. de priscis Romanis agens: *Erant adeo continentiæ attenti, ut frequentior apud eos pultis usus, quam panis esset. Ideoque in sacrificiis Mola, qua vocabatur, ex farre & sale constat.* Mola quippe secundum Sexti Pomp. interpretationem nihil aliud erat, quam far tostum & sale aspersum. & quod eo molito hostiæ aspergerentur, inde Molæ nomen invenit. Virgilius lib. 2. Æneid.

Et salsa fruges, & circum tempora vittæ.

Ubi Servius, *Salsa fruges*, ait, *sal & far, quod dicitur Mola salsa: qua & frons victimæ & foci aspergebantur, & cultri.* Fit autem de horna fruge, & horno sale. Ut Horatius: *Et horna fruge.* Quæ Horati iverba habentur *lib.* 3. *Carmin.*

Od. 23. Ex quo eodem loco duos itidem verſus proferam. in quibus ita eſt:

Mollibit averſos penates
Farre pio, & ſaliente mica.

Quo genere loquendi etiam Tibullus utitur, Elegia 4. lib. 3.

Et vanum, ait, *metuens hominum genus*,
omina (ſic enim lego) *noctis*,
Farre pio placant, & ſaliente ſale.

Similimodo Ovidius lib. 4. Faſtor.

Farra dea, micaque licet ſalientis honorem
Detis, & in veteres turea grana focos.

At Virgilius, non *in ſecundo* duntaxat *Æneid.* unde paulo ante verſum retuli, ſed & *lib.* 12. fruges falſas dixit:

Dant fruges, inquit, *manibus ſalſas.*

Quod Servius interpretatur, *far & ſal: quibus rebus*, ait, *& cultri aſpergebantur & victimæ.* Quo exemplo, Arnobius, lib. 3. adverſus gentes, *Niſi tura*, inquit, *& ſalſas fruges dii acceperint, nequeunt bene facere.* Idem lib. 6. *Non tura, neque fruges ſalſas, non denique vinum liquens paterarum effuſionibus inferamus.* Eaque de cauſa Mola, ſalſa dicebatur. Horat. lib. 2. Sat. 3.

Ante aras, ſpargiſque mola caput, improbe, ſalſa.

Et Martialis alicubi:

Comſumſi ſalſaſque molas, & turis acervos:

Ovidius farra mixta ſale dixit *lib.* 1. *Faſtor.* in his verſibus:

Inde

Inde vocor Ianus, cui cum Cereale ſacerdos
Imponit libum, farraque mixta ſale.

Far plane genus eſſe frumenti optimi, Servius *in lib.* 1. *Georg.* adnotat. Ceterum, ut Latini; farreas Molas, ita Græci κεφαλὰς ἁλὰς ſacrificiis ſuis adhibebant, quemadmodum eſt ab Euſtathio accurate copioſeque expoſitum *in lib.* 1. *Iliad.* qui ex Dione ἁλὰς eſſe docet, τὸ μίγμα τὸ ἐκ κεφαλῆς καὶ ἁλῶν. Meminit & Suidas *in verbo* ἁλοφυτεῖν. Quo in vocabulo mendum eſſe apud Moſchopul. *in lib.* περὶ σχεδῶν, admoneo. Ubi ὁλαὶ pro ἁλαὶ legitur. Quem errorem ipſa ſatis definitio convincit. Sic enim explicat: αἱ ἅλοι μεμιγμέναι κεφαλαὶ καὶ τοῖς θύμασιν ἐπιβαλλόμεναι. Sed ut ad propoſitum tandem aliquando redeat oratio, conſentanea his quæ de farris uſu diximus, Plinius, propius ad noſtrum argumentum accedens, *lib.* 18. *Natural. hiſtor. cap.* 3. tradit: *Quin & in ſacris*, ait, *nihil religioſius confarreationis vinculo erat: novaque nupta farreum præferebant.* Unde Apulejus lib. 10. de Aſino aur. *matrimonium confarreare* dixit. Nec verò uxorem duci olim niſi ſacrificiis peractis potuiſſe, Servius notat *in* 3. *Æneid.* ad eum verſum:

Connubiis arviſque novis operata juventus.

Inde Seneca in Octavia. Actu 4.

—— Vidit attonitus tuam
Formam Senatus, tura cum ſuperis daret,
Sacraſque

Sacraſque grato ſpargeres aras mero,
Velata ſummum flammeo tenui caput.
Et ipſe lateri junctus atque hærens tuo
Sublimis inter civium læta omina
Inceſſit, habitu atque ore lætitiam gerens
Princeps ſuperbo. Talis emerſam freto
Spumante Peleus conjugem accepit Tethin.

Valerius Flacc. lib. 8. Argonautic.

Inde ubi ſacrificas cum conjuge venit ad aras
Æſonides, unaque adeunt, pariterque precari
Incipiunt: ignem Pollux undamque jugalem
Pratulit, ut dextrum pariter vertantur in orbem.

Et mox:

Primus & ecce fero, quatioque hanc lampada veſtro
Conjugio: primus celebro dotalia ſacra.

Plane apud Hetruſcos & Priſcos Latinos in conjunctione nuptiali à novo marito & à nova nupta primum porcum immolari conſueviſſe, Varro *lib. 2. de re Ruſtic. cap. 4.* auctor eſt. Ut ut ſit, quo ritu olim confarreatio perageretur, unus Ulpianus, ac ne is plene quidem, explicat *in fragmentis Titulorum ex ejus Corpore exceptorum*, cum ita ſcribit: *Farre convenitur in manum certis verbis, & teſtibus decem præſentibus, & ſolemni ſacrificio facto, in quo panis farreus adhibetur.* Quemadmodum autem confarreatione jungebantur, ita diffarreatione conjugia dirime-

dirimebantur. Sex. Pomp. lib. 4. *Diffarreatio genus erat ſacrificii quo inter virum & mulierem fiebat diſſolutio: dicta diffarreatio, quod fieret farreo libo adhibito.* Sed omiſſam ſuo jam tempore confarreandi adſuetudinem, aut certe inter paucos retentam, Tiberius Imp. apud Cornel. Tacit. *lib.* 4. narrat.

Igitur ad alia duo matrimoniorum genera, coëmtione & uſu contracta, gradum faciamus. Prioris Cicero *in Orat. pro Murena* meminit. Concipi vero certis verbis coemtionem ſolitam, idem indicat *lib.* 1. *de Orat.* cum ait: *Nam neque illud eſt mirandum, qui quibus verbis coemtio fiat, neſciat, eundem ejus mulieris, quæ coemtionem fecerit, cauſam poſſe defendere.* De ejus certe formula totoque adeo coemtionis ritu quod proferam aliud nihil habeo, præterquam quod eſt à Boethio *lib. 2. commentarior. ad Topica Ciceron. ex Vlpiani inſtitutionibus* relatum. Boethio in ipſis lapſæ jam Latinitatis ruinis, & ut ita dicam, parietinis nato, ut & aliis ejuſdem ævi ſeculi ſcriptoribus, tantum tribuo quantum eum ex veterum libris, quibus nos injuria temporum orbati ſumus, hauſiſſe video. Nec enim ſum neſcius, eum in illis ſuis Topicorum commentariis, quorum ſex duntaxat libri ex ſeptem, quos ſe conſcripſiſſe ipſe-

met

met *lib.* 1. *de differentiis topic.* teſtatur, ad nos ſalvi pervenerunt, in craſſos ac ſupinos errores eſſe prolapſum. Quale illud eſt, quod ad explicationem ejus loci adfert, quo Cicero legem jubere ſcribit, *Aſſiduo aſſiduum vindicem eſſe.* Quod juſſum legi Æliæ Sentiæ (etenim Sanctiæ contra ejus, ut exiſtimo, mentem libri impreſſi ſcriptum habent, quando nulla ejus nominis lex in veterum monumentis, quod ſciam, exſtat) attribuit: cujus utique nec interpres eſſe Sextus Ælius, ex quo interpretationem *aſſidui* Cicero producit, potuit: ac nec ipſe Tullius ex ea lege, quæ poſt ejus demum obitum, imperante Auguſto, in aliam penitus ſententiam lata eſt, exemplum niſi fatidico ſpiritu & mentis afflatu proferre. Qui error eo pernicioſior eſt, quod ex ejus commentariis in ordinem verborum Ciceronis manavit. Etenim imperitus quidam, legis verbum, quod erat à Cicerone, de Lege 12 tabularum ſentiente, ut ex Gellio patet, *a* ſimpliciter, ſicut & alio ejuſdem libri loco *b*, prolatum, explanare volens, margini ex Boethii commentariis interpretationem vitioſam adſcripſit. quæ deinde in contextum irrepſit. Quod vitium altiſſimas deinde radices in omnibus codicibus egit. Similiter & illud apud Boethium nota

a lib. 16. noct. Attic. cap. 10. *b* in loco ex comparatione.

nota dignum est, quod maximæ capitis diminutionis exemplum à deportatione sumit: *a* qua tamen constat libertate salva solam civitatem amitti. Nam deportati quidem ἀπόλιδες fiunt & ad peregrinitatem rediguntur, ceterum libertatem naturalem, & ea omnia quæ meri sunt gentium juris, retinent. *b* Et quamvis erroris ejus Callistratus, aut forte Callistrati titulo Tribonianus, patronus advocari possit, *c* non eo tamen ab instituta accusatione desistam: in eaque subscriptores melioris notæ veteres omnes consultos habebo: qui mediæ capitis diminutioni, aquæ & ignis interdictionem & eam quæ in ejus locum successit deportationem subjiciunt. *d* Verum hæc nihil ad hujus libri institutum pertinent: ad quod ut redeam, ipsamet Boethii de coemtionis ritu verba recensebo: *Coemtio*, ait, *certis solennitatibus peragebatur: & sese in coëmendo* (perperam enim in impressis codicibus *communicando* legitur) *invicem interrogabant: vir ita, An sibi mulier materfa. esse vellet: illa respondebat, velle. item mulier interrogabat, An vir sibi paterfa. esse vellet: ille respondebat, velle. itaque mulier in viri con-*

a lib. 2. comment. in locum ab adjunctis.
b l. quidam. D. de pœnis. l. si deportati. §. 1. D. de legat. 3. l. neque. §. 1. D. de milit. test.
c l. cognitionum. §. ult. D. de var. & extraord.
d Ulpian. in fragment. Tit. 11.

conveniebat manum, & vocabantur hæ nuptiæ per coemtionem. & erat mulier materfam. viro loco filiæ. Hæc ille: quæ totidem verbis refert Servius *in lib.* 4. *Æneid.* occasione sumta ex illis Virgilii verbis,

Reppulit, & dominum Æneam in regna recepit.

Idem ad eum *ex lib.* 1. *Georgic.* versum,

Teque sibi generum Tethis emat omnibus undis.

Quod ait, emat, inquit ille, *ad antiquum nuptiarum pertinet ritum: quo se maritus & uxor invicem emebant: sicut habemus in jure.* Quo etiam Virgilium respexisse, Nonius Marcell. *in lib. de propriet. sermon. antiq.* existimat: cui interpretationi & Isidorus *lib.* 5. *Etymolog.* accedit. Coemtionem porro imaginariis venditionibus peractam, ut & adoptionem, credibile est: in eaque facienda nummos aliquot dicis causa intervenisse. Id enim in aliis quoque legitimis actibus observabatur, in quibus specie tenus Mancipationum solennia repræsentanda erant. Cujus moris vestigia à nobis in nostris nuptiis usurpari quidam opinantur, tredecim nummorum numeratione. Verum ego ex Barbararum coloniarum, quæ in Gallias ex Germania migrarunt, ferroque & armis sedes occuparunt, moribus id in usu mansisse potius crediderim. Tam enim Burgundiones quam Saxones uxores suas à parentibus vel tutoribus earum emisse

emisse observavi: idque *ex capite seu titulo* 14. & 34. *earum legum quas Gundobaldus Rex Burgundionibus scripsit: & ex Tit.* 6. 9. & 17. *legum Saxonicarum* patet. Idque *pretium nuptiale* appellatur *in Tit.* 12. *legum Burgundion.* & erat 100 solidorum ex Saxonum legibus, ut *cap.* 6. docet. Enimvero quæ coemtione in manum convenerant uxores, proprie matrumfam. nomine exaudiebantur, ut Cicero *Topicis* auctor est. Gellius lib. 18. cap. 6. *Illud compendio probabilius est, quod idonei vocum antiquarum enarratores tradiderunt, matronam dictam esse proprie quæ in matrimonium cum viro convenisset, quoad in eo matrimonio maneret, etiam si sibi liberi nondum nati forent; dictamque esse ita à matris nomine, non adepto jam, sed cum spe & omine mox adipiscendo: unde ipsum quoque matrimonium dicitur. Matrem autem familias appellatam esse eam quæ esset in mariti manu mancipioque, aut in ejus, in cujus maritus, manu mancipioque esset: quoniam non in matrimonium tantum, sed in familiam quoque mariti, & in sui heredis locum venisset.* Eadem harum vocum differentia à Servio traditur *in lib.* 11. *Æneid.* quem quisquis cum Gellio contulerit, non dubitabit *mancipi* pro *mancipio* semel atque iterum mendose apud illum scriptum

ptum esse. Matrisfa. vero *ex Vlpiani lib.* 54. *aut* 59. *ad edictum* (variant enim codices) nobis à Triboniano proposita definitio, verbis in quorum interpretatione versabatur, aptata fuit, non ad prisci sermonis proprietatem relata. Illud conniventibus oculis prætereundum non est, quod in viri familiam veniisse Gellius scribit eam quæ in manum conveniret. Nam hujus in alienam familiam transitus ratione, capite minui censebatur: indeque in minimis capitis minutionibus conventio in manum numeratur. Ulpianus Tit. 11. fragmentor. *Minima capitis diminutio est per quam & civitate & libertate salva, status duntaxat hominis mutatur. Quod fit adoptione & in manum conventione.* Hinc illustratur quod Cicero *in Topicis* scribit: *Si ea mulier testamentum fecit quæ se capite nunquam diminuit, non videtur ex edicto Prætoris secundum eas tabulas possessio dari.* Ubi Boethius, *Mulieres*, ait, *antiquo jure tutela perpetua continebat. Recedebant vero à tutoris potestate quæ in manum convenissent. Itaque fiebat eis prioris status permutatio, & erat capite deminuta quæ viri convenisset in manum.* Quod autem de perpetua mulierum tutela Boeth. notat, Ulpiani verbis comprobatur, quæ sub *Tit.* 11. *fragmentor.* sunt posita. Sic autem habent: *Tutores constituuntur tam masculis quam feminis;*

minis : ſed maſculis quidem impuberibus duntaxat , propter ætatis infirmitatem : feminis autem tam impuberibus quam puberibus , & propter ſexus infirmitatem , & propter forenſium rerum ignorantiam. Cicero pro Muræna : *Mulieres omnes, propter infirmitatem conſilii, majores in tutorum poteſtate eſſe voluerunt.* Quamobrem Auguſtum memoriæ proditum eſt ſummi beneficii loco & jure ſingulari Liviæ uxori & Octaviæ ſorori conceſſiſſe πὶ σφέτερϕ ἄνδ᾽ κυρίᾳ πνὸς διοικεῖν. Hæc enim ſunt Dionis *lib.* 49. hoc ipſum referentis verba : quæ indultum eis fuiſſe ſine tutore auctore res ſuas gerere ſignificant. Quod & Veſtalibus licuiſſe , Plutarch. *in Numa* docet, qui inter reliqua earum virginum privilegia hoc recenſet : κὴ τ᾽ ἄλλα πράτειν ἄνδ᾽ ϖολῆτᾳ ἀγορᾶσαι ὥσϖερ πίπαιδας. Sed enim inter mulierum ac pupillorum tutores lata erat differentia. Nam pupillorum quidem pupillarumque tutores, ut Ulpia. *in Fragment.* explicat *a*, & negotia gerebant & auctoritatem interponebant. Mulierum autem tutores auctoritatem duntaxat interponebant. Idcirco Cato apud Livium *b* majores voluiſſe dicebat, nullam ne privatam quidem rem feminas ſine auctore agere. Cui L. Valerius apud eundem reſpondens, *Nunquam*, inquit, *ſalvis ſuis exuitur*

a Tit. 11. *b* lib. 44.

tur ſervitus muliebris, & ipſa libertatem quam viduitas & orbitas facit, deteſtantur. Unde Apulejus *Apolog. pro ſe ipſo ſecunda*, emtionis à Pudentilla factæ teſtem, ut auctorem, ejus tutorem Caſſium Longinum citat: *Adeſt*, ait, *etiam tutor auctor mulieris, vir graviſſimus & ſanctiſſimus, omni cum honore mihi nominandus Caſſius Longinus. Quare, Maxime, cujus emtionis auctor fuerit.* Ex illa vero tutorum differentia Cicero *Topicis* argumentum à diſſimili ita ducit: *Non quemadmodum quod mulieri debeas, recte ipſi mulieri ſine tutore auctore ſolvas; ita quod aut pupillæ aut pupillo debeas, recte poſſis eodem modo ſolvere.* Ubi Boethius (nam quæ ab eo bene dicta ſunt non reticeo) *Mulieres*, ait, *antiquitus perpetua tutela tenebantur: pupilli item ſub tutoribus agunt. ſed mulieribus ſi quid debitum fuiſſet, ſine tutoris auctoritate poterat ſolvi: pupillis vero minime.* Et mox: *Illa perpetua tutela etiam provecta jam ætate continentur: illorum tutela certus annorum numerus terminum facit. Differt enim perſona mulierum à perſona pupillorum vel in eo, quod pupilli non perpetua reguntur tutela: mulieres vero perpetua. Vel quod pupillus nullum ſuæ etiam miniſtrandæ utilitatis judicium habere poteſt: cum ſit aliquis mulieribus, etſi non firmus, in explicanda familiaris rei utilitate delectus.*

tus. Hactenus ille. Nec tamen quod tutore minime auctore mulier promiserat, magis debebatur quam quod pupillus sine tutoris auctoritate spopondisset, ut ex Cicerone *pro Cæcinna* liquet: nec mulier quæ in tutela erat, manumittendi jus potius quam pupillus habebat, quod est ab Ulpiano *Tit.* 1. traditum. Præterea pupillos suos adrogandos dare tutores non poterant, quod tantam esse tutoribus in pupillos auctoritatem potestatemque fas veteres non ducerent, ut caput liberum, fidei suæ commissum, alienæ ditioni subjicerent. quemadmodum ex Gellio didicimus *a*. At mulieri in manum convenienti tutores utiliter auctoritatem præstabant: licet ex conventione in manum eadem prope quæ ex adrogatione effecta sequerentur. Et vero sine tutorum auctoritate non potuisse in manum mulierem convenire, Cicero *pro Flacco* satis dilucide ostendit. Inde idem pro Cluentio: *Nubit genero socrus, nullis auspicibus, nullis auctoribus.* Quod autem ea tutela legitima tam à Cicerone quam ab Ulpiano appellatur, indicio est, lege 12 Tab. introductam. Id quod verum puto, & ex Atheniensium legibus hoc caput à Decemviris descriptum, quandoquidem & apud illos mulieres tutorum, quos κυρίους vocabant,

a lib. 5. cap. 19.

bant, poteſtate continerentur, ut eſt à Budæo *in linguæ Græcæ Commentar.* obſervatum. Jam, propinquorum tutela conventione in manum mulieres liberatas, ut Boethius ſupra citato loco perſtrinxit, mirum non eſt: cum eo modo capite minuerentur, ſtatumque ac familiam mutarent, & in virorum mancipium redigerentur; in quorum manu eas fuiſſe, etiam Cato in eo quem paulo ante produxi Livii loco dicit. Quin etiam in manum conveniendo mulierem cum capite fortunas quoque ſuas in familiam ac domum mariti tranſtuliſſe ſciendum eſt. Nam, ut Cicero *in Topicis, in loco ab effectis,* ſcribit, *cum mulier viro in manum conveniebat, omnia quæ ejus fuerant, viri fiebant dotis nomine.* Unde Boethius, uxore defuncta quæ in manum conveniſſet, bona ejus ad virum pertinuiſſe bene colligit. Quapropter Lucio Flacco inter cetera vitio datum legimus, quod Valeriæ gentilis ſuæ, quæ Androni Seſtilio nupſiſſe dicebatur, bona avertiſſet, ejuſque hereditate virum, ad quem ea legitimo jure pertinebat, fraudaſſet. Quod crimen Cicero in ea quam pro eo reo dixit, oratione ita refellit, ut in manum Seſtilio conveniſſe Valeriam neget. Idque argumento ab enumeratione partium ducto probat. Nam ſi in manum conveniſſe dicatur, utique uſu vel coemtione

tione conveniſſe eam neceſſe fuiſſe dicit, cum hæ ſolæ eſſent inter ejus conditionis & qualitatis perſonas uſitatæ matrimoniorum ſpecies. Atqui uſu convenire in manum non potuiſſe, docet hac ex jure ſumta ratione ; quod de tutela legitima, qua majorum more Valeria continebatur , nihil potuerit abſque tutorum omnium auctoritate uſu diminui: ut proinde ei non licuerit, tutoribus minime auctoribus factis, alienæ ſe ditioni ſubjicere , in alienamque familiam ſe & bona ſua transferre. A quo non abhorret quod idem *lib.* 1. *Epiſt. ad Attic.* ita ſcribit: *De Tadiana re mecum Tadius locutus eſt , te ita ſcripſiſſe , nihil eſſe jam quod laborares : quoniam hereditas uſu capta eſt. Id mirabamur, te ignorare de tutela legitima, in qua dicitur eſſe puella , nihil uſucapi poſſe. Diminuendi* enim verbo in hanc ſententiam uſos veteres apparet ex Senatuſconſulto de petitione hæreditatis. [a] Coemtione vero , quod erat alterum partitionis membrum, in manum peræque convenire non potuiſſe Valeriam contendit , cum ei rei auctoritatem Flaccus qui è tutorum numero erat non præſtitiſſet : ac per hoc ſine eo auctore dicta ab ea dote nihil actum eſſe , ibidem adſeverat.

[a] l. item veniunt. §. item placere. & l. deperditum. D. de petition. hered.

rat. Quod & *in Oratione pro Cæcinna* pro certo ac constanti ponit. Ideoque ex lege Julia de maritandis ordinibus, à Prætore urbano tutor mulieri virginive, quæ ex ea ipsa lege nubebat, ad dotem dandam, dicendam, promittendamve dabatur, si legitimum tutorem ea non haberet, ut est ab Ulpiano memoriæ proditum *a*. Atque hæc erant jura quæ sibi conventionis in manum beneficio maritus in bonis uxoris vindicabat. Vice versa etiam uxor eorundem & bonorum & sacrorum cum viro socia ac particeps fiebat. Qua communione merito existimavit Romulus inter se arctiori vinculo colligatum conjuges iri. Est enim hujus rei origo ab ejus legibus arcessenda, quibus hoc comprehensum fuisse Dionys. Halicarn. auctor est *b*, γυναῖκα γαμετὴν καὶ νόμος ἱερὸς συνελθεῖν ἀνδρὶ κοινωνὸν ἁπάντων εἶναι κτημάτων τε καὶ ἱερῶν. Unde mirum non est, Nuptias à Modestino *c* divini & humani juris conjunctionem definiri, & à Gordiano *d* uxorem rei divinæ & humanæ sociam appellari. Quapropter nec turpe judicium ob res viro subtractas adversus eam dari prudentibus placuit *e*, quam societas vitæ quodammodo dominam faceret.

a Tit. 11. nupt. expil. hered.
b lib. 2.
c in l. 1. D. de ritu
d in l. adversus. C. de crim.
e l. 1. D. rer. amot.

ceret. Hinc quoque forte ab initio moribus comparatum fuit, ut ne inter conjuges factæ donationes valerent. Quod & aliis postea rationibus utile visum est. Quas inter etiam hanc Plutarch. ἐν Αἰτίοις commemorat, ὅτι δεῖ κοινὰ καὶ γυναιξὶ εἶναι τὰ ἀνδρῶν, καὶ ἀνδράσι τὰ γυναικῶν. Ex iisdem etiam Romuli legibus descendisse Halicarnasseus admonet, quod usu apud Rom. invaluit, ut viro mortuo superstes uxor non aliter ac patri filia heres existeret: & quidem eo sine liberis defuncto totam ex asse hereditatem sibi vindicaret: liberis vero relictis æquam cum iis partem ferret. Ac plane suorum heredum loco ac numero ejusmodi uxores habitas, & perinde atque illos heredes vel exheredes scribi debuisse, ne præteritione earum testamenta vitiarentur, ex veteri jurisprudentia intelligimus. Sic enim Ulpianus, *in fragmentis Titulorum ex ejus Corpore excerptorum*, scribit *a*: *Sui heredes instituendi sunt vel exheredandi. Sui autem heredes sunt, liberi quos in potestate habemus, tam naturales quam adoptivi. Item uxor quæ in manu est, & nurus quæ in manu est filii quem in potestate habemus.* Et alias *b*: *Adgnascitur suus heres, aut adgnascendo, aut adoptando, aut in manum conveniendo, aut in locum sui heredis succedendo.* Quod

a Tit. 22. *b* Tit. 23.

nec Servium latuit, qui *in 7. Æneid.* ad illum Virgilii versum,

— *Quæsitas sanguine dotes*
Abnegat, externusque in regnum quæritur heres.

De jure, ait, *traxit, ut non generum, sed heredem diceret. Nam per coemtionem facto matrimonio sibi invicem succedebant.* His consequens est, à muliere herede scripta viro, cui ea in manum convenisset, inutiliter legatum relictum fuisse: ut & juris ipsa ratio dictat, & ex eo inferri potest, quod Ulpianus *Tit.* 23. *fragmentor.* definit his verbis: *Ei, cujus in potestate, manu, mancipioque est heres scriptus, legari non potest.* Quinetiam mancipari eam à viro potuisse, argumento est quod Sex. Pomp. ex Ælio Gallo scribit, Remancipatam eam dictam quæ mancipata erat ab eo cui in manum convenerat. Itaque in eo quod ab Ulpiano scriptum est [a], eum qui liberum caput mancipatum sibi vel à parente vel à coemtore manumisit, per similitudinem patroni tutorem fiduciarium effici; videndum est, ne ad maritum coemtoris nomen, potius quam ad alium quemquam referendum sit. Ex his satis patere arbitror, quid esset, in manum convenire. Quod loquendi genus ab

[a] Tit. 11. §. 4.

ab Apuleio *lib.* 8. non ſemel eſt uſurpatum.

Ceterum de uxorum uſu quærendarum forma nihil à quoquam veterum auctorum literis proditum reperi. Tentari quidem certe, non incolorate poſſet; nec vero quid obſtet, præter juris rationem qua Flacci partes tueri Cicero niſus eſt, video, Uſu partas ac quæſitas uxores eas fuiſſe quæ matrimonii cauſa in domum abſque coemtionis ſolennibus deductæ toto vertenre anno cum viro adſueſſent: quæ poſt id temporis ex 12. Tab. in manu mancipioque viri fuerint, quaſi uſu, id eſt, poſſeſſione viro mancipatæ. Uſum enim pro poſſeſſione veteres dicebant. Et ita 12. *Tab.* ſcriptum erat: *Annuus uſus eſto.* Unde & *uſucapionis* nomen. Uſum vero legitimum fuiſſe dominiorum quærendorum & adipiſcendorum modum nemo ambigit. Et vel juris civilis auctoribus tacentibus, ejus rei unus locupletiſſimus eſſet teſtis Horatius, cum ait:

Si proprium eſt quod quis libra mercatur & ære,
Quædam, ſi credis conſultis, mancipat uſus.

Proinde quemadmodum res mobiles, vel ſe moventes, anno poſſeſſæ, poſſeſſoris, ex jure Quiritium, fiebant: ita mulierem quæ cum viro una matrimonii cauſa anno integro morata eſſet, ei uxorem cum re & effectu

partam conciliaramque fuisse suspicari possumus. Probabile hoc facit, quod annui hujus usus interrumpendi interpellandique gratia trinoctio perfecto à viro uxorem abnoctare lex 12 Tab. jubebat. Hoc enim de usurpatione uxorum, id est, usus earum interruptione, ex Q. Mutio Scævola Gellius & ab eo mutuatus Macrobius prodiderunt. Cujus usurpationis quæ fuisset utilitas non video nisi in manum & mancipium viri per annuam possessionem mulier transitura fuisset. Quorsum enim, quæso, de usurpatione annui uxorum usus lege cautum fuisset, si non ejusmodi usu aliquid viro præter nudum matrimonii nomen accessisset? Nam ad uxoris inane consortium (id est, conventionis in manum viribus destitutum) consequendum, annum exspectari nihil attinebat, quod mero consensu, mutuaque voluntate, protinus conjuges nanciscebantur. Necesse est igitur amplius aliquid annuo usu maritum nactum ac consecutum fuisse. Quæ res existimandi copiam præbet, ut, quemadmodum servus venditus & traditus, neque tamen emtori mancipatus, nec in jure cessus, nec ab ipso annum possessus, in bonis tantum ejus erat; non autem, quoad horum quid interveniisset, ex jure Quiritium ejus fiebat: sic quæ nec farre nec coemtione in manum conveniisset, sed

in

in domum duntaxat pro uxore deducta esset mulier, uxor quidem habebatur: ceterum non ante in manum viri convenisse censebatur, quam apud eum annum nulla trinoctii absentia interposita implevisset. Transacta vero annua die, tum usu viro quæsita uxor judicabatur, pro eoque erat ac si in manum solennibus verbis conveniisset, utpote usu ac possessione, quod solennitati defuerat, supplente. Sed hæc ut sunt in conjectura posita, & à me investigandi tantum, non etiam adfirmandi gratia proposita, ita à lectoribus accipi & æqui bonique consuli velim. Liberum enim suum cuique de his judicium, imo vero liberam suspicionem relinquo. Ad eam certe uxorum usu quæsitarum speciem Plautus, sive quis alius argumenti Amphitryonis auctor est, adlusisse videtur his versibus:

In faciem vorsus Amphitryonis Iuppiter,
Dum bellum gereret cum Telebois hostibus,
Alcumenam uxorem cepit usurariam.

Nisi quis malit ex alio Prologi versu, quo usuram corporis ejus cepisse eum scribit, verba ea interpretari. Equidem assentiri iis non possum qui solo usu uxores cum concubinis confundere conantur. Aliud enim semper fuit uxorum, aliud concubinarum nomen. Nec uxorii nominis dignitas concubinis unquam est tributa. Hoc ergo inter eas

quæ quoquo modo in matrimonium convenissent (quas Cicero tantummodo uxores, Gellius matronas appellatas scribit), & concubinas, intererat, quod illæ matrimonii, hæ consuetudinis solius causa haberentur. Atque ex affectu & animo habentis ea res plerumque censebatur. Quamquam in liberæ mulieris ejusque ingenuæ, quæ corpore quæstum non fecisset, consuetudine non concubinatus, sed matrimonium intelligebatur; ut Modestinus *lib.* 1. *Regular.* scribit: *a* qui & illud eodem libro tradiderat, *b* Stuprum committere eum qui liberam mulierem consuetudinis, non matrimonii causa contineret. Honestæ quippe vitæ & ingenuam, minime prostituti corporis, mulierem in concubinatu habere non licebat: sed vel in matrimonio habere necesse erat, vel qui hoc recusabat, in legem Juliam de adulteriis incidere, stuprique crimen committere judicabatur. *c* Ex earum verò mulierum, quæ vel in matrimonio vel in concubinatu promiscue haberi poterant, consuetudine, utrum matrimonium an concubinatus induceretur, ex destinatione animi eorum qui eas habebant pendebat. Nam si maritali eas honore & affectione viri prosequerentur,

a l. in liberæ. D. de ritu nupt. D. ad l. Jul. de adult. D. de concubin. *b* l. stuprum. *c* l. in concubinatu.

rentur, uxores; sin minus, concubinæ censebantur. Ex illis susceptí, justi ac legitimi; ex his, vulgo quæsiti ac spurii existimabantur. Quamobrem obscurum jam nemini esse puto, quod concubinam ex sola animi destinatione æstimari[a] oportere Paulus scribit. [a] Exemplum appositum suppeditat Capitolinus in M. Antonino philosopho: qui Faustina uxore mortua, à secundis nuptiis eum Imperatorem abstinuisse scribit: enisam tamen esse quamdam Fabiam ut in ejus matrimonium coiret; sed illum, ne tot liberis superduceret novercam, concubinam dumtaxat sibi adsciviisse, procuratoris uxoris suæ filiam. Aliud etiam occurrit ex Papiniano *lib.* 8. *Responsor.* quo Cocceium Cassianum, virum clarissimum, Rufinam quamdam ingenuam, pleno honore dilexisse, ex eaque filiam suscepisse memorat: cum tamen pro concubina eam habuisset, nec uxorio eam nomine dignatus esset, & filiam alumnæ nomine nuncupasset, vulgo quæsitam eam filiam judicatam refert. Itaque quæ concubina fuerat, mutata voluntate uxor haberi poterat. Testem habemus eundem Papinianum lib. 12. Responsor. *Donationes*, ait, [b] *in concubinam collatas, non posse revocari, convenit: nec, si matrimonium*

[a] l. penul. D. de concubin. [b] l. donationes. D. de donationib.

inter eosdem postea fuerit contractum, id irritum recidere, quod ante jure valuit. An autem maritalis honor & affectio pridem præcesserit, personis comparatis, vita conjunctione considerata, perpendendum esse respondi. Neque enim tabulas facere matrimonium. Cui optime quadrat quod Quintilianus *lib.* 5. *cap.* 11. ita scribit: *Ex contrario nihil obstat quo minus justum matrimonium sit mente coeuntium, etiam si tabulæ signatæ non fuerint. Nihil enim proderit signasse tabulas, si mentem matrimonii fuisse non constabit.* Mens ergo & voluntas viri, uxorem à concubina (quæ modo in concubinatu retineri jure poterat) separabat: cum ad matrimonii substantiam tabularum nuptialium obsignatio necessaria non esset. Unde Imp. Probus Fortunato rescripsit *a*, quam liberorum procreandorum causa domi habuerat uxorem, non eo minus ei justam uxorem esse quod tabulæ nuptiales nullæ interceſſissent. Dignitate item uxor à concubina distinguebatur, ut noster Ulpianus significat *b*. Atque ideo Ælius Commodus Verus, Spartiano referente, *uxorem dignitatis esse nomen, non voluptaris*, dicebat. Plane eam quæ uxoris loco sine nuptiis in domo esset, pellicem ex quorundam

a l. si vicinis. 9. C. de nupt. *b* l. item legato. 49. §. 4. D. de legat. 3.

dam ſententia appellatam eſſe Paulus refert *a*. Cujus tamen vocis aliam idem interpretationem *ex Maſſurii Sabini libro Memorialium* adducit, ubi rectius, meo quidem judicio, *Memorabilium* legeretur. Nam hanc fuiſſe libri cujuſdam ab eo editi inſcriptionem, Macrobius *lib. 3. Saturnalior. cap. 6.* oſtendit. At Gellius pellicem appellatam, probroſamque habitam, quæ juncta conſuetaque eſſet cum eo, in cujus manu mancipioque alia matrimonii cauſa foret, Numæ lege docet *b*, in qua ita erat: *Pellex aedem Iunonis non tangito. Si tangit, Iunoni crinibus dimiſſis agnum feminam cadito.* Ac de uxorum quidem generibus & differentiis ſatis.

Ceterum antiquitus nuptiæ non niſi captatis prius auguriis fiebant. Iiſque faciendis Auſpices (quo nomine τὰς ἐπ' οἰωνοῖς ἱερεῖς appellatos Plutarch. ἐν Αἰτίοις ſcribit) olim interponebantur, ut Valer. Max. *lib. 2. cap. 1.* tradit, his verbis: *Apud antiquos non ſolum publice, ſed etiam privatim nihil gerebatur niſi auſpicio prius ſumto. Quo ex more nuptiis etiam auſpices nunc interponuntur: qui quamvis auſpicia petere deſierint, ipſo tamen nomine veteris conſuetudinis veſtigia uſurpantur.* Sic Tacitus de nuptiis Meſſalinæ tractans *lib. 11. &*

a in l. libro. 144. D. de verb. ſignif. *b* l. 4. c. 3.

de Neronis cum Pythagora conjugio *lib.* 15. agens, utrobique auſpicum adhibitorum meminit. Plautus etiam in Prologo Caſinæ:

Vltro, ait, *ibit nuptum*, *non manebit auſpices.*

Cicero pro Cluentio: *Nubit genero ſocrus*, *nullis auſpicibus*, *nullis auctoribus*, *funeſtis ominibus*. Lucanus lib. 2. de bello Pharſal.

Pignora nulla domus, *nulli coïere propinqui*,
Iunguntur taciti, *contentique auſpice Bruto.*

Iuvenalis, Sat. 10.

— *Tyriusque palam genialis in hortis*
Sternitur, *& ritu deciès centena dabuntur*
Antiquo: veniet cum ſignatoribus auſpex.

Symmachus lib. 2. Epiſtol. *Sororem Pompeiam olim viro maturam te auſpice in manus optat accipere.* Servius *in* 1. *Æneid.* ad illum verſum,

Cui pater intactam dederat, *primiſque jugarat*
Ominibus. Id eſt, *auguriis. Et ſecundum Romanos locutus eſt*, *qui nihil niſi captatis faciebant auguriis*, *præcipue nuptias.* Idem *in lib.* 4. *Æneid.* ad eos verſus,

Diis equidem auſpicibus reor & Iunone ſecunda
Huc curſum Iliacas vento tenuiſſe carinas.

Dii, ait, *qui ſunt auſpices matrimoniorum*, *Æneam huc venire fecerunt. Nuptiæ enim captatis auguriis fiebant.* Quod ille Lucani & Iuvenalis paulo ante prolatis teſtimoniis compro-

comprobat. Hinc Claudianus in Epist. ad Serenam:

Atque utinam sub luce tui contingeret oris
Conjugis in castris & solio generi
Optatum celebrare diem, me jungeret auspex
Purpura, me sancto cingeret aula toro.

Idem in Rufin. lib. 1.

— *Hac auspice tæda*
Oedipoden matri, nata junxere Thyesten.

Seneca in Troade, Act. 4. Sc. 1.

Quicunque hymen funestus, illætabilis,
Lamenta, cædes, sanguinem, gemitus habet;
Est auspice Helena dignus.

Ac de hujusmodi auspicibus accipiendus est ille Suetonii *in Claudio* locus, quo Valeriam Messalinam uxorem supplicio adfeciſſe eum Imperatorem narrat, dote prius inter auspices consignata. Erat autem prosperrimi augurii nuptialibus negotiis accipitris circi altero pede claudi aspectus, ut Plinius *lib.* 10. *cap.* 8. prodidit. Quinetiam his conjugalibus auspiciis antiquitus Pilumnum & Picumnum deos deputatos, Nonius Marcellus, Varronis auctoritate adductus, *in cap. de doctorum Indagine* scribit.

His ita expositis tempus est ad novæ nuptæ cultum, vestitum, ornatumque transeamus. Ac primum ut à vertice incipiam, senis crinibus eam ornari solitam reperio: sive quod is ornatus vetustissimus esset, seu

quod

quod eo virgines Vestales ornabantur, quarum castitatem viris suis nubentes spondebant, quemadmodum Sex. Pompeius tradit. Cælibari præterea hasta, quæ in corpore gladiatoris abjecti occisique steterisset, nubentis caput, eodem auctore, comebatur: ut, quemadmodum illa fuerat conjuncta cum corpore gladiatoris, sic ipsa cum viro esset: vel quia matronæ in Junonis Curitis tutela essent, quæ ita à ferenda hasta (quæ Sabinorum lingua *curis* dicitur) appellabatur: vel ut fortes viros genituram ominarentur: vel quod nuptiali jure imperio viri subjiciebatur nubens, quia hasta summa armorum & imperii est. Hanc autem consuetudinem alia hujus instituti addita ratione Plutar. *in Romulo* retulit: Ἔνιοι δὲ λέγουσι, καὶ τὸ τὴν κόμην χαμυσμένης αἰχμῇ Δαχείνουσθαι δοκεῖν, σύμβολον εἶναι δεῖν μάχης καὶ πολεμικῶς τὸν πρῶτον γάμον γενέσθαι, περὶ ὧν ἐπὶ πλέον ἐν τοῖς αἰτίοις ἐρήκαμεν. Quibus verbis Plut. nos ad eum librum rejicit qui vulgo Ῥωμαϊκὰ inscribitur, quem tamen ipse Αἰτίων inscripsisse videtur. Verba autem ejus in eo libro hæc sunt: Διὰ τί τὰς γαμουμένας αἰχμῇ δοκοῦσι κόμην Δαχείνουσι; Cujus rei causas complures, hanc vero Sexto Pompeio concordantem adfert. Ἢ καὶ μᾶλλον πλεῖστα τῶν γαμικῶν εἰς τιμὴν Ἥρας ἀνήκοντα. Ἥρως γὰρ ἱερὸν τὸ δόρυ νενόμικας, καὶ τὰ ἀγαλμά-

τια

πων αὐτῆς δόρυ σημείζεται ἢ πολεῖσι. καὶ Κυρῖτις ἡ θεὸς ἐπωνομάσθη. τὸ γὰρ δόρυ κύριν ἐκάλουν οἱ παλαιοί.

Curitis porro Junonis etiam Martian. Felix *lib.* 2. *de nupt. Philolog.* inter cetera ejus deæ cognomina meminit. Necnon Sextus Pompeius, *Curitim*, ait, *Iunonem appellabant, quia eandem ferre haſtam putabant.* Ovid. lib. 2. Faſtor.

Sive quod haſta curis priſcis eſt dicta Latinis.

Eum vero de quo agere cœpimus morem idem Ovid. *libr.* 2. *Faſtor.* eo qui jam à me ſupra relatus eſt loco perſtringit; menſe Februario, quo inferis parentabatur, nuptiis abſtinendum hac periphraſi monens:

Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas haſta recurva comas.

Arnobius *lib.* 2. *adverſus gentes*, veteres quoſdam ritus deſuetudine ſublatos recenſens, *Cum in matrimonia*, inquit, *convenitis, toga ſternitis lectulos, & maritorum genios advocatis, nubentium crinem calibari haſta mulcetis.* Corona deinde redimiri novæ nuptæ conſuevérant. Tertullian. in lib. de corona militis. *Coronant & nuptiæ ſponſos.* Catull. in carmine de nuptiis Juliæ & Manl.

Cinge tempora floribus
Suave olentis amaraci.

Lucanus

Lucanus, de nubente loquens,
Turritaque premens frontem matrona corona
Translata vitat. & quæ sequuntur.
Claudianus etiam Stiliconem ad nuptiarum apparatum corona tempora cingere sic admonet:
Solitas galea
Fulgere comas,
Stilico, molli
Necte corona.
Enimvero recta tunica novæ nuptæ induebantur, qualem prima Caia Cæcilia texuit, ut est à Plinio *lib.* 8. *Natural. histor. cap.* 48. relatum. Quod quidem ex felici textricis conjugio in usum venisse non dubito; cujus memoriam, boni ominis causa, in nuptialibus ritibus novas nuptas usurpasse constat.

Cingulo insuper nupta cingebatur, quod vir in lecto solvebat. Factum id ex lana ovis, Sex. Pomp. scribit: ut sicut illa in glomis sublata, conjuncta inter se est; sic vir suus secum vinctus cinctusque esset. Cingulum id Herculano nodo vinctum vir omnis gratia solvebat, ut sic ipse felix in suscipiendis liberis esset, sicut Hercules fuit, qui 70 liberos reliquit. Inde Catull. in nupt. Iul. & Manlii:
Te suis tremulus parens
Invocat: tibi virgines

Zonula ſolvunt ſinus.

Et in carmine ad Januam:

Nec quærendum aliunde foret nervoſius illud,
Quod zonam poſſet ſolvere virgineam.

Et alias:

Tam gratum mihi quam fuit puellæ
Pernici aureolum tuliſſe malum
Quod zonam ſolvit diu ligatam.

Ovidius in Epiſtola Phyllidis ad Demophoontem:

Cui mea virginitas avibus libata ſiniſtris,
Caſtaque fallaci zona revincta manu.

Arnob. lib. 3. adverſus gentes: *Niſi virginalia vincula jam ferventes diſſolverent atque imminentes mariti.* Citatur & à Nonio Marcello hic Varronis verſus Γέροντος διδασκάλου. *Novus maritus taciturnus, taxim ſolvebat cingulum.* Ab hac vero cingulorum replicatione Junoni, quæ conjugalibus federibus præeſſe credebatur, Cinxiæ cognomen inditum fuit. Sex. Pompejus, *Cinxia*, ait, *Iunonis nomen ſanctum habebatur in nuptiis, quod initio conjugii ſolutio erat cinguli quo nova nupta erat cincta.* Arnobius lib. 2. adverſus gent. *Vnctionibus ſupereſt Vnxia, cingulorum Cinxia replicationi.* Ex quo emendandus eſt Martiani Felicis locus, apud quem *lib.* 3. *de nuptiis Philolog.* in ea oratione quam Philologia ad Junonem habet, ita vulgo legitur: *Iter ducam,*

& Domi-

& Domiducam, Vnxiam, Cinthiamque mortales puellæ debent in nuptias convocare. ubi *Cinxiam* proculdubio legendum est.

Junoni autem multos habitos in nuptiis honores, quod ea jungendis & conciliandis matrimoniis præesse censeretur, præter Plutarchi supra citatum locum, Ovidius non semel *in Epistol. Heroid.* indicat. Veluti in Epistol. Phyllidis ad Demophoont.

Iunonemque toris quæ præsidet alma maritis.

Et in Epist. Medeæ ad Jason.

Conscia sit Iuno sacris præfecta maritis.

Et in Epist. Hypsipyles.

Non ego sum furtim tibi cognita: pronuba Iuno Adfuit.

Sed & Virgil. lib. 4. Æneid.

Iunoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ.

Statius Papin. in Sylvis.

— Dat Iuno verenda
Vincula, & insigni geminat concordia tæda.

Junonem plane nuptiarum præsidem Dio Chrysostomus, *oratione septima*, quæ *Euboica aut Venator* inscribitur, vocat. Eaque ratione τελείας cognomine à Græcis Juno ornatur. Plutarch. ἐν Αἰτίοις, *quæstione secunda*: Πέντε δεῖαι θεῶν τὰς γαμηλίους οἴονται· Διὸς τελείου καὶ Ἥρας τελείας, καὶ Ἀφροδίτης καὶ Πειθοῦς· ἐπὶ παῖδι δὲ Ἀρτέμιδος. Non enim *adulta Iuno* eo verbo exaudienda est, quemadmodum illic perperam interpres vertit,

vertit, sed *nuptiarum praeses*. Epitheton namque hoc à voce πέλω descendit, quæ antiquis *nuptias* significabat. Pollux, *libr*. 3. *Onomast*. Προπελείας ἐλέγοντο οὐ μόνον αἱ νύμφαι, ἀλλὰ καὶ οἱ νύμφιοι, καὶ τέλειος ὁ γάμος ἐκαλεῖτο, καὶ αὐτοτέλειοι οἱ γεγαμηκότες. Διὰ τοῦτο καὶ Ἥρα τέλεια ἡ ζυγία. ταύτῃ δὲ τοῖς αὐτοτελείοις αὐτεπίλευ. & quæ sequuntur. Suidas, Ἥρα, ait, τέλεια καὶ Ζεὺς τέλειος, ἐπιμῶντο ἐν τοῖς γάμοις ὡς συζύγους ὄντες τῶν γάμων. τέλος ἦν ὁ γάμος. Διὸ καὶ αὐτοτέλεια ἐκαλεῖτο ἡ θυσία ἡ αὐτὸ τῶν γάμων. Eustath. in 2. *Iliad*. Τέλος δέ, ait, ὁ γάμος, ὅθεν τελείους τοὺς γεγαμηκότας ἔλεγον. Idem *in* 12. *Iliad*. Ἐκ δὲ τοῦ λοιποῦ τέλος, ὃ σημαίνει τὸν γάμον, τὰ αὐτοτέλεια, ὧν χρῆσις μὲν μόνη παρὰ Αἰλίῳ Διονυσίῳ, ἑρμηνεία δὲ παρὰ Παυσανίᾳ, εἰπόντι ὅτι αὐτοτέλεια ἡ αὐτὸ τῶν γάμων θέα, ἴσως τὰ λεγόμενα θεσπέσια. ἐκεῖθεν δὲ καὶ τέλειοι οἱ γεγαμηκότες, καὶ τελειωθῆναι τὸ γῆμαι. Itaque τέλεια *Iuno* nihil aliud quam γαμήλιον significat. quod epitheton Junoni tributum Servius in 4. *Æneid*. ad versum, *Et Iunone secunda*, notat. Quem quidem interpretis Plutarchi errorem eo dissimulandum non putavi, quod eo quoque in fraudem illectum Ludovicum Vivem videam *in suis ad cap*. 22. *lib*. 4. *de civit. Dei Commentariis*. Junoni vero τῇ τελείᾳ sacra facientes fel cum

reliquis

reliquis victimarum extis non porrigebant, sed demtum & divulsum abjiciebant; mystice significantes, bilem omnem atque iracundiam à nuptiis abesse oportere. Quod me Plutarchus ἐν γαμηλίοις ἀφηγήμασι docuit. Sed est ille ejus auctoris locus in Frobenianis codicibus, duobus in verbis corruptus. Sic enim scriptum habent: Οἱ τῇ γαμηλίᾳ θύοντες ὥρᾳ τὴν σχολὴν δ' συγκαθαιρίζεσι τοῖς ἄλλοις ἱεροῖς, ἀλλ' ἐξελόντες ἔῤῥιψαν ὀπὶ τὸν βωμὸν, αἰνιττομένου τοῦ νομοθέτου, τὸ μηδέποτε δεῖν σχολὴν μηδὲ ὀργὴν γάμῳ ὀφιέναι. Atqui legendum est γαμηλίᾳ θύοντες Ἥρᾳ. Rursus, χολὴν, id est, *fel*, non σχολὴν, quod aliud penitus significat. Qui melocus admonet, ut aliud huic adfine & cognatum apud eundem auctorem librariorum vitio commissum erratum corrigam. Nam *in Numa*, quo loco annī menses recenset, passim ita scriptum est: Τῶν δ' ἐφεξῆς τὸν μὲν μάϊον καλοῦσιν, ἀπὸ Μαΐας, Ἑρμῇ γὰρ ἀφιέρωται, τὸν δ' ἰούνιον, ἀπὸ τῆς ὥρας. Ubi Ἥρας legendum esse contendo. Idque sequentia verba manifeste demonstrant, in quibus ita est: εἰσὶ δὲ τινες οἱ τούτους ἡλικίας ἐπωνύμους εἶναι λέγοντες πρεσβυτέρους καὶ νεωτέρους. μαιώρεις γὰρ οἱ πρεσβύτεροι παρ' αὐτοῖς, ἰουνιώρεις δ' οἱ νεώτεροι καλοῦνται. Apparet enim Plutarchum duplex Junii mensis etymon attingere, quem

quem à Junone nonnulli, à junioribus alii dictum censent. ut & idem ἐν Αἰτίοις, & Macrob. *lib.* 2. *Saturnal. cap.* 12. testis est: *Iunius*, inquiens, *Majum sequitur: aut ex parte populi, ut supra diximus, nominatus; aut ut Cingius arbitratur, quod Iunonius apud Latinos ante vocitatus, diuque apud Aricinos Praneſtinoſque hac appellatione in faſtos relatus ſit: adeo ut, ſicut Niſus in commentariis faſtorum dicit, apud majores quoque noſtros hæc appellatio menſis diu manſerit, ſed poſt detritis quibuſdam literis, ex Iunonio Iunius dictus ſit.* Cenſorinus *in lib. de die natali cap.* 18. Junium quoque à Junone potius quam junioribus dictum putat: quod illo menſe maximi Junoni habentur honores. Quibus & Bedam *in lib. de ratione tempor.* adde. Hanc certe lectionem omni ſcrupulo amoto rectam eſſe, D. Amiotus, Abbas Belloſanenſis, vir raræ doctrinæ, & ea, quam magna cum laude ſuſtinet, regiæ inſtitutionis cura vere dignus, mihi ſcriptorum codicum auctoritate comprobavit: qui & illud me docuit, *in eadem Numæ vita*, paulo poſt in Februarii menſis etymologia mendum eſſe. Nam cum vulgo τοῖς φυτοῖς ἐναχίζεσι τὴν πόπε, legatur; τοῖς φθιτοῖς legendum eſſe, veteres codices, quos ille accuratiſſime evolvit, oſtendunt. De cujus lectionis veritate nemo dubitabit, qui eo

menſe juſta diis manibus ſolvi, & mortuis parentari ſolitum, ſecum reputabit. Quod ex Ovidii Faſtis, Macrobio *lib.* 1. *Saturn. cap.* 13. aliiſque veterum ſcriptis cuivis in promtu eſſe poteſt. Verum, ut ad propoſitum redeat oratio, ex ea ſuperſtitioſa gentilium opinione, quam de Junone animo conceptam habebant, multa ei deæ ſecundum munerum, poteſtatum, ac in re uxoria officiorum varietatem ac diverſitatem, cognomina indita fuiſſe obſervavi. Primum enim à conjunctione maris & feminæ *Iuga*, Sexto Pomp. teſte, vocabatur; exemplo Græci ſermonis, quo Ζυγία vocabatur. Quod nomen Apuleius Græciſſans *lib.* 6. *de Aſino aur.* uſurpavit. Quæ appellationis hujus notatio à Dionyſio Halicar. his verbis comprobatur: Ζεὺς γὰρ καὶ Ἥρα πρῶτοι ζευγνύντες τε καὶ συνδυάζοντες. ὅτῳ τοι ὁ μὲν καὶ πατὴρ καλεῖται πάντων, ἡ δὲ ζευγία ἀπὸ τῆς ζευγνύναι τὸ δῆλον ἄῤῥενι. Muſonius etiam: Ὅπῃ δὲ, ait, μέγα καὶ ἀξιοσπούδαστον ὁ γάμος ἐστὶ, καὶ τούτῃ δῆλον. θεοὶ γὰρ ἐπιτροπεύουσιν αὐτὸν, καὶ τὸν νομίζονται παρ' ἀνθρώποις μεγάλοι· πρῶτον μὲν Ἥρα. καὶ λέγεται ζυγία αὐτὴ διὰ τοῦτο ὀνομάζεσθαι. Quod vero de jugo, matrimonio contrahendis imponi ſolito, Servius & poſt eum Iſidorus commemorant, quia idoneorum & locupletum auctorum teſtimonio ab eis non firmatur, admittere non auſim. Nec

ſum

ſum neſcius, Plauti *ex Curculione* verſum ad hanc rem proferri poſſe. in quo ita eſt, *Iamne ea fert jugum?* Sed id μεταφορικῶς dictum eſſe, probabilius eſt. quemadmodum illud Horatii:

Nondum ſubacta ferre jugum valet
Cervice.

Ut autem à matrimoniorum conjunctione *Iuga* & *Zygia*, ita à mulieris in domum mariti deductione *Domiduca* & *Iterduca*, à cingulo novæ nuptæ *Cinxia*, ab unctione *Vnxia*, Juno appellabatur. Et ita actui cuique peculiare numen ſtulta gentilitas adſignabat. Quam ridiculam eorum ſuperſtitionem B. Auguſtinus *lib. 6. de civit. Dei cap. 9.* ita exagitat. *Cum mas & femina conjunguntur, adhibetur deus Iugatinus. Sit hoc ferendum: Sed domum eſt ducenda quæ nubit: adhibetur deus Domiducus. ut in domo ſit, adhibetur deus Domitius: ut maneat cum viro, additur dea Manturna.* Et paulo poſt: *Impletur cubiculum turba numinum, quando & paranymphi inde diſcedunt. Adeſt dea Virginenſis, & deus pater Subigus, & dea mater Prema, & dea Pertunda, & Venus, & Priapus. Virginenſis quidem,* ut ibidem indicat, *ad hoc, ut virgini zona ſolvatur. Subigus, ut viro ſubigatur. Prema, ut ſubacta, ne ſe commoveat, comprimatur.* Cujuſmodi etiam ineptias Arnob. *lib. 2. adverſus gent.* ſcite ridet.

Verum ut ad instituta pergamus, Coronam, ex verbenis à se lectis compositam, nova nupta, Sex. Pomp. teste, sub amiculo ferebat. Eandem & soccos luteos gestasse, Catullus suspicandum relinquit. Sed ut hoc obscurum est, ita velo obnubi solitam cum ad virum deduceretur, tam certum est quam quod certissimum. Tertullianus de virginibus veland. *Atquin*, ait, *etiam velatæ ad virum ducuntur*. Unde *nuptiarum* nomen ductum esse, consentiens in unum omnium Grammaticorum fert opinio. *Nubere* enim & *obnubere* priscis *velare* & *operire* significabat, ut Sex. Pomp. non uno loco, Non. Marcell. & alii complures notant. Quo in significato Arnob. *lib.* 3. *adversus gent.* hoc verbo usus est. *Quod aqua*, inquiens, *nubat terram*, *appellatus est cognominatusque Neptunus*. Caper, in lib. de orthograph. *Vir ducit, mulier nubit, quia pallio obnubit caput suum genasque.* Velum autem id quo nuptæ operiebantur, flammeum vocabatur: quo boni ominis gratia eas velari solitas Sex. Pomp. tradit, idcirco quod eo assidue Flaminica uteretur, cui divortium facere non licebat. Sueton. in Neron. cap. 28. *Puerum Sporum exsectis testibus etiam in muliebrem formam transfigurare conatus est: cum dote & flammeo per solenne nuptiarum celeberrimo officio ad se deductum pro uxore habuit.* De quo

Im-

Imperatore etiam Tacit. *lib.* 15. agens, *Ipse*, inquit, *per licita atque illicita fœdatus; nihil flagitii reliquerat, quo corruptior ageret, nisi paucos post dies uni ex contaminatorum grege, cui Pythagoræ nomen fuit, in modum solennium conjugiorum denupsisset. Inditum Imperatori flammeum.* Martial. lib. 11. Epigrammat.

Flammea texantur sponsæ: jam virgo parata est.

Tondebit pueros jam nova nupta tuos.

Idem lib. 12.

Proluxere faces, velarunt flammea vultus.

Juvenalis *Sat.* 6. de muliere crebris divortiis maritos mutante:

Permutatque domos, & flammea conterit.—

Quintilian. declamat. 306. *Operiet flammeo sanos.* Tertullian. in lib. adversus Valentinian. *His nuptiis recte deducendis pro face & flammeo tuus, credo, ille arcanus ignis erumpet.* Apuleius Apolog. 2. *Venit igitur ad eum nova nupta secura & intrepida, pudore dispoliato, flore exoleto, flammeo obsoleto.* Ambrosius in libr. de viduis: *Suasimus, fateor, ut vestem mutares, non ut flammeum sumeres; ut à sepulchro recederes, non ut thalamum præparares.* Proinde Catullus, *initio carminis de nuptiis Iuliæ & Manlii*, Hymenæum ad flammeum capiendum excitat. Et alio ejusdem carminis loco,

Tollite, ait, *pueri*, *faces*,
Flammeum videor videre.
Claudian. in Epithalamio,
Iam nupta trepidat sollicitus pudor,
Iam produnt lachrymas flammea supplices.
Idem lib. 2. de Raptu Proserp.
— *Et vultibus addunt*
Flammea, sollicitum prævelatura pudorem.
Idem in carmine Honorii & Mariæ:
Ipsa caput distinguit acu, substringit amictus.
Flammea virgineis accommodat ipsa capillis.
Juvenalis, Sat. 10.
— *Cui nubere Cæsaris uxor*
Destinat, optimus hic, & formosissimus idem
Gentis patriciæ rapitur miser, extinguendus
Messalinæ oculis, dudum sedet illa parato
Flammeolo.
Seneca *in Octavia*, de Poppæa Neroni nubente:
Velata summum flammeo tenui caput.
Martianus Capella lib. 5. de nuptiis Philolog. *In quibus*, ait, *species rerum collocandæ sunt, veluti nuptiarum, velatam flammeo nubentem.* Idem lib. 9.
Flammea virgineum quæ obnubere sueta pudorem,
Regina deme pronuba.
Apuleius rursus lib. 4. de Asino aur. *Iam feralium nuptiarum miserrimæ virgini choragium struitur. Iam tædæ lumen atræ fuliginis cinerem*

cinerem arceſſunt, & ſonus tibiæ Zygiæ mutatur in querulum Lydii modum, cantuſque lætus hymenæi lugubri ululatu, & puella nuptura deterget lachrymas ipſo flammeo. Hoc vero velamen luteum erat, ut hæc Plinii verba declarant, quæ *ex ejus lib. Natur. hiſtor.* 21. *cap.* 8. appoſui. *Lutei video honorem antiquiſſimum in nuptialibus flammeis totum feminis conceſſum, & fortaſſis ideo non numerari inter principales, hoc eſt, communes maribus ac feminis, quoniam ſocietas principatum dedit.* Ex quo Lucan. lib. 2. de bello Pharſal.

Non timidum nuptæ leviter tectura pudorem
Lutea demiſſos velarunt flammea vultus.

Rapi plane, ut Sextus Pomp. auctor eſt, ſimulabatur virgo ex gremio matris, aut ſi ea deeſſet, ex proxima neceſſitudine, tum cum ad virum transferebatur: propterea quod ea res Romulo feliciter ceſſiſſet, qui per vim ſibi ſuiſque ex Sabinis uxores quæſivit. Ex quo illud Catulli,

Qui rapis teneram ad virum
Virginem.

Expoſui quo cultu atque ornatu nova nupta ad virum procederet. Unde lucem accipient Halicarnaſſei hæc verba *ex lib.* 3. *Antiquit.* Μετὰ τοῦτο τὴν γυναῖκα κοσμησαμένην, οἷς ἔθος ἐστὶ κοσμεῖσθαι τὴν γαμουμένην. Deinceps de pompæ apparatu ac traductionis ritu

agam. Solennis autem moris fuisse, ut in viri domum, tanquam conjugii mansionem ac domicilium, nuptæ traducerentur, abunde *libro primo Selectarum ex jure civili Antiquitatum*, multis jureconsultorum & aliorum auctorum testimoniis probavimus: quæ quod inde facillime peti possint, huc transferenda non censui. Unde *uxorem ducere*, quasi *domum ducere*, imminute Latini dicunt, quemadmodum ex compluribus Plauti locis patet. Sic enim in Aulularia:

E. *Quod sempiternum tibi salutare sit procreandis liberis.*

M. *Ita dii faxint.* E. *volo te domum uxorem ducere.*

Idem Trinummo, Actu 5. Sc. 2.

Nunc quid causæ est quin uxorem cras domum ducat?

Et in Epidico, Actu 2. Sc. 1.

Genere natam bono pauperem domum ducere uxorem.

Idem Cistellar. Act. 2. Sc. 1. (*mum.*

Illam extrudet, cum hanc uxorem ducet do-

Item Act. 1. Scen. 1.

Ei nunc alia ducenda est domum,

Sua cognata.

Atque ex hoc more repetenda est ejus ratio, quod jure civili cavetur [a], nuptiis mulierem domi-

[a] l. exigere. 65. D de judic. l. cum quædam puella. D. de jurisd. l. ult. §. item rescripserunt. 3. D. ad municipal. l. ultim. C. de incol.

domicilium ſuum mutare, & in viri domicilium tranſire. Quod & ex juris diſciplina Servius adnotat ad illum Virgilii verſum lib. 4. Æneid.

Et patrio Andromachen iterum ceſſiſſe marito.

Item unam poſt matrimonium viri & uxoris domum dici *a* mirandum non eſt, *δυοῖν οἴκων*, ut Plutarch. *libr.* 4. *Sympoſiacor. cap.* 3. ſcribit, *εἰς τὸ αὐτὸ σκηνούντων*. Plane eam quæ deſponſata eſt ante contractas nuptias non mutare domicilium, Modeſtinus belle tradit *b*, quod in domum viri nondum ſit deducta. Hanc autem conditionem, *Si in familia nupſerit*, impletam videri ſtatim atque ducta eſt uxor, quamvis nondum in cubiculum mariti pervenerit, traditum exſtat *c*. Enimvero deductio hæc veſpere fiebat. Antiquitus ſiquidem non niſi noctu mulieres ducebantur, ut Sex. Pompeius *libr.* 14. & Servius *in* 8. *Eclog. Virgilii* ex Varrone, ſcribunt. Unde Valerius Max. lib. 1. cap. 5. *At Cæcilia Metelli, dum ſororis, adulta ætatis virginis, more priſco, noctu connubia nuptialia petit, omen ipſa fecit.* Tacitus quoque *libr.* 11. à Nerone cum Pythagora confectas nuptias referens, *Et interdiu*, ait, *in viro nubente ſpectata, quæ etiam in*

a l. 1. §. ſi vir. D. de Sen. Si l. *b* l. ea quæ. D ad municipal. *c* l. cui fuerit. 15. D. de condit. & demonſtr.

femina nox operit. Ea ratio eſt, cur noctem adeſſe *in Epithalamio* Catullus moneat, his verſibus:

Veſper adeſt, juvenes, conſurgite: veſper olympo.

Surgere jam tempus, jam pingues linquere menſas.

Iam veniet virgo, jam dicetur hymenaeus.

Pari de cauſa Claudianus *in Epithalamio*, Heſperi ortum præcinit.

Attollens thalamis Idalium jubar
Dilectus Veneri naſcitur Heſperus.

Idem lib. 2. de raptu Proſerpinæ.

Iam ſuus inferno proceſſerat Heſperus orbi.

Pueri vero patrimi tres nubentem, Sex. Pomp. teſte, deducebant. quorum unus facem præferebat, reliqui duo nubentem tenebant. Unde Catullus in Carmine de nuptiis Jul. & Manl.

Mitte brachiolum teres,
Prætextate, puellulæ.

Fax porro ea quæ præferebatur, ex ſpina alba fiebat, ut idem Pomp. ſcribit. Ideoque Catullus in illo carmine cujus modo teſtimonium citavi,

Pelle, inquit, *humum pedibus, manu*
Spineam quate tædam.

Eaque ratione Plinius, ſpinam nuptiarum facibus auſpicatiſſimam dixit. Non deſunt tamen, qui nuptiales faces ex pinu confici ſolitas,

tas, omni asseveratione contendant, & apud Catull. legendum censeant, *pineam quate tædam*. Moventur Ovidii versibus *ex lib.* 2. *Fastor*. quo loci à conjugio per aliquot dies abstinendum, hac periphrasi suadet.

Dum tamen hæc fiunt, viduæ cessate puellæ,
Exspectet puros pinea tæda dies.

Quamquam illic absque ullo versus vitio, recte *spinea tæda* legi posset. Sed proferam alios locos, qui eandem immutationem non ferant. Varro *libr.* 2. *de vita Pop. Rom.* ut est apud Nonium: *Cum à nova nupta ignis in face adferretur, foco Ædilis sumtus*, (sic enim lego) *fax ex pinu ablata esset, ut eam puer ingenuus adferret*. Idem Varro, Γέρουθος διδασκάλου. *Romaque noctu initia fieri solita, etiam nunc pinea fax indicat*. Quem ego Varronis locum, ad hanc quæstionem ea ratione accommodari posse censeo, quod in honorem Cereris faces in nuptiis prælatas Sex. Pomp. tradit. Tametsi Servius *in* 8. *Eclog. Virgilii*, nulli id religioni acceptum fert; sed ex eo inoleviſse, Varronis auctoritate fretus, scribit, quod non nisi noctu antiquitus à sponsis uxores ducerentur. Confirmat vero illam de pineis facibus opinionem Virgilius *in Ciri*, cum ait.

Pronuba nec castos incendet pinus amores:

Seneca in Medea, choro primo.

Multifidam jam tempus erit ſuccendere pinum.
Excute ſolennem digitis marcentibus ignem.

Ruſus idem Varro apud Chariſium Soſipatrum: *In Aſia*, ait, *fax ex ſpina alba profertur, quod purgationis cauſa adhibetur.* Sane, ſpinæ albæ ad maleficia depellenda vim inesſe, antiquitas credidit. Ovid. lib. 6. Faſtor.

Sic fatus, ſpinam, qua triſtes pellere poſſet
A foribus noxas, hæc erat alba, dedit.

Et poſtea:

Virgaque lanalis de ſpina ponitur alba,
Qua lumen thalamo parva feneſtra dabat.
Poſt illud neque aves cunas violaſſe feruntur;
Et rediit puero qui fuit ante color.

Verum quid prohibet ex variis arborum generibus faces nuptiarum confici ſolitas dicere? Plinius enim in eo, cujus ſupra teſtimonio uſus ſum, loco, ſpinum quidem facibus nuptiarum auſpicatiſſimam fuiſſe ſcribit; ſuis tamen temporibus carpimum & corylum facibus familiariſſimas fuiſſe ſubjicit. Poteſt autem hic facium in nuptiis præferendarum mos aliis præterea teſtimoniis comprobari. Plautus Caſina, Act. 1. Sc. 1.

Primum omnium huic lucebis nova nupta facem.

Seneca in Octavia, Act. 2. Sc. 2.

Hic mihi jugales præferat tædas deus,
Jungatque noſtris igne Poppæam toris.

Et iterum Act. 3. Sc. 1.

Tellure

Tellure rupta, Tartaro gressum extuli,
Stygiam cruenta præferens dextra facem
Thalamis scelestis: nubat his flammis meo
Poppæa nato.

Idem, Act. 1.

Quæ nupta demens, nupsit incesta face.

Et alias: —— *Conjugem captam sibi*
Toris nefandis flebili junxit face.

Cicero pro Cluentio Avito: *Non timuisse, si minus vim deorum, hominumque famam; at illam ipsam noctem, facesque illas nuptiales.*

Virg. Eclog. 8.

Mopse, novas incide faces, tibi ducitur uxor.

Claudianus in carmine de nuptiis Honorii & Mar.

—— *Alii funalibus ordine ductis*
Plurima ventur & suspendunt lumina nocti.

Ambrosius in lib. de viduis: *Vel cum accensis funalibus mox ducitur, nonne pompa funebris exequias magis putat, quam thalamum præparari?*

Statius Papinius *in Sylvis*, nuptiarum quandam celebritatem describens,

Fronde, ait, *virent postes, & fervent compita flammis.*

Possent & ex Epigrammatis Græcis complura de nuptialibus facibus loca congeri. Eas faces Catullus, *in carmine de nuptiis Pelei*; & Cato, *in lib. de re Rustica*; non semel *tadas jugales* vocant: Valerius Flaccus *faces*

jugales lib. 2. Argonauticor. appellat. Lucanus lib. 2. de bello Pharsal. *faces legitimas*. Statius Papinius *tædas geniales*, in Genethliaco Lucani *lib.* 2. *Sylvarum*: & *festas tædas* lib. 3. Sylvar. ut & Claudianus *lib.* 2. *de raptu Proserpinæ*. Plutarchus ἐν Αἰτίοις, à Romanis *cereos* appellatos tradit: ubi & illud adnotat, quinque, nec plures nec pauciores, in nuptiis accendi solitas faces. Est etiam ibidem observandum, quod nostram illam de restitutione loci ejus, quem paulo ante ex Varrone protuli, conjecturam confirmat, apud Ædiles accendi faces consuevisse. Hinc & nuptias *sancta fœdera tædæ*, Silius Italicus *lib.* 6. nominat. Fax autem illa, qua prælucente nova nupta ducta erat, rapi ab amicis consueverat; ne aut eam sub tecto viri, uxor ea nocte poneret, aut vir in sepulchro comburendam curaret, quo utroque alterius mors captari putabatur. Enimvero silentio præterire non possum quod quibusdam visum iri posse scio, in altum tolli nubentes priscis temporibus consuevisse. Qua de re nos subtilis ingenii vir noster Loiselius, *ex Optati Afri lib.* 6. admonuit, quo loco in Donatistas, qui virgines post crines semel solutos ad iteratam professionem adegerant, ita invehitur. *Inveniſtis igitur hujusmodi virgines, quæ jam spiritaliter nupserant: quasi secundo coegistis*

ad

ad nuptias: ut crines iterum ſolverent imperaſtis. Hoc nec mulieres patiuntur quæ carnaliter nubunt: ex quibus ſi alicui maritum mutare contigerit, non repetitur illa temporalis feſtivitas: non in altum tollitur, non populi frequentia procuratur. Verum ex ſuæ id gentis potius quam Latiæ moribus ab Optato mihi videtur eſſe dictum. Compertum ſiquidem habeo, apud Pœnos, Græcos, Ægyptios, uſu receptum fuiſſe, ut nubentes ſellæ inſidentes, curruque ſublimes vectæ, à patris domo in mariti domicilium transferrentur. Quod ego Apuleii, Pollucis, Syneſii, Suidæ teſtimoniis ita aperte comprobabo, ut nullus dubitationi reliquus ſit futurus locus. Apuleius quidem *Apologia pro ſe ipſo ſecunda* ſic habet. *Venit igitur ad eum nova nupta ſecura & intrepida, pudore diſpoliato, flore exoleto, flammeo obſoleto, virgo rurſum poſt recens repudium, nomen potius aſſerens puellæ, quam integritatem. Vectabatur Octaphoro. Vidiſtis profecto qui adfuiſtis, quam improba juvenum circumſpectatrix, quam immodica ſui oſtentatrix.* Pollux vero *lib.* 3. *Onomaſt. cap.* 3. Ἐπὶ ζεύγους δ', inquit, αἱ νύμφαι ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ μετήεσαν. Quod latius ac copioſius à Suida exponitur in voce ζεῦγος. Ζεύξαντες, ait, τὸν λεγομένων κλινίδιον, ἢ ἐστιν ὁμοία διέδρᾳ, τὸν τῆς νύμφης μέθοδον ποιοῦνται. Θεραπαίνας δὲ

ἢ αὐτὴν ὅτε τὸν πατέρα εἶδες ἐπὶ τὴν ἅμαξαν ἄγεσθαι ἐς τὸ βουλευτήριον ἐπὶ τὴν ἁμάξης, μέση μὲν ἡ νύμφη, ἑκατέρωθεν δὲ ὁ νυμφίος καὶ ὁ πάροχος. Synesius quoque *Epist.* 3. de puella post patrui funus nubente agens, quem nos, quod ejus verba paulo obscuriora sint, Latine loquentem faciemus. *Vix ergo*, inquit, *exspectato septimo die, quo nos justa mortuo fecera-mus, epulumque funebre agitaveramus, anum deliram, nutricem suam, in vehiculum mulis junctum tollens, meridie, quo tempore forum populi frequentia repletum erat, insignibus nuptialibus ornata, pompæ more currum agens recta Teuchira* (nomen id est urbis Cyrenaicæ præfecturæ) *contendebat. Futurum enim est ut sequenti die fasciis redimita caput, ac Cybeles instar turrita urbem circumeat & oberret.* Hæc ille. Sed & Constantinopoli idem usu receptum fuisse videtur, quemadmodum indicio sunt Claudiani versus, quos *ex carmine de nuptiis Honorii & Mariæ* subjungam.

Ante fores jam pompa sonat, pilentaque sacram
Præradiant ductura nurum: calet obvius ire
Iam princeps.

At vero priscis Romanis, quorum duntaxat ritus exequi mihi propositum est, curulem illam novæ nuptæ transvectionem in usu fuisse, nusquam legi. Quinimo à pueris patrimis & matrimis duobus manu ductam

nuben-

nubentem, Sext. Pomp. non obscure significat.

Nubentes plane colus comta cum fuso & stamine comitabatur. Cujus moris gravissima duo testimonia proferam. Unum ex Plutarch. ἐν Αἰτίοις, Τὴν νύμφην, ait, εἰσάγοντες, νᾶπυς ὑποστρωννύουσι. αὕτη δὲ εἰσφέρει μὲν ἠλακάτην καὶ τὴν ἄτρακτον. Alterum ex Plinio, apud quem *lib.* 8. *Natur. histor. cap.* 48. ita est: *Lanam cum colo & fuso Tanaquil, quæ eadem Cæcilia vocata est, in templo Sangi dixisse, prodente se, auctor est M. Varro, factamque ab ea togam regiam undulatam in æde Fortunæ, qua Servius Tullus fuerat usus. Inde factum ut nubentes virgines comitaretur colus comta, cum fuso & stamine.* Illam autem de colo & fuso Caiæ Cæciliæ observationem nec Plutarch. prætermisit, cujus hæc sunt in illo eodem lib. verba: Ἡ δὲ τὴν Γαΐαν Καικίλιον ἠλακάτην καὶ ἀτρακτὸν γυναῖκα τοῦ Ταρκυνίου παίδων ἐνὶ συνοικήσασαν, ἧς ἐν τῷ Ξ Σάγκτου ἱερῷ χαλκᾶς ἀνδριὰς ἕστηκεν, ἔκειτο δὲ πάλαι καὶ σανδάλιον καὶ ἄτρακτος. Quo loci Σάγκτου pro Σάγγου scriptum esse, prima facie quis superioribus Plinii motus verbis judicaret. Et ita certe Genium eum nuncupat Livius lib. 8. *Ædes ejus*, ait, *quæ essent in Palatio, diruendas: Bona Semoni Sango censuerunt consecranda. Quod ex eis redactum, ex eo ænei orbes facti.*

facti, & positi in sacello Sangi versus ædem Quirini. Nam & Genii Sangi sacellum in eadem cum novo Quirini Templo regione urbis Romæ Pub. Victor & Sex. Ruffus collocant. Idem Livius *lib.* 32. Veliterni ædem fuisse Sangi narrat. Sextus etiam Pomp. lib. 14. *Propter viam*, ait, *fit sacrificium, quod est proficiscendi gratia, Herculi aut Sango, qui scilicet idem est deus.* Lactantius Firmian. lib. 1. divinar. Institut. cap. 15. *Privatim vero singuli populi, gentis aut urbis conditores, seu viri fortitudine insignes erant, seu feminæ castitate mirabiles, summa veneratione coluerunt; ut Ægyptii Isidem, Mauri Iubam, Macedones Cabyrium, Pœni Vranum, Latini Faunum, Sabini Sangum* (aut, ut alii codices habent; *Sancum*). Verum M. Cato *in Originum fragmentis*, quem Sabini *Sangum* (nam illic *Sangnum* vitiose scriptum est) dicerent, Romanos *Sanctum* pronunciasse, Barbaros *Sagam* dixisse, notat. Utrumque etiam promiscue dictum, B. Augustinus *lib.* 18. *de Civit. Dei, cap.* 19. declarat. *Sabini etiam*, ait, *regem suum primum Sangum, sive, ut aliqui appellant, Sanctum retulerunt in deos.* Ut proinde Σάγκτος scriptura apud Plutarchum mutanda esse non videatur: quam video Latinorum quoque auctorum in libris hæsisse, veluti apud Ovid. *lib.* 6. *Fastor.* ubi

deus

deus hic, aut ſemideus potius, quo de agimus, idem eſſe cum Fidio & Hercule declaratur his verſibus:

Quærebam Nonas, Sancto Fidiove referrem,
An tibi, ſemipater. Tunc mihi Sanctus ait:
Cuicunque ex illis dederis, ego munus habebo:
Nomina terna fero: ſic voluere Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini:
Inque Quirinali conſtituere jugo.

Apud Silium etiam Italicum *lib. 8. de bello Punico*, quo loco de Nurſinis & Tetricæ rupis accolis agit, verſus hi leguntur:

Ibant, & lati pars Sanctum voce canebant
Auctorem generis: pars laudes ore ferebant,
Sabe, tuas, qui de patrio cognomine primus
Dixiſti populos magna ditione Sabinos.

Sed & Varro (ex cujus recognitione magnam à philologis omnibus gratiam Vertranius Maurus, raræ vir & reconditæ doctrinæ, inivit) lib. 4. de Lingua Lat. *Vnde*, ait, *ſub dio, divo, Dius Fidius. Itaque inde ejus perforatum tectum, ut videatur divum, id eſt, cælum. Quidam negant, ſub tecto per hunc dejerare oportere. Ælius Gallus Dium Fidium dicebat, Dijovis filium*, Διόσκορον, *Caſtorem: & putabant, hunc eſſe Sanctum, ab Sabina lingua; & Herculem, à Græca.* Accedat & Dionyſii Halicar. auctoritas. cujus hæc ſunt *lib. 4.* verba: Τούτων τὸ ἀρχαῖον ἐστὶ μνημεῖον ἐν Γαύρῳ κείμενον ἐν ἱερῷ

Διὸς

Διὸς Πιστίου, ὃν Ῥωμαῖοι Σάγγον καλοῦσι. In quibus verbis convertendis aptius, meo quidem judicio, *Dium Fidium*, quam *Iovem fidei praſidem*, interpres dixiſſet. De eo etiam accipiendum eſt, quod apud eundem auctorem *lib.* 2. de Medio Fidio narratur. Quem locum conſulendum cuique relinquam: dum tamen errati, quod illic deprehendet, monitorem me & præmonſtratorem habeat. Nam Μόδιον Φαδίδιον cum vitio ſcriptum inveniet, pro Μέδιον Φίδιον. Non abſimili errore apud Sex. Ruffum, in deſcriptione regionis tertiæ urbis Romæ, *Sangi Fidoni*, pro *Fidii*, ſcriptum eſſe, facile exiſtimarim. Ejus vero ſimulacrum ex marmore antiquo *in libro Epigrammat. urbis Romæ* expreſſum eſt. Quin & *in inſcriptione quadam Reatina* ita habetur: SANCTO FIDIO SEMIPATRI DE DECUMA VICTOR TIBEI LUCIUS MUMUS DONUM MORIBUS ANTIQUIS PRO USURA HOC DARE SESE JUSSUM ANNO SUO PERFECIT: In qua inſcriptione *ſemipatris* appellatio ad enarrationem Ovidii verſuum notanda eſt. Atque ut in hoc vocabulo diutius, quamquam non ſine fructu, immorantem me æquiore animo philologiæ ſtudioſi ferant, adjiciam pro coronide, epitheti, quod à Livio Sango huic tribuitur, explicationem: qua gratum me eis feciſſe, ſi candidi ſunt, adgnoſcent. Quotus quiſque

enim

enim eſt, qui, in cum Livii locum incidens, quo *Semonem Sangum* nominat, inſolentia vocis turbatus non hæſitet, ac ſubſiſtat? Ejus certe vocis vim ac poteſtatem unus mihi Fulgentius Placiades *in libello obſcurarum vocum ad Chalcid.* patefecit: cujus verba, uti in ſcriptis libris (quorum ope libellum eum aliquando integritati ſuæ reſtitui poſſe, non diffido) habentur, producam. *Semones*, ait ille, *dici voluerunt deos, quos nec cælo adſcriberent, ob meriti paupertatem, ſicut ſunt Priapus, Hippona, Vertumnus; nec terrenos eos deputare vellent, pro gratia veneratione. Sicut Varro in Myſtagogorum libro ait: Semoneque inferius derelicto, deum depennato attollam orationis alloquio.* Ex quo auctore (nec enim alii indicii precium & τὸ μέντοι deberi puto) poſtea Merulam & Beroaldum ejus vocis ſenſum aſſecutos deprehendi. Unde *Semonem Sangum*, id eſt, *Semideum* & *Medioximum* Livius dixit. De his autem deorum gradibus atque ordinibus videndus eſt Apuleius *in lib. de Dogmate Platon.* & iterum *in lib. de deo Socratis*, & Martian. Capel. *lib. 1. de nupt. Philolog.* Sed labor longius à propoſito, ad quod tamen non ante revertar, quam admonuero, à Plutarcho reliquos omnes auctores in eo diſſidere, quod non unius ex Tarquinii liberis, ſed Tarquinii Priſci

uxorem

uxorem Caiam Cæciliam, quæ eadem Tanaquil vocitata eſt, fuiſſe ſcribant. Qua de cauſa Sex. Pompeii verba, quod ad rem apprime faciant, ſubjungenda duxi. *Caia Cæcilia*, ait, *eſt appellata, ut Romam venit, quæ antea Tanaquil vocitata erat: uxor Tarquinii Priſci, Romanorum regis: quæ tantæ probitatis fuit, ut id nomen ominis boni cauſa frequentent nubentes: quam ſummam adſeverant lanificam fuiſſe.* Julius Paris in Epitom. lib. 10. Valer. Maximi: *Ceterum Caia uſu ſuper omnes celebrata eſt. Fertur enim, Caiam Cæciliam Tarquinii Priſci regis uxorem, optimam lanificam fuiſſe.* Quid ergo? Erroris aut oſcitantiæ reum Plutarchum agemus? Mihi crimen hoc tam diligenti Romanarum antiquitatum inveſtigatori intendere religio eſſet. Crediderim itaque, ſcripſiſſe eum, Ταρκυνίων ἑνὶ συνοικήσασαν. ſed cum Ταρκυνίᾳ imperitus librarius deſcripſiſſet, nihilo peritiorem quendam, ſenſus ſupplendi cauſa, vocem παιδῶν inſeruiſſe.

Nunc ad rem. Præterea utenſilia mulieris, & quæ in uſu ac miniſterio ejus erant, per puerum impuberem in vaſe operto geſtari conſueverant. Puer, *camillus*; vas ipſum, *cumerum* proprio nomine vocabatur. Varro lib. 6. de lingua Latina: *Igitur dicitur in nuptiis camillus, qui cumerum fert; in quo, quod ſit in miniſterio, plerique extrinſecus*

secus nectunt. Hinc camillus nominatur in Samothraces mysteriis Dius quidam, administer diis magnis. Verbum Græcum arbitror, quod apud Callimachum in poematis ejus inveni. Verba verò hæc imperite sunt apud Sex. Pompeium, aut Paulum, ejus Epitomes auctorem, non depravata modo, sed & confusa, & permixta, *lib.* 3. in quo ita est: *Cumeram vocabant antiqui vas quoddam, quod opertum in nuptiis ferebant, in quo erant nubentis utensilia; quod & camillum dicebant, eo quod sacrorum ministrum κάμιλλον appellabant.* Rectius vero alia parte cumerum vas esse dicitur nuptiale, à similitudine cumerarum, quæ fiunt palmeæ vel sparteæ ad usum popularem, sic appellatum. Quod vero ad *camilli* vocem attinet, apud eundem Sex. Pomp. *lib.* 6. traditur, Flaminium camillum, puerum dictum ingenuum, patrimum & matrimum, qui flamini Diali ad sacrificia præministrabat: camillosque ab antiquis ministros, secundum nonnullorum sententiam, omnes pueros appellatos: sicut habetur in antiquo carmine, cum pater filio de agricultura præciperet:

Hiberno pulvere, verno luto, grandia farra,
camille, metes.

Macrobius *lib.* 3. *cap.* 9. ex Statio Tullian. *de vocabulis rerum, lib.* 1. ait, Callimachum dixisse,

dixisse, *Tuscos Camillum appellasse Mercurium*: quo vocabulo significabant præministrum deorum. Unde apud Virgilium *Camilla* appellatur, Dianæ scilicet præministra. Romanos quoque, pueros puellasve nobiles, & investes, camillos & camillas appellasse, Flaminicarum & Flaminum præministros. Necnon Servius in lib. 11. Æneidos, *Camilla*, ait, *quasi ministra dicta est. Ministros enim & ministras impuberes, camillos & camillas in sacris vocabant. Vnde & Mercurius, Hetrusca lingua, Camillus dicitur, quasi minister deorum.* Et ut symbolam quoque Græci auctores ad hujus vocabuli explicationem conferant, Dionysius Halicarn. *lib. 2. Antiquitat.*, ex Romuli institutis, sacra quædam per mulieres celebrata, memorat: in ejusque ministerii societatem etiam liberos vocatos. Orbis vero, & prole carentibus concessum, ex quaque tribu puerum & puellam eleganti forma optare ac seligere, quo sacris ministrarent: puer quidem, donec pubertatis annos attigisset; puella vero, donec nupsisset. Idem adjicit, quo munere apud Hetruscos, & antea apud Pelasgos, in Curetum & majorum gentium deorum mysteriis fungebantur, qui ab iis κάδωλοι vocabantur; eodem functos apud Romanos, qui *camilli* vocabantur. Sed & Plutarchus *in Numa*, τὴν ὑπηρετοῦν-

τῷ

τῷ ἱερῷ τοῦ Διὸς ἀμφιθαλῆ παῖδα, *camillum* dici tradit. ὡς, ait, καὶ τὸν Ἑρμῆν, ὅτως ἔνιοι τῶν Ἑλλήνων κάμιλλον ἀπὸ τῆς Δήμητρος ὀνομάζουσιν. Quæ eo pluribus, ut ſeneſcentis jam vocabuli, vetuſtate pæne obliteratam ſignificationem excitarem. Quinetiam aſſes tres ad maritum nubentes deferebant, ut apud Nonium Marcellum Varro ſcribit : quorum unum, quem in manu tenebant, tanquam ementi marito dare : alium, quem in pede habebant, in foco Larium familiarium ponere : tertium, in ſacciperio, in compito vicinali reſignare ſolebant. Atque eo, quem ſupra deſcripſi, comitatu, nubentes ad mariti ædes accedebant.

Ædium porro fores floribus & frondibus ornari conſueverant. Unde Catullus in carmine de nuptiis Pelei :

Veſtibulum ut molli velatum fronde vireret.

Juvenalis, Satyr. 6.

Longa per anguſtos figamus pulpita vicos,
Ornentur poſtes & grandi janua lauro.

Lauro quippe poſtes ornare, tam in publicis quam privatis gaudiis moris erat. Tertullian. Apologet. cap. 35. *O nos merito damnandos! Cur enim vota & gaudia Cæſarum caſti & ſobrii & probi expungimus? Cur die læto non laureis poſtes obumbramus ?* Plinius lib. 15. Natur. hiſtor. cap. ult. *Laurus triumphis proprie dicatur, vel gratiſſima domi-*

domibus ; janitrix Cæsarum , Pontificumque , sola & domos exornat , & ante limina excubat. Latinus Pacat. *in Panegyr. Theodos.* de publica quadam congratulatione tractans, *Quid portas* , ait , *virentibus sertis coronatas , quid aulæis tardantes plateas , accensisque funalibus auctum diem ?* Rutilius Claud. Itinerarii lib. 1.

Festa dies pridemque meos dignata parentes
Poste coronato vota secunda colat.
Exornent virides communia gaudia rami.

Ex hoc vero more , Juvenalis , de muliere statim post nuptias divertente , dixit.

Ornatas paulo ante fores , pendentia liquit
Vela domus , & adhuc virides in limine ramos.

Statius Papin. lib. 1. Sylvar.

Fronde virent postes , & fervent compita flammis.

Claudianus *lib. 2. de raptu Proserpinæ* , quo apparatu ea in thalamos Plutonis veniens excepta sit , narrans,

Pars , inquit , *aulæa tenent , alii prætexere ramis*
Limina

Enimvero pro foribus ædium mariti , interrogatæ nubentes , quænam essent , *Caias* se esse respondebant. Hoc ita auctor *Epitomes lib.* 10. *Valerii Max.* scribit. *Ceterum Caia usu super omnes celebrata est. Fertur enim,*

enim, Caiam Cæciliam, Tarquinii Prisci regis uxorem, optimam lanificam fuisse. Et ideo institutum fuit, ut novæ nuptæ ante januam mariti interrogatæ quænam vocarentur, Caiam esse se dicerent. Plutarchus plane ἐν Αἰτίοις eos qui nubentem introducerent ei verba hæc suggessisse testis est, *Ubi tu Caius, ego Caia.* Quorum verborum eum esse sensum quidam existimabant, Ubi tu dominus & paterfa., ego domina & materfa.. ut, quemadmodum Jureconsulti in exemplis proponendis Caii Seii, & Lucii Titii; Philosophi vero Theonis & Dionis nomina usurpant: ita & in nuptialibus his cerimoniis, nomen Caiæ exempli causa fuerit usitatum. Aliis, Caiæ Cæciliæ nomini, quod ominis boni causa, ut jam ex Sex. Pomp. docuimus, nubentes frequentabant, morem hunc accepto ferendum esse magis placebat. Certe jureconsultos ridendi ea res Marco Tullio argumentum præbuit in Orat. pro Muræna. *Ut Caia*, ait. *quia in alicujus libris exempli causa id nomen invenerant, putarunt, omnes mulieres, quæ coemtionem facerent, Caias vocari.* Quintilianus lib. 1. cap. 7. *Nam & Caius C litera notatur, quæ inversa mulierem declarat: quia tam Caias vocitatas esse quam Caios, ex nuptialibus sacris apparet.*

Postes vero januæ lana tangi à nubentibus, adipeque ungi & oblini consueverant.

Unde *uxores* quasi *unxores* dictas Grammaticis placet. Plinius lib. 22. Natural. histor. cap. 2. *Lanis auctoritatem veteres Romani etiam religiosam habuere, postes à nubentibus his attingi jubentes.* Ex quo illud Lucani, nuptiarum quandam festivitatem describentis, lib. 2. de bello Pharsal.

Infulaque in geminos discurrit candida postes.

Plutarchus ἐν Αἰτίοις, de nova nupta loquens, Εἰσὶ δ', ait, τὴν γύναικα θύραν καὶ ἀνδρός. Donatus in 2. scen. Hecyr. Terentii: *Vxor dicitur ab ungendis postibus, & figenda lana, id est, quod cum puella nuberent, maritorum postes ungebant, ibique lanam figebant.* Servius in 4. Æneidos, *Moris*, ait, *fuit, ut nubentes puellæ simul ac venissent ad limen mariti, postes antequam ingrederentur ornarent laneis vittis, & oleo ungerent: & ideo uxores dictæ quasi unxores.* Quæ verba, ut alia pleraque, Isidorus, suppresso auctoris nomine, in suam Etymologiarum farraginem transscripsit *a*. Quod vero ad unctionem attinet, Plinius *lib.* 28. *cap.* 9. novas nuptas adipe lupino postes inungere solitas, ne quid mali medicamenti inferretur, scribit. Inde Arnobius lib. 3. adversus gentes: *O egregia numinum, ac singularis interpretatio potestatum! Nisi postes virorum adipali unguine oblinerentur ab sponsis* & quæ sequuntur.

a lib. 9. cap. ult.

ſequuntur. ubi etiam unctionibus iis deam Unxiam præfuiſſe ſcribit. Quod cognomen antiquitatem Junoni indidiſſe, Martianus Felix *libr.* 2. docet, in quo Philologia his verbis Junonem affatur: *Cum nihil contagionis corporeæ ſexu intemerata pertulerim, Iterducam & Domiducam, Vnxiam, Cinxiamque mortales puellæ debent in nuptias convocare, ut earum & itinera protegas, & in optatas domos ducas, &, cum poſtes ungent, fauſtum omen adfigas.*

Unctione peracta, nova nupta limen januæ tranſſilibat, eoque modo in ædes inducebatur. Religioni quippe habebant, ſi in tranſgrediendo mulier limen contigiſſet. Unde Catul. in Carmine de nuptiis Jul. & Manl.

Transfer, omine cum bono,
Limen aureolos pedes,
Raſilemque ſubi forem.

Lucanus lib. 2. de bello Pharſal.

Turritaque premens frontem matrona corona
Tranſlata vitat contingere limina planta.

Plutarch. ἐν Αἰτίοις, hujus moris cauſas perquirens, Διὰ τί, ait, τὴν γαμετὴν οὐκ ἐῶσιν αὐτὴν ὑποζύγιον τὸν (ſic enim lege, non τῷ) ἴδιον τῆς οἰκίας, ἀλλ' ὑποζύριον οἱ παραπέμποντες; Cujus rei tres rationes adfert. Unam quod Sabinæ à Romanis raptæ, eodem genere ac modo ſint in ædes introductæ. Hoc enim valent ea verba: πότερον ὅτι ταῖς πρωΐαις

πρώτους γυναῖκας ἁρπάζαντες ὅπως εἰσήνεγκαν, αὐταὶ δὲ ὧδε (ita enim veteres codices recte habent) εἰσῆλθον ; Quam rationem idem auctor probat *in Romulo*, his verbis: Διαμβάς ἢ μέχρι νεῶ τὸ πλὺ νύμφιον αὐτὴν ἀφ' ἑαυτῆς μὴ ὑποδραίνειν τὸν ὄδὸν εἰς τὸ δωμάτιον, ἀλλ' αἰρομένην εἰσφέρεσθαι, διὰ τὸ μὴ τότε πρωὶ δῆναι βιαζομένας μὴ εἰσελθεῖν. Secundam hujus obſervationis rationem idem auctor reddit, quod in eum locum in quo pudicitiam eſſent amiſſuræ, quodammodo invitas & nolentes ingredi, virginali pudori conſentaneum eſſet. Addit & tertiam, ut, quas coacta ingreſſa eſſet ædes, eas non niſi invitam eam egreſſuram ominarentur. Cujus rei demonſtrandæ cauſa, in Bæotia currus axem pro foribus comburi ſolitum narrat. ἐμφαίνοντας, ait, δεῖν πλὺ νύμφιον ἐμβαίνειν· (nam ita legendum, non ut vulgo perperam ἐμβαίνειν, non modo ſcripti codices ſed & Latina verſio docent) οἷς ἀνηρημένος ὁ ἄπαξων ἐστί. Varroni autem placuiſſe, Servius *in* 8. *Virgilii Eclog.* auctor eſt, ideo ſponſas limen non tetigiſſe, ut ne à ſacrilegio inchoarent, ſi depoſituræ virginitatem, calcarent rem Veſtæ, id eſt, numini caſtiſſimo conſecratam. At Iſidorus *lib.* 9. *Etymolog. cap, ult.* novas nuptas limen calcare vetitas tradit, quod illic januæ & coeant & ſeparentur. Secundum quæ apud Plautum

Caſina

Casina suspenso gressu limen transgredi admonetur.

Sensim, ait, *super attolle limen pedes, nova nupta*:

Sospes iter incipe hoc, ut viro tuo semper sis superstes.

Jam, ingredienti nuptæ claves dabantur, ad significandum, quemadmodum Sex. Pomp. explicat, partus facilitatem: vel, quod magis est, ut significaretur, ei rerum omnium domesticarum, quæ clavibus concludi solent, cura ac custodia, tota denique domus ac rei familiaris administratio dispensatioque permitti. Nam & ex diverso cum illi nuncius remittebatur, claves adimebantur, ut Cicero, 3. *in Anton. Orat.* indicat: *Mimam*, inquiens, *exegit, claves ademit, res suas sibi habere jussit ex* 12 *Tab.* Quem locum belle ac feliciter Petr. Victor. restituit. Atque adeo ἐκ τῆς κλειδῶν ὑποβολῆς viro uxorem repudiare Romulus concessit, ut Plutarch. in ejus vita auctor est.

Hoc amplius, ut reliqua persequamur, in pelle lanata, quemadmodum à Sex. Pomp. traditur, nova nupta statuebatur; vel propter morem vetustum, quo antiquitus homines pellibus erant induti; vel quo testaretur se lanificii officium viro præstaturam. Et hoc est quod Plutarch. ἐν Αἰτίοις ait, Τὴν νύμφην εἰσάγοντες, νάκῳ ὑποστρωννύουσιν.

Siquidem νᾶπος, interprete Suida, "ἔντερμον δέρμα significat, ἤτοι δορὰ σφαγέντος. & Hesychius vocem νάπεσι, δέρμασι σφαγέντων valere scribit.

Sed & aqua & ignis nuptiarum solennibus adhiberi consueverant. Hinc Scævola noster, *Die*, inquit[a], *nuptiarum, priusquam ad virum transiret, & priusquam aqua & igni acciperetur*. Sic enim rectius in Florentino Codice, quam, ut in aliis, *aqua & ignis acciperetur*, scriptum esse, Servius, hunc quoque morem referens, comprobat, ad illum *ex 4 Æneid.* versum:

Dant signum: fulsere ignes, & conscius æther Conjugii.

Ubi hæc Varronis verba ab eo recitantur: *Aqua & igni mariti uxores accipiebant. Unde & hodie faces prælucent, & aqua petita de puro fonte per puerum felicissimum, vel puellam quæ interest nuptiis, de qua solebant nubentibus pedes lavari.* Apud Sex. Pomp. aut potius Paulum qui eum in Epitomen infeliciſſime contraxit, *lib.* 1. verba hæc leguntur: *Aqua & igni interdici solet damnatis, quæ accipiunt novæ nuptæ: videlicet quia hæ duæ res maxime vitam continent.* Et iterum: *Aqua aspergebatur nova nupta, sive ut pura castaque ad virum veniret, sive ut ignem & aquam cum viro*

[a] l. penult. §. 1. D. de donationib. int. vir.

viro communicaret. Varro lib. 4. de lingua Latina, *Igitur*, ait, *causa nascendi duplex, aqua & ignis. Ideo ea in nuptiis in limine adhibebantur, quod conjungit. Hinc & mas ignis, quod ibi semen. aqua femina, quod fetus ab ejus humore & eorum conjunctione sumit Venus.* Quam Varronis rationem Plutarchus ἐν Αἰτίοις his verbis exposuit: Διὰ τί τὴν γαμουμένην ἅπτουσι πυρὸς καὶ ὕδατος κελεύουσι; πότερον τούτων ὡς ἐν στοιχείοις καὶ δεξαῖς τὸ μὲν ἄῤῥεν ἐστὶ, τὸ δὲ θῆλυ, καὶ τὸ μὲν δεκτικὸν κινήσεως ἐνίοις, τὸ δὲ ὑποκείμενον καὶ ὕλης δύναμιν; Alias tamen ille hujus moris rationes, quas commemorare nihil attinet, adfert. Illam vero quam ex Festo primum reddidimus, Ovidius *lib.* 4. *Fastor.* amplexus est, cum de aqua & igni agens, ita scribit:

An quod in his vitæ causa est, hæc perdidit exul,
His nova fit conjunx, hæc duo magna putant?

At Dionysius Halicarnasseus, hujus instituti originem à Romulo arcessit *lib.* 2. *Antiquit.* Κατέλεξεν, ait, αὐτὸς μὲν τῶν ἀγαμίων ἄνδρας ἰσαρίθμους, οἷς αὐτὸς συνήρμοσε καὶ τὰς παρθένους ἑκάστης ἑπομένας, ἐπὶ κοινωνίᾳ πυρὸς καὶ ὕδατος ἐλθοῦσαν τὰς γάμους, ὡς καὶ μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς ἐπιμελοῦνται χρόνων. Accedat & Varronis testimonium *ex lib.* 2. *de vita pop. Ro.* quod à Nonio Marcello refertur in verbo *Titionem*, & in verbo *Felix*: sed utrubi-

que ita corrupte ut inde sensus nullus elici posse videatur. Sic autem restituendum censeo: *Contra à novo marito cum ignis è foco in titione ex felici arbore, & in aquali aqua allata esset.* Quæ verba ad hunc solennem nuptiarum ritum perspicuum est pertinere: ut in titione, id est, fuste ardente, ignem; in aquali, quæ vox vas aquarium significat, aquam à novo marito allatam significent. Huc vero respiciens Statius Papin. *in Epithalamio Stellæ & Violantillæ*, Musas, ad eorum nuptias convenientes, ignem & aquam gestantes facit.

— *Procul*, ait, *ecce canoro*
Demigrant Heliconе Deæ, quatiuntque novena
Lampade solennem thalamis coeuntibus ignem,
Et de Pieriis vocalem fontibus undam.

Valerius Flacc. lib. 8. Argonauticor.

Inde ubi sacrificas cum conjuge venit ad aras
Æsonides; unaque adeunt, pariterque precari
Incipiunt: ignem Pollux undamque jugalem
Prætulit.

Eodem etiam respexisse videtur Claudianus *lib. 2. de nupt. Proserp.* cum ait,

Confessus socerum, nimbis Hymenæus hiulcis
Intonat, & tristes firmant connubia flammæ.

Hic commode, Cœnæ nuptialis, silentio minime prætermittendam mentionem subjici posse, & vero debere existimo: qua opipare ac laute acceptos convivas fuisse, facile

quis

quis vel me tacente intelligeret. Plautus Curculion. Act. 5. Sc. penult.

Tu ut hodie adveniens cœnam des sororiam,
Hic nuptialem cras dabit.

Rursus Sc. ult.

Tu, miles, apud me cœnabis: hodie fient nuptiæ.

Cicero lib. 3. Epist. ad Q. fr. *Pridie idus scripsi ante lucem. Eo die apud Pomponium in ejus nuptiis eram cœnaturus.* Juvenalis, Sat. 6.

— Ducendi nulla videtur
Causa, nec est quare cœnam & mustacea perdas.

Sueton. in Calig. cap. 25. *Alii tradunt, adhibitum cœnæ nuptiali, mandasse ad Pisonem, contra accumbentem, Noli uxorem meam premere: statimque è convivio abduxisse eam secum.* Auson. in Epist. ad Paulin.

Natalis si forte fuit solennis amico,
Conjugioque dapes, aut sacra repotia patrum.

Has *epulas geniales* Claudianus *lib.* 2. *de Raptu Proserp.* vocat. Exstat utique in Symposiac. Plutarchi caput, quo tractatur, Διὰ τί πλείους ἐν γάμοις ἐπὶ τὸ δεῖπνον καλοῦσιν. Leges sane sumtuarias, quibus effervescens Romanorum luxuriæ æstus coercebatur, nuptiis aliquid indulsisse, & de præscripta victus ac cœnarum tenuitate remisisse, accepimus. Lex siquidem Licinia cum in certos quosdam dies centenos æris impendi permisisset, nuptiis ducenos indulsit.

Lex vero Julia, quæ ad populum Cæsare Augusto imperante pervenit, profestis diebus ducentos finiit: Calendis, Idibus, Nonis, & aliis quibusdam festivis, trecentos. Nuptiis autem & repotiis H. S. millies esse concessit, quemadmodum Gellius *lib.* 2. *cap.* 24. refert. Ut autem nuptiis apud virum cœnabatur; ita sponsaliorum nomine convivium præberi sponso à puellæ parentibus consuevisse, non male mihi videor ex his Ciceronis verbis conjicere, quæ sunt lib. 2. Epist. ad Q. fratrem: *Ad* 8. *Idus April. sponsalia Crassipedi præbui. Huic convivio puer optimus Quintus tuus, meusque, quod perleviter commotus fuerat, defuit.* Satagebant profecto veteres, ut quam maxima populi frequentia, celeberrimoque, prout ipsi loquebantur, officio, nuptæ deducerentur. Suet. in Calig. cap. 25. *Liviam Horestillam, C. Pisoni nubentem, cum ad officium & ipse venisset, ad se deduci imperavit.* Idem *in Neron. cap.* 28. de Sporo agens, *Cum dote,* ait, *& flammeo per solenne nuptiarum celeberrimo officio deductum ad se, pro uxore habuit.* Quintilianus Declamation. 306. *Aspice illam virginem quam pater tradidit, euntem die celebri, comitante populo.* Eaque ratione feriis publicis & festis diebus virgines contra atque viduas minime nupsisse Plutarch. ἐν Αἰτίοις scribit, ὅτι τοῖς μὲν παρ-

παρθένοις καλὸν μὴ ὀλίγων, παῖς δὲ χήρᾳ αἰσχρὸν πολλῶν ὄντων γαμεῖν. Enimvero Carthagini maritis novis multa fuiſſe convivia obeunda, ſed & ſportulas civibus erogandas, Apuleius *Apologia pro ſe ipſo ſecunda* indicat. Quorum ſumtuum moleſtiis ut ſuperſederet, in ſuburbana ſe villa potius quam in oppido uxorem duxiſſe profitetur.

Tibiam utique nuptialibus feſtivitatibus interveniſſe, non pauci auctorum loci declarant. Plaut. Caſina:

Age, tibicen, dum illam educunt huc novam
nuptam foras,
Suavi cantu concelebra hanc plateolam.

Terentius Adelph. Act. 5. Sc. 7.

——— Verum hoc mihi mora eſt,
Tibicina, & hymenæum qui cantent.

Et mox:

——— Miſſa hæc face,
Hymenæum, turbam, lampadas, tibicinas.

Cicero, aut Cornificius, lib. 4. Rhetoricor. ad Herenn. *De parte ejus matrimonii commovebant?* (aut, ut alias, *commonebant?*) *Nam hic omnis ſanctimonia nuptiarum, uno ſigno tibiarum intelligitur.* Apuleius lib. 4. de Aſino aur. *Iam feralium nuptiarum miſerrimæ virgini choragium ſtruitur. Iam tædæ lumen atræ fuliginis cinerem arceſſunt, & ſonus tibiæ Zygiæ* (ea enim recta eſt, quam & Beroaldus amplectitur, lectio) *mutatur in*

querulum Lydii modum, Claudianus in Epithalamio:

Dicant pervigiles carmina tibiæ.

Præterea Talassionem in nuptiis Romanos, non secus atque Græcos Hymenæum, inclamare consuevisse, sciendum est. Unde Martial. Epigr. 36.

Quid si me jubeas Talassionem
Verbis dicere non Talassionis.

Idem lib. 12. Epigrammat.

Nec tua defuerant verba, Talasse, tibi.

Quam acclamationem ex eo inolevisse, Livius *lib.* 1. auctor est, quod in Sabinarum raptu, virgo una, longe ante alias specie & pulchritudine insignis, à globo cujusdam Talassii rapta fuerit: multisque sciscitantibus cuinam eam ferrent deducendam; ne quis violaret, Talassio eam ferri clamitatum. Qua de causa vocem hanc nuptialem factam, & ad posteros inde manasse, Plutarchus quoque *in Romulo & in Αἰτίων libro* censet. Eusebius etiam *in Chronico*, secundum B. Hieronymi versionem, Sabinæ, ait, *rapta anno ab urbe condita tertio; & una virginum pulcherrima, cunctorum acclamatione rapientium, Talassio, duci Romuli, decernitur. Vnde in nuptiarum solennitatibus, Talassio vulgo acclamitant, quo scilicet talis nupta sit, qua Talassium habere mereatur.* Hanc eandem acclamationis hujus nuptialis rationem

nem Servio quoque placuisse video, qui superioribus consentit ad eum versum lib. 1. Æneid.

Pergama cum peteret, inconcessosque hymenæos.

Nonnullis tamen, ad lanificium vocis hujus originem causamque referendam esse, videbatur. Qua in sententia Varronem fuisse Sex. Pomp. testatur, *Talassionem*, inquiens, *Varro ait signum esse lanificii. Talassionem enim vocabant quasillum, qui alio modo appellatur calathus: vas utique lanificiis aptum.* Itaque Plutarch. ἐν Αἰτίοις, inter ceteras decantati in nuptiis Talassionis rationes, hanc primo loco ponit: Πότερον ἀπὸ τῆς παλαισίας; τὴν γὰρ τὸν πάλαρον πάλαυθον ὀνομάζουσι. Quæ verba concisius quam par esset interpres ita convertit: *An propter lanificium quod quasillum vocatur?* Plenius quippe ita verti debuit: *An propter lanificium? Etenim calathum talantum nominant.* Sed quid, quæso, sonat dictio πάλαυθον? Equidem Romanam eam fuisse, vel Latio donatam, nusquam reperi. Interpres ejus loco κιβώτιον legisse videtur. Quæ quidem vox pura puta Latina est, vel ipso Servio teste, qui *in* 2. *Eclog. Virgilii*, quem Græci κάλαυθον vocant, Latine *quasillum* dici admonet: citatque illud Cicer. Philippic. *At vero inter quasilla pendatur aurum.* Sed ad Talassionis origi-

nem nequaquam vox ea accedit, ac ne alludit quidem. Sunt quibus pro πάλωθρον, legendum videatur κάλαθον. Quod probare non possum, tum quia calathus vox Græca est, &, ut Eustath. *in* 5. *Iliad.*, 9. *ac* 10. *Odyss.* scribit, ἀπὸ τῶν κάλων ἤτοι ξύλων κυκλοειδῶς θεόντων ἢ γυρευμάτων nomen invenit: tum quia Talassionis origini non magis quam quasillum respondet. Ego unius ad hujus vulneris medelam Sex. Pompeii opera uti nos posse censeo, qui in eo, quem supra produxi, loco, priscos Romanos quasillum talassionem vocasse scribit: quod tamen vocabulum vetustatis situ obrutum est. Ac proinde apud Plutarchum, inepto παλάντῳ nomine expuncto, παλαστιόνα vel πάλαστον reponendum opinor. Necesse est enim, si auctoris mentem sartam tectamque servare volumus, πάλαρος vocem Græcam Romana aliqua, ex qua talassionis vox fluxisse ac manasse sono ipso judicetur, pensare. Τάλαρος porro, & παλαστία, & παλάσιος, vocabula Græca sunt. Quorum posteriora duo valde corrupte apud Suidam, non quidem auctoris, sed librarii vitio, exposita lector offendet. Illic enim πάλαστον, ἔργον ἢ ἱερουργία· παλαστία, ἱερουργία· παλάστιος, ἱερέργος, vitiosissime definiuntur, quandoquidem ad lanificium, non ad sacrificium, hæ voces pertinent. Idcoque, ἱερουργία & ἱερέργος, pro recta interpretatione

pretatione reponi debent. Quod Hesychius consultus satis comprobabit. Quamquam hic error manifestior est, quam ut cujusquam auctoritate convincendus sit. Plane inter τὸ γυναικηϊσπὸς σκεύη, παλάρας καὶ κάλαθος Pollux *lib.* 5. *Onomast.* numerat. Notat & Hesychius, κάλαθον, γυναικεῖον σκεῦος εἰς ἐρίων ἀπόθεσιν, significare. Sic apud Virgil. lib. 7. Æneid.

— Non illa colo, calathisve Minerva
Feminea assueta manus. —

Ovid. lib. 2. Fastor.

Ante torum calathi lanaque mollis erat.

Alias, tam πάλαρος, quam κάλαθος, τυροκνημεῖον significant, ut ex Polluce *lib.* 1. *cap.* 11. & *lib.* 7. *cap.* 10. & Eustathio *in* 4. *Iliad.* liquet, qui παλάρας vocem inde deducit, quod πάλας, ἤτοι πλήμων, εἴη πρὸς τὸ ἄρειν τὰ ἐν θέμενα. Inde apud Virgil. *libr.* 3. *Georgic.* Servius calathos vasa ænea exponit, quibus lac vel recens caseus in urbem distrahitur. Ceterum, ut hunc locum concludam, lanificiis priscas matronas valde deditas fuisse, præcipuamque his curam & operam impendisse constat. In federe certe inter Roman. & Sabinos percusso, lex hæc atque conditio dicta est, ut volentes nuptæ apud viros quibus conjunctæ erant, manerent, omnium operum ac munerum vacationem, præterquam lanificii, habituræ, ut est à Plutar. *in Romulo*

me-

memoriæ proditum. Inde Juvenalis, *Sat. 6.* veterum mulierum continentiam ac temperantiam prædicans,

—— *Et vellere*, ait, *Tusco*
Vexata, duraque manus. ——

Cujus moris tot sunt à D. Tiraquello, altero nostri seculi Varrone, *in lib. de Legib. connubialib.* congesta testimonia, ut multitudine sua lectorem pæne obruant.

Enimvero nuces à novis maritis jaci & pueris spargi consuevisse, indicant Catullus & Virgilius. Ille siquidem in carmine de nupt. Jul. & Manl.

Ne nuces, inquit, *pueris neget*
Desertum domini audiens
Concubinus amorem.
Da nuces pueris, iners
Concubine: satis diu
Lusisti nucibus.

Virgilius vero Ecloga. 8.

Sparge, marite, nuces: jam deserit Hesperus Oetam.

De cujus moris causa parum video inter veteres convenisse. Varro quidem, teste Servio ad eum Virgilii, quem modo protuli, versum, spargendarum nucum hanc esse rationem putabat, *ut Iovis omine* (ita quippe legi rectius credo, quam *omne*) *matrimonium celebraretur: ut nova nupta matrona esset, sicut Iune. Nam nuces in tutela erant Iovis:*

Iovis: Vnde & juglandes vocata, quasi Iovis glandes. Quod ab Isidoro quoque *lib.* 17. *cap.* 7. notatum est. Illud vulgare fuisse, idem Varro tradiderat, idcirco sparsas nuces, ut à rapientibus pueris fieret strepitus, ne puellæ vox virginitatem deponentis posset audiri. Aliis placuit, ea id gratia factum, ut se puerilibus omnibus ludis renunciare, & juvenilia cuncta ludicra relinquere, maritus eo indicio testaretur. Quo sensu Persius dixit,

— *Et nucibus facimus quæcumque relictis,*
Cum sapimus patruos. —

At Plinius diversam reddit, quintamque insuper perstringit hujus moris rationem, lib. 15. Natur. histor. cap. 22. *Nuces*, ait, *juglandes quamquam & ipsa nuptialium Fescenninorum comites, multum pineis minores universitate, eadem portione, ampliores nucleo. Necnon & honor his naturæ peculiaris, gemino protectis operimento, pulvinati primum calicis, mox lignei putaminis. Quæ causa eas nuptiis fecit religiosas, tot modis fetus munito. Quod est verisimilius quam quia cadendo tripudium sonumve faciant.*

Nubentibus utique, prætextis depositis, à multitudine puerorum, quos ad eam celebritatem frequentes convenisse nemini dubium est, obscœna clamabantur; versusque mollicie ac lascivia diffluentes, maxima, nec ulli reprehensioni obnoxia licentia occinebantur.

bantur. Quos verſus Feſcenninos vocabant, ſive quod ex urbe Feſcennina allati eſſent, ſive quod faſcinum arcere putabantur. Servius *in* 7. *Æneid.* ad ea verba,

Hi Feſcenninas acies,

Feſcenninum ſcribit oppidum eſſe Campaniæ, ubi nuptialia carmina ſunt inventa. Seneca *lib.* 4. *Declamation.* de ſervo loquens qui dominæ nupſerat, *Inter nuptias*, inquit, *& Feſcenninis in crucem generi noſtri jocabantur.* His enim verſibus libere & joculariter multa in ſponſos ſponſaſque jaciebantur. Catullus in Epithal. Jul. & Manl.

Ne diu taceat procax
Feſcennina locutio.

Varro *Agathone*, ut eſt apud Non. Marcellum: *Pueri obſcœnis verbis novæ nuptulæ aures reſtaurant.* Quæ verba, quantum conjectura adſequi poſſum, ad argumentum quo de agimus pertinebant. Martian. Capella lib. 9. de nupt. Philolog. *His Hymenæo diutius velut Feſcennina quadam licentia perſonante, geminànteque crebrius.* Seneca in Medea, Choro primo:

Hinc illinc, juvenes, mittite carmina:
Feſta dicax fundat convitia Feſcenninus.

Claudianus in Epithalamio:

Dicant pervigiles carmina tibiæ:
Permiſſiſque jocis turba licentior
Exultet tetricis libera legibus.

Auſonius

Ausonius in Parecbasi Centonis nuptialis: *Hactenus castis auribus audiendum mysterium nuptiale ambitu loquendi, & circuitione velavi. Verum quoniam Fescenninos amat celebritas nuptialis, verborumque petulantiam notus vetere instituto ludus admittit, cetera quoque cubiculi & lectuli opera prodentur.* B. Hieronym. in Epist. ad Demetr. de Virginit. servand. *Quam habitura pronubam? Quo deducenda comitatu? Stridor Punica lingua procacia tibi Fescennina cantabit.* Idem in Epist. ad Gerontiam: *Responde mihi, carissima in Christo filia. Inter ista nuptura es? Quem acceptura virum? Cedo? fugitivum; an pugnaturum? Quid utrumque sequatur intelligis: & Fescennino carmine terribilis tibi rauco sonitu buccina concrepabit, ut quas habeas pronubas, habeas forte lugentes.* Erant autem Fescennini versus joculares, incompositi, rudes, qui temere alternis jaciebantur.

Horatius lib. 2. Epistol.

Fescennina per hunc invecta licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica fudit.

Livius lib. 7. *Non sicut ante Fescennino versui similem, incompositum, temere ac rudem alternis jaciebant.* Atque hujus nominis versus in Pollionem scripsisse Augustum, Macrobius *lib.* 2. *Saturn. cap.* 4. auctor est.

Interea vero lectus nuptialis componebatur.

tur. Eum autem proprio nomine *genialem* quasi *generalem* appellatum, Servius *in* 6. *Æneid.* ostendit: Geniales scribens eos proprie esse lectos qui puellis nubentibus sternuntur, dictosque ita à generandis liberis. Cicero pro Cluentio: *Lectum illum genialem, quem biennio ante filiæ suæ nubenti straverat, in eadem domo sibi ornari & sterni, expulsa atque exturbata filia, jubet.* Apuleius lib. 10. de Asino aur. *Et mulierem, quam dixit propter multiforme scelus bestiis esse damnatam, meisque præclaris nuptiis destinatam. & torus nuptialis noster futurus accuratissime desternebatur: Lectus Indica testudine perlucidus, plumea congerie tumidus, veste serica floridus.* Idem lib. 9. *Quæ, suo pudore postposito, tori genialis calcato fœdere, larem mariti lupanari maculasset infamia.* Toga vero sterni lectos, & maritorum genios advocari consueviſſe, Arnobius *lib.* 3. *adversus gentes*, mores vetustate obliteratos recensens, testis est. Et hinc fortasse *sacri genium lecti* Juvenalis *Sat.* 6. dixit.

Etiam hoc addam, quod nisi à B. Augustino non semel detectum esset, libens suppressissem, super Priapi fascinum novam nuptam considere jussam. Quemadmodum ille *lib.* 7. *de Civitat. Dei cap.* 24. *ad fin.* & apertius *lib.* 6. *cap.* 9. scribit his verbis: *Sed quid hic dicam? cum ibi sit & Priapus nimis masculus:*

culus: ſuper cujus immaniſſimum faſcinum ſedere nova nupta jubebatur, more honeſtiſſimo ac religioſiſſimo matronarum. Quam obſcœnitatem perſtringere credo Lactantium *lib. 1. de falſa religion. cap. 20.* cum ait: *Et Mutinus* (vel, ut quidam codices habent, *Tutinus*) *in cujus ſinu pudendo nubentes reſident, ut illarum pudicitiam prior deus delibaſſe videatur.* Ita quippe lego, non ſicuti vulgo ſcriptum eſt, *deliberaſſe.* Priapo vero, ut ne fœda hæc veterum impietas intacta relinquatur, genitale membrum cum falce affingebant, quo & pueros & aves in hortis, quibus præeſſe credebatur, terreret. Virgilius in Copa:

Eſt tuguri cuſtos armatus falce ſaligna:
Sed non & vaſto eſt inguine terribilis.

Tibullus Eleg. 1.

Pomoſusque ruber cuſtos ponatur in hortis;
Terreat ut ſæva falce Priapus aves.

Columella lib. 10.

— Sed truncum forte dolatum
Terribilis membri, medio qui ſemper in horto
Inguinibus puero, prædoni falce minetur.

Auctor Priapeor.

Priape, quod ſis faſcino tentus gravi.

Et alias:

Soles ſacrum revinctus pampino
Ruber ſedere cum rubente faſcino.

Pleni ſunt teſtimoniorum, poetarum libri:

bri: quibus omiſſis, ad exitum feſtinans, quod ſupereſt expediam.

Nuptam deinde in lecto pronubas collocaſſe ſciendum eſt. Donatus *in Terentii Eunuch.* ad ea verba,

Deinde eam in lecto collocarunt,

Verbum hoc, ait, *proprium eſt, & adſcribitur pronubis*. Quo in ſignificato verbum hoc in Catulli verſibus quos ſtatim proferam obſervandum eſt. Idem Donatus *in* 1. *Æneid.* pronubas in obſequio nubentium fuiſſe tradit. Lampridius de Heliogabalo: *Nupſit & coiit, ut & pronubam haberet.* Claudianus lib. 2. de Raptu Proſerp. (*juxta*

Ducitur in thalamum virgo; ſtat pronuba Stellantes nox picta ſinus; tangenſque cubile,
Omina (ſic enim lego) *perpetuo genitalia federe ſanxit.*

Ad hujuſmodi autem officium, ſpectatæ pudicitiæ mulieres, & quæ uni duntaxat viro nupſiſſent, adhibebantur: quo matrimonii perpetuitatem, quemadmodum Sex. Pomp. auctor eſt, auſpicarentur. Unde Catullus in Carm. de nupt. Jul. & Manl.

Vos unis ſenibus bonæ
Cognitæ bene feminæ
Collocate puellulam.

Tertul. *in lib.* qui *Exhortatio ad caſtitatem* inſcribitur: *Monogamia apud Ethnicos in ſummo honore eſt, ut & virginibus legitime nubenti-*

nubentibus univira pronuba adhibeatur, & sic auspicii initium sit. Sed & B. Hieronym. *in calce libri primi adversus Iovinian.* Unicubas semper habuisse inter gentiles matronas decus merito dicit: per illasque solas fortunæ muliebri sacra fieri consuevisse. Eodemque libro, quæ fuerit alienarum à religione nostra mulierum de secundis nuptiis opinio, multis exemplis, accurate conquisitis, docet.

Atque hæc sunt Nuptiarum omnia, quæ quidem non incuriose legendo veterum scripta observare potui, solennia. De quibus in genere apud Tacit. *lib.* 11. fit mentio, cum inquit: *Cuncta nuptiarum solennia celebrat.* Et lib. 22. *Necdum celebrare nuptiarum solennia audebant.* Sic etiam pompam & nuptiarum celebritatem accipe in Theodos. & Valentinian. constitutione *a*. Ob eamque solennium multitudinem credo à Ciceron. *lib.* 6. *de Repub.* dictum fuisse, *firmiter majores matrimonia stabilita esse voluisse.* Quæ verba à Prisciano *lib.* 15. referuntur.

Postridie vero nuptiarum apud novum maritum cœnabatur: &, quia quasi instauraretur redintegrareturque potatio, eum diem *Repotia*, Sex. Pomp. teste, appellabant. Horat. lib. 2. Serm. Sat. 2.

Ille repotia, natales, aliosve dierum

Festo

a in l. si donationem. C. de nupt.

Festos albatus celebret. —

Sumtibus certe, qui in eos dies fierent, modum legibus sumtuariis statutum, Gellius *lib.* 2. *cap.* 24. memorat. Meminit & *Repotiorum* Ausoni: in eo *Epistola ad Paulinum*, quem paulo ante retuli, loco. Hinc hodieque (etsi hoc erit fortasse durius: sed tentemus, & lusisse putemur si nil sit) in quibusdam Aquitaniæ regionibus, eum diem qui nuptias consequitur, *Repentalia* nominant, non tam à pœnitentia, quam corrupta voce à repetita potatione, quasi *Repotalia*. A Græcis eum diem ἐπαύλια vocari, Pollux *lib.* 3. *Onomast.* testis est. *Repotiorum* certe vocabulo, pro repetita & iterata crapula Apuleius *Apolog.* 1. usus est. Novæ autem nuptæ munera à cognatis & propinquis mittebantur. Eaque sunt Nuptialia munera apud jurecon-sultos *a*. At apud Cicer. *pro Cluentio Avito*, & Apuleium *lib.* 6. *de Asino aur.*, Nuptialia dona ea accipienda sunt, quæ ante contractas nuptias, mulieri à viro offerebantur. Postridie vero nuptiarum, nova nupta libertatem auspicans uxoriam, in domo viri rem divinam faciebat, ut est à Macrob. *lib. Saturn. cap.* 15. proditum. Atque hic hujus libri finis esto.

B. BRIS-

a in l. 1. §. sed si. D. de tutel. & rat. dist. l. tutor secundum, 13. §. 2. D. de administ. tut.

B. BRISSONII, J.C.,

Et in ſuprema Pariſienſi curia Præſidis,

DE

JURE CONNUBIORUM.

Liber Singularis.

SOlennes nuptiarum ritus ita ſunt à me proprio libro expoſiti, ut vix quicquam ad plenam & perfectam ejus argumenti cognitionem jure ac merito deſiderari poſſe videatur. Huic conſequens duxi, alterum de juſtis injuſtiſque Quiritium nuptiis librum adjungere. Superiori enim tractatui hoc veluti cumulo additio, juris civilis & antiquitatis Romanæ ſtudioſis hac in parte ſatisfactum iri arbitror: quibus non modo, quo ritu, ſed & inter quas perſonas olim juſtæ ac legitimæ nuptiæ contraherentur, utriuſque libri conjunctione planum fiet. Atque ut via & arte procedat oratio, à qua ætate juſtæ nuptiæ contraherentur, primum diſpiciendum eſſe cenſeo. Nam, cum nuptiis habilem ætatem conſtituerimus, ad alias inſpectiones veniemus: &, ad certa veluti capita omnia nuptiarum impedimenta revocantes, facilem, ni fal-

Bayerische Staatsbibliothek München

lor, lectoribus, ejus quæstionis, quam tractandam suscepimus, cognitionem relinquemus.

Igitur, ut ab ætate ordiamur, in matrimoniis contrahendis ætatem contrahentium definitam esse, Modestinus *lib.* 4. *differentiarum* scribit *a*. Ea vero definita ætas pubertas est, vel ipso Justiniano teste, qui justas nuptias inter se cives Romanos contraxisse tradit *b*, qui secundum præcepta legum coibant; masculos quidem puberes, feminas autem viri potentes. Cui accedere Dionis testimonium velim, qui *lib.* 54. ita scribit: Δώδεκα γὰρ ταῖς κόραις ἐς τὸν γάμον ὥραν ἔτη πλήρη νομίζεται. A duodecimo siquidem anno pubertatem feminas auspicari, prudentibus placuit: ex eoque tempore Romæ puellæ nuptum dabantur. Id quod ea ratione factum Plutarchus interpretatur *c*, ut celerius conjugum mores tenella adhuc ætate imbiberent, & ad obsequium virorum facilius flecti fingique possent. Aliter atque Spartæ servabatur, in qua adultiores demum virgines, & plenis nubiles annis, viris in matrimonium collocabantur. Verba Plutarchi, quæ hanc institutorum utriusque gentis diversitatem declarant, hæc sunt: Τῷ μὲν Λυκούργῳ πεπείρως καὶ ὡρῶσας συμφέρον, ὅπως ἥβης μετάλλαξαν.

a l. in sponsalibus. 14. D. de sponsal. *b* Institut. de nupt. in princ. *c* in Numa.

λία, δεομένης ἤδη τῆς φύσεως, χάριτος ἢ κὴ φιλίας δεχομένου μᾶλλον, ἢ μίσους κὴ φόβου ἀφ' ἧς φύσιν βιαζομένων, κὴ τὰ σώματα ῥώμην ἔχη πρὸς τὸ τὰς κυήσεις ἐπιφέρειν, κὴ τὰς ὠδῖνας, ὡς ἐπ' ὠδῖν ἄλλο χαμευνιόων ἢ τὸ τῆ τεκνώσεως ἔργον. Τῆ Γ' ωμαίων δωδεκαετεῖς κὴ νεωτέρας ὑπανδρεύοντων. ὅτω γὰ ἂν μάλιστα κὴ τὸ σῶμα κὴ τὸ ἦθος ἁρμόττον κὴ ἄδικον ἐπὶ τῆ γαμουμένη γένηται. δῆλον δ' ἂν εἴη ὅτι τὰ μὲν φυσικώτερον πρὸς τέκνωσιν, τὰ δὲ ἠθικώτερον πρὸς συμβίωσιν. Ex eo vero tempore pubertatem in feminis legibus definitam, quod generationi essent ab eo anno aptæ, Macrobius *lib.7.Saturnalium* ita scribit: *Nec hoc tacebo*, ait, *quod, cum calor semper generationis causa sit, femina ideo celerius, quam pueri, fiunt idoneæ ad generandum, quia calent amplius. Nam & secundum jura publica duodecimus annus in feminis, quartus decimus in puero definiunt pubertatis ætatem.* Idemque auctor *lib.1.Commentarior. in Somn. Scipionis*, post annos bis septem generationis vim in masculis moveri scribit. ideoque & tutelam pueris, quasi virile jam robur adsit, absolvi: ab ea tamen feminas, propter votorum festinationem, maturius biennio, legibus liberari. Aristoteles quoque, his consentiens, *lib. 7.* περὶ ζώων ἱστορίας, Τὰ θήλεα θᾶττον τ' ἀρρένων κὴ νεότητα κὴ ἀκμὴν λαμβάνειν, tradit. Indeque testamenta feminis citius quam masculis

facere licet *a*. Ceterum si minor 12 annis domum pro uxore deducta esset, non ante justa & legitima uxor fiebat quam apud virum duodecimum annum implesset *b*. Sed nec prius à viro dos, ejus nomine promissa, peti poterat. Nam cum omnis dotis promissio tacita futuri matrimonii conditione suspendatur *c*, ante duodecim annorum ætatem, nondum utiliter secuto matrimonio, dotis petitio viro non competebat. Quapropter si ante impletum duodecimum annum repudiata conditione discessisset, pecuniæ in causam dotis numeratæ, quæ dos fieri nuptiis minime secutis non potuerat, exemplo dotis, condictio ei dabatur, cum iisdem tamen privilegiis quæ actioni de dote concedebantur. At, cum apud virum major 12 annis esse cœperat, tum matrimonio subsistente, in dotem pecunia numerata vertebatur. Interim vero dum pubertas conjugis exspectabatur, siquidem sponsalia intercessissent, quamvis uxorem putaret esse qui duxerat, sponsæ tamen vice ea habebatur *d*, eique vitium oblatum maritus sponsi loco persequi ex Severi rescripto poterat *e*.

a l. à qua ætate. 5. D. de testament. *b* l. minorem. 4. D. de ritu nuptiarum. *c* l. dotis promissio. 68. D. de jure dotium. *d* l. cum hic status. 32. §. si quis sponsam. 27. D. de donat. int. vir.

terat *a*. Quod si sponsalia non antecessissent, nec pro sponsa nec pro uxore haberi poterat. Nec eo magis donationes ei factæ valebant, utpote quæ quasi ad uxorem, non quasi ad extraneam, factæ essent. Quamquam autem nuptiæ cum minore 12 annis non consisterent; in patrem tamen, qui filiam minorem duodecim annis nuptum collocasset, auctorque ei factus esset ad contrahendum, actio in factum, ex edicto *Quod falso tutore auctore gestum est*, non dabatur *b*. Ignoscendum enim patri prudentes censuere, si filiam suam maturius in viri familiam perducere voluerit. Præsumtum est quippe, propensiori potius in filiam affectu, quam viri in fraudem illiciendi causa, hujusmodi nuptias eum coneiliasse. Quam conjecturam capi, paterna pietas & naturalis erga liberos caritas suadet. Non modo autem in matrimonio, sed ne in concubinatu quidem, minor annis duodecim puella haberi jure licito poterat *c*.

Post ætatis vero inspectionem, ad justam matrimoniorum conjunctionem, status ac conditionis eorum, qui matrimonio jungerentur, ratio habenda erat. Ac primum inter liberas ac serviles personas, nuptias olim

a l. si uxor. 13. §. divus. 3. & §. si minor. 8. D. ad l. Jul. de adult. *b* l penult. §. 3. D. quod falso tut. *c* l. 1. in fin. D. de concub.

non constitisse, certo certius *a* est. Quinimo libera mulier, quæ cum alieno servo post trinam domini denunciationem in consuetudine perseveraſſet, Senatusconsulto Claudiano, quod à Justiniano sublatum *b* est, libertatem amittebat, servitutique vindicabatur, quemadmodum Ulpianus *in fragmentis Titulorum c*, & Tertullianus *d*, significant. Quamobrem, si ancilla libero nupsisset, dotisque nomine pecuniam numeraſſet, sive sciſſet ancillam se esse, sive ignoraſſet, nec matrimonium erat, nec viri ea pecunia prius fiebat, quam tempore legibus statuto penes se pro suo habitam ac possessam eam usu cepisset. Plane, si apud virum ad libertatem perveniſſet, conciliabatur convalescebatque matrimonium: exindeque dotis nomen, si necdum usucapio impleta esset, sortiebatur: matrimonioque soluto, ejus, ut dotalis, repetitio competebat *e*.

Justa vero matrimonia non inter liberas quascunque passim personas, sed inter solos cives Romanos contrahebantur *f*. Nam cum Latinis peregrinisque connubium, nisi id eis conceſſum esset, non erat. Testes sunt Ulpianus *in Titulorum fragmentis g*, & Boethius

a l. si neget. D. de liber. l. Proculus. 67. D de jure dot. l. 3. C. de inceſt. nupt. *b* Rubr. de Senat. Claudian. tol. *c* Tit. 11. §. 10. *d* in lib. 2. ad uxor. *e* l. Proculus. 67. D. de jure dotium. *f* Institut. de nupt. in princ. *g* Tit. 5. §. 3.

thius *in commentar. ad Topica Ciceronis*. Ex quo Seneca lib. 4. de benefic. *Promiſi tibi*, ait, *filiam in matrimonium: poſtea peregrinus apparuiſti. Non eſt mihi cum extraneo connubium.* Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 6: *Libertinis vero nullo jure uti prætextis licebat, ac multo minus peregrinis, quibus nulla eſſet cum Romanis neceſſitudo.* Itaque maximam apud populum invidiam Antonio conflavit, ab eo contra leges ac patriæ inſtituta contractum cum Cleopatra conjugium. Cujus facti indignitatem Plutarchus abſque nota prætereundam non cenſuit. Sic enim *in ejus cum Demetrio collatione* ſcribit: Ἔπειτα τὸν ἀετὸν τὸν διηλαίως γαμηθεῖσαν ἐξήλασε, τῇ ξενῇ καὶ μὴ κατὰ νόμους συνούσῃ χαριζόμενος. Ægre etiam tuliſſe populum Romanum Xiphilinus narrat, quod Titus Berenicen Ægyptiacam in palatio uxoris loco habebat, ut proinde repudiare eam ſit coactus. Itaque, qui cives Romani non erant, connubii jus, niſi civitate impetrata, non habebant. Memoriæque adeo proditum eſt, Campanos, civitate Romana donatos, & à Cenſoribus Romæ cenſeri coactos, ut ſibi cives Romanas uxores ducere liceret, petiiſſe; &, ſi qui prius duxiſſent, ut habere eas ſibi liceret; utque ante eam diem nati, juſti ſibi liberi heredeſque eſſent. Quorum utrumque eis indultum eſſe, Livius refert *lib.* 37.

Ex peregrino autem & cive Romana qui nascebantur, peregrini nascebantur: quoniam lex Mensia, quæ in hac parte legi naturæ derogabat *a*, ex alterutro peregrino natum, deterioris parentis conditionem sequi jubebat *b*. At ejusmodi peregrinitatis observationem tandem exoleviſſe, significare videtur Prudentius *lib. 2. contra Symmachum*, his versibus:

Distantes, ait, *regione plaga, divisaque ponto*
Litora, conveniunt nunc per vadimonia ad unum
Et commune forum, nunc per commercia & artes
Ad cœtum celebrem, nunc per genialia fulcra
Externi ad jus connubii: nam sanguine misto
Texitur alternis ex gentibus una propago.

At à provincialibus, cujuscunque ordinis aut loci essent, cum Barbaris conjugia contrahi, Valentinianus & Valens prohibuere. quorum de ea re exstat in Cod. Theod. constitutio *c*.

Enimvero patribus cum plebe connubium ne esset, 12 tabulis sancitum erat: quemadmodum Dionysius Halicarn. *lib.* 11. *Antiquit.* cum Livio *lib.* 4. *ab V. C.* narrat. Nam, cum auspicia plebeii non haberent, eaque

a l. lex naturæ. 24. D. de stat. homin. *b* *Ulpian.* in fragment. Tit. 5. §. 7. *c* in l. un. de nupt. gentil.

eaque apud ſolos patricios ſubſiderent; idcirco ne incerta prole auſpiciorum jura turbarentur, inter eos connubium decemviri diremerunt. Quod tamen eorum legis caput non multum poſt temporis, tribunorum plebis contentione ac convitio, abrogatum eſſe, iidem docent.

Senatores etiam, ſenatorumve filii, libertinas uxores ducere prohibebantur. Quæ prohibitio quoniam *ex lege Iulia de maritandis ordinibus* deſcendit, neceſſario nobis ejus legis ſententia, breviter tamen, quoad ejus fieri poterit, explicanda eſt. Nam ab aliis dicta nec repetere, nec interpolare libet. Primum autem admonebo, Julium Octavium Cæſarem Auguſtum, compoſitis inteſtinis externiſque bellis, cum & orbi pacem, & ſibi, bona populi gratia, imperium conciliaſſet, ingraveſcente jam ætate, civitati reformandæ legibuſque ſcribendis animum adjeciſſe. Quam rem, jam factam, ut futuram, Ovidius *lib. ultimo Metamorph.* aſſentatorie ita canit:

Pace data terris, animum ad civilia vertet
Iura ſuum, legeſque feret juſtiſſimus auctor,
Exemploque ſuo mores reget.

Legum autem earum quaſdam ipſemet conſulatum gerens tulit, quaſdam per Coſſ. ordinarios, ſuffectoſve, rogari & ad populum ferri curavit. Etenim, ne antiquum reipu-

blicæ ſtatum peſſumdare ſubvertereque videretur, legem inconſulto ſenatu, & cujus patres auctores prius facti non eſſent, protinus ferendam ſibi eſſe non cenſuit. Quemadmodum Zonaras ita ſcribit: Οὐ μὴν πάντα ἐθελογνωμονῶν ἐνομοθέτει, ἀλλ' ἐσὶν, ἃ καὶ εἰς τὸ δημόσιον προσέλθοι, ὅπως ἄν τι μὴ δρέσῃ, ἐπανορθώσῃ. Et alias: Νόμους δὲ μετὰ τοιῶτα ὁ καῖσαρ ἤνεγκε, καὶ τοῖς βουλευταῖς αὐτὸς ἀναγνῶναι ἐπέτρεψε, ὅπως, εἴ μή τι δρέσκοι, ἢ ἀμεινόν τι νοήσουσιν, εἴπωσιν. Sic per Coſſ. ſuffectos Papiam & Popæam legem de præmiis parentum tulit: quæ propter argumenti adfinitatem Juliæ conjungi ſolet. Quæ leges fama ſe ſupra ceteras, quarum ille princeps auctor fuit, extulerunt. Quota enim pars juris earum legum commemoratione vacat? aut quæ frequentiores occurrunt, quam ex Jureconſultorum ad eas leges commentariis, inſcriptiones? Conſtat namque, non ex catalogo modo qui Pandectis Piſanis præfigitur, ſed & ex capitum inſcriptionibus, leges has Junium Mauritianum libris ſex, Marcellum totidem, Terentium Clementem æque atque Ulpianum viginti, Paulum decem, Caium quindecim, interpretatos eſſe. Quorum ſi nobis ſcripta integra aut Juſtiniani facinus aut temporis injuria reliquiſſet, ſupervacanea & inanis omnis noſtra hæc opera eſſet. Nunc, quoniam, ſi non libenter,

benter, at patienter certe, tanta librorum veterum jactura ferenda est; earum, quæ tanquam ex vasto incendio salvæ ad nos pervenerunt, reliquiarum intuitu, amissorum desiderium leniamus: veteremque tam celebrium legum memoriam, eorum, quæ in manibus habemus, ope, ab oblivionis injuria, qua fieri poterit diligentia, vindicemus. Qua in parte sicubi fefellero, veniam me ab æquis judicibus exoraturum facile confido; eo quod, in tenebris, quod aiunt, micantes, & solis plerumque conjecturis res ignotas investigantes, labi, atque errare, humanum est. Ceterum, lex Julia, cujus capita aliquot explicare instituí, proprium, differentiæ ergo, *de maritandis ordinibus* nomen invenit: ad cujus præcepta Apuleius *Apologia* 2. ita alludit: *Lex Iulia, de maritandis ordinibus, nunquam in hunc modum interdicit: Vxorem in villa ne ducito.* Hanc etiam legem Horatius signat, *in Carmine Seculari*, cum ait,

Diva, producas sobolem, patrumque
Prosperes decreta, super jugandis
Feminis, prolisque novæ feraci
Lege marita.

Eadem lex, apud Ulpianum, *in Institut. tit.* 13 & 14, & *tit.* 15, & apud Juvenalem *Sat.* 6, legis Juliæ appellatione exaudienda est. Sed & ad eam referendum est, quod Ter-

tullianus *lib. adversus Valentinianum* ita scribit: *Credas enim, ubi de loco in locum transmigratur, leges quoque Iulias intervenire.* Complura autem capita habuisse eam legem, non est obscurum. Nam & tricesimum quintum à Martiano memoratur *a*. Potissimum autem illud fuit, quo senatores, liberique eorum, libertinas, & quæ ipsæ, quarumve parentes, artem ludicram fecissent, ducere prohibebantur. quod in hæc verba conceptum fuisse, Paulus testis est *b*: QUI SENATOR EST, QUIVE FILIUS, NEPOSVE EX FILIO, PRONEPOSVE EX FILIO NATO, CUJUS EORUM EST, ERIT: NE QUIS EORUM SPONSAM, UXOREMVE, SCIENS, DOLO MALO HABETO LIBERTINAM: AUT EAM, QUÆ IPSA, CUJUSVE PATER MATERVE, ARTEM LUDICRAM FACIT, FECERIT: NEVE SENATORIS FILIA, NEPTISVE EX FILIO, PRONEPTISVE EX NEPOTE FILIO NATO NATA, LIBERTINO, EIVE, QUI IPSE, CUJUSVE PATER MATERVE, ARTEM LUDICRAM FACIT, FECERIT; SPONSA NUPTAVE SCIENS DOLO MALO ESTO: NEVE QUIS EORUM DOLO MALO SCIENS SPONSAM UXOREMVE EAM HABETO. Quibus legis verbis ex jurecon-

sultorum

a in l. capite 19. D. de ritu nupt. *b* in l. 44. D. de ritu nupt.

ſultorum commentariis congrua interpretatio aptanda eſt. Ait lex, SENATORIS FILIUS. *Senatoris filium*, quemadmodum Ulpian. *lib.* 1. *ad l. Iuliam* exponit *a*, *accipere debemus, non tantum naturalem, verum etiam adoptivum. Nec intereſt, à quo vel qualiter adoptatus ſit.* Quod idcirco Ulpianus addidit, quia, cum per adoptionem dignitas non minuatur, ſed augeatur, etiam natalium ſplendorem ſenatoris filius, inferioris dignitatis homini, veluti plebeio, in adoptionem datus, retinet *b*. Cujus rei exemplum ex Publio Claudio, Appii filio, ſumi poteſt, quem, etiamſi ſe plebeio homini in adoptionem dediſſet *c*, ſenatorem tamen manſiſſe, dubium non eſt. Ac nec jus originis in honoribus ſuſcipiendis, adoptione mutari, verum eſt *d*. Nec illud quidem intereſt, jam in ſenatoria dignitate conſtitutus ſuſceperit filium quis, an ante dignitatem ſenatoriam. Accedens quippe & ſuperveniens patri dignitas, in liberos quoque jam ante procreatos transfunditur *e*. Et ideo decurionis quoque filius non is duntaxat habetur, qui ex patre decurione conceptus & natus eſt; ſed & is, qui ante natus eſt

a l. ſenatoris filium. D. de ſenator. *b* l. per adoptionem. D. de adoption. l. 6. §. 1. D. de ſenator. *c* *Cicero* pro domo ſua. *d* l. ordine. §. ult. D. ad municip. *e* l. 2. §. in filiis. D. de decurion. l. moris. §. parentes. D. de pœnis.

quam decurionis honor patri acceſſiſſet, Nec ſum neſcius, ſuperiori ſententiæ videri quibuſdam refragari Conſtantini conſtitutionem *a* : quæ propter hyperbaton obſcuritate aliqua laborat: aliud tamen nihil ſignificat, quam, filios ac filias, qui quæve ante ſuſcepti ſuſceptæve fuerunt, quam in ſenatorum ordinem cooptati, vel alias, citra ſenatoriam dignitatem, clariſſimorum titulo patres eorum earumve decorati eſſent, clariſſimatus nihilominus dignitate fruituros. quod his, quæ poſuimus, mirifice conſentit. Atque hæc quæſtio ab interpretibus ad filios ante regnum à patre adeptum conceptos ac genitos producta eſt. Quæ controverſia priſcis temporibus inter Xerxem & Arthemenem, Darii filios, incidit: cum hic, utpote natu maximus, ætatis privilegio regnum ſibi vindicaret, quod jus & ordo naſcendi & natura ipſa gentibus dedit : ille vero non ordine, ſed naſcendi felicitate, niteretur; regique ſe primum natum, fratre, qui ante privato natus eſſet, ſuperiorem, contenderet. Quam tamen litem arbiter, ab his addictus, Anaphernes, ſecundum Xerxem dedit *b*. Sed hoc exemplum in ſimili deinde contentione Perſæ ſecuti non ſunt. Nam, cum Paryſatis minorem natu filium Cyrum

a l. ſi ſenator. 11. C. de dignitatib. lib. 12.
b *Juſtin.* lib. 2. hiſtor.

Cyrum Arsicæ, qui postea Artaxerxes nominatus est, præferendum contenderet, eo quod hunc privato, illum regnanti Dario peperisset, explosa hac subtilitate, regnum ad Arsicam delatum esse, Plutarchus *a* auctor est. Sed enim, ne longius à re proposita aberrem, quod ad adoptivum filium attinet, tamdiu eum senatoris filium habendum, Paulus *lib.* 2. *ad l. Iuliam & Pap.* bene monet *b*, quamdiu in familia manet, patrisque adoptivi potestate continetur. Emancipatus enim, tam jus, quam nomen filii, emancipatione amittit; adoptioneque quæsita adgnatio, è potestate dimisso eo, in totum perit. Civile quippe hoc vinculum contrario civili ac legitimo actu, id est, emancipatione, penitus dissolvitur *c*. Ideoque in omni jure, finita patris adoptivi potestate, nullum ex pristino jure vestigium retinetur *d*. Proinde per adoptionem quæsita dignitas emancipatione extinguitur. At naturalibus liberis honorem, natalibus partum, emancipatio non adimit, nec minuit. Quæ enim à genere, à sanguine, ab ipso ortu emancipatis tribuerentur, ea manere eis incolumia constat *a*.

a in Artaxerxe. *b* in l. senatoris filium. D. de senatorib. *c* §. ult. Instit. de cap. dimin. *d* l. per adoptionem. 17. D. de ritu nupt. l. ordine. §. ult. D. ad municipal. l. in omni. D. de adoption.

ſtat *a*. Proindeque, *emancipatum à patre ſenatore, ſenatoris nihilominus filium haberi*, Ulpianus *lib.* 1. *ad l. Iuliam* ſcribit *b*. Idem adjicit, *eum qui poſt mortem patris ſenatoris natus ſit, quaſi ſenatoris filium eſſe*. Aliam vero ejus cauſam eſſe, qui, poſtquam pater ejus è ſenatu motus eſt, conceptus & natus fuerit. Nam quæ patri mortis tempore inhæſit dignitas, ea veluti hereditario jure ad poſteros tranſmittitur: at quæ vivo patre vitio ejus amiſſa eſt, ad liberos poſtea conceptos manare nequaquam poteſt *c*. Plane jam procreatis liberis patris caſum non obeſſe placuit. Similique modo, qui decurione patre editus eſt, licet poſtea pater ejus decurio eſſe deſierit, quaſi decurionis tamen filius, nec in metallum dari, nec aliis plebeiis ſuppliciis affici poterit *d*. Quodſi ante ejus conceptionem dignitate pater exutus ſit, ut plebeii filius in honoribus erit intuendus. Sed nec liberti ingrati delictum, propter quod in ſervitutem revocatur, filiis, ab eo, dum libertate potiretur, conceptis, nocet *e*. Ita, quod ad ſtatum, conditionis tempus ſpectamus.

a arg. l. amiſſione. 5. § ult. cum l ſeq. D. de capitis min. & l. eum qui. D. de interdict. & relegat. *b* l. emancipatum. D. de ſenator. *c* l. ſenatoris filium. D. de ſenatoribus. *d* l. 2. §. in filiis. D. de decurion. l. moris. §. penult. D. de pœnis. *e* l. 5. manumiſſus. C. de libert. & cor. lib.

mus. Benigne tamen, ac ſingulari jure, Juſtinianus conſtituit *a*, ut, ſi curialis fortunæ exortes ultro ſeſe & ſponte ſua curiæ dederint, ab iis, vel poſtquam curiæ adſcripti fuerint, concepti liberi, non curialem, ſed priſtinam patrum conditionem ſortiantur. Ceterum, filii appellatione etiam filia continetur *b*. Et tamen, ut ne ſenatoris filia libertino nubere poſſet, ſenatuſconſulto ſpecialiter prohibitum fuit *c*, licet ad hanc quoque ſpeciem lex Julia porrigi potuiſſe videatur. Ait lex, NEPOSVE. Filii appellatione, ſi nudam ac propriam verborum ſignificationem extra voluntatis cauſam ſpectemus *d*, nepos non continetur. Et ideo nepotem exprimi neceſſe fuit. Porro, ſi quis & patrem & avum habuerit ſenatorem; & quaſi filius, & quaſi nepos ſenatoris intelligitur. Et, quamquam pater amiſerit dignitatem ante hujus conceptionem, avi nihilominus dignitas ei proderit *e*. Sequitur in lege, NE QUIS EORUM SPONSAM UXOREMVE. Senatores igitur, ſenatorumque liberi, libertinas in matrimonio habere prohibentur, ne ampliſſimi ordinis dignitas hujuſmodi conjugii conſortio vileſcat. Eaque de cauſa, cum Acten libertam juſto ſibi matri-

a in l. ult. C. de his qui ſponte munera. *b* l. ſi quis ita. 16. D. de teſtament. tut. *c* l. emancipatum. §. ult. D. de ſenatorib. *d* l. filii. 48. D. de verb. ſign. *e* l. emancipatum. §. ult. D. de ſenat.

matrimonio conjungere Nero cuperet, consulares viros summisisse dicitur *a*, qui regio genere ortam pejerarent. Et Seneca, *lib. 7. Controversiar.*, cum probare niteretur, magnos viros feciſſe ut libertinas uxores ducerent, veluti exempli loco ſubjunxit, *M. Cato coloni ſui filiam duxit uxorem, ſed ingenuam.* Ideoque exemplum propoſitioni non quadrat. Ex quo apparet, quod Diocletianus reſcripſit *b*, uxorem libertam ſuam manumiſſori, *ſi non ſit ex his perſonis, quæ ſpecialiter prohibeantur*, ducere non eſſe interdictum, ſic cum Accurſio accipiendum eſſe, ſi non ſenator ſit, ſenatoriſve filius, nepos. Tam enim ſuas, quam alienas libertas uxores ducere, qui ſenatoris dignitate præditi, ſenatoribuſve orti ſunt, prohibentur. Proinde ſi quam ex familia ſua ancillam, ſenatoris filius, 20 annis minor, ad libertatem matrimonii cauſa perducere ſtudeat, non erit concedendum *c*: quoniam indigne illiciteque hujuſmodi conditionis mulierem ſit ductūrus. Juſtæ ergo non ſunt nuptiæ, quas ſenatorii ordinis viri cum libertinis contraxerint. Cui conſequens eſt, nec dotem eſſe; quæ in ea matrimonia, quæ conſiſtere non poſſunt, minime cadit. Nec enim dos ſine matrimonio eſſe poteſt *a*.

a Sueton. in Neron. cap. 28. *b* in l. uxorem. 15. C. de nupt. *c* l. ſi rogatus. 20. §. 2. D. de man. vind.

teſt *a*. Ubicunque igitur matrimonium non eſt, nec dos eſt: proinde ex hac cauſa caduca dos fiet *b*. Nec tamen, quod Accurſius exiſtimat, fiſco vindicabitur. Hoc enim in inceſtis demum nuptiis locum obtinet *c*. Quo fit, ut ſi libertina ſenatorem quaſi ingenua deceperit, & ei uupta ſit, actio in factum, doli nomine, in eam ex divi Pii reſcripto *d* competat, quod ex dote, quæ nulla eſt, vir lucrum nullum fecerit. Ei quoque, quod poſuimus, conſequens eſt, ex ejuſmodi matrimonio juſtos patri liberos non naſci. Sequitur etiam, rerum amotarum actionem inter perſonas, quæ ita coierint, ceſſare *e*. Ac nec viro, jure mariti, adulterii accuſatio, ob ſtuprum ab ea, quæ, quamvis uxoris animo habita fuerit, uxor tamen eſſe non poſſit, commiſſum, competet: licet propter qualecunque matrimonium violatum, ne peccatum ſuum mulier impune auferat, jure extranei accuſatio admittatur *f*. Quamquam autem nuptiæ non ſint, non eo tamen donationes, quaſi inter conjuges factæ ratæ erunt *g*, ne lucro eis ſit illicita con-

a l. 3. D. de jure dot. *b* l. dote. 61. D. de ritu nupt. *c* l. inceſtæ. 52. D. de ritu nupt. *d* l. à divo. 58. D. eod. tit. *e* l. ſi concubina. 17. D. rer. amot. *f* l. ſi uxor. 13. §. 4. D. ad l. Jul. de adulter. *g* l. 3. §. videamus. D. de donat. int. vir.

conjunctio. Alioquin meliore loco res eorum essent qui contra leges convenirent, quam qui justas & civiles nuptias contraherent: quod utique ratio non patitur. Quapropter, quasi ab indignis ablata, quæ donata testamentove relicta erunt, in fiscum cogentur *a*. Plane, si quis in senatorio ordine agens, libertinam in matrimonium acceperit, quamvis interim uxor non sit, attamen in ea conditione est, ut, si vir dignitatem amiserit, uxor esse incipiat *b*. sic eveniet, ut, quæ ab initio non consistebant nuptiæ, remoto postea obstaculo impedimentoque, convalescant. Atquin, quæ ab initio minus valent, temporis tractu non confirmari, pro regula traditum est *c*. Cui objectioni quidam interpretes ut occurrant, iis nuptiis, quæ ab initio nullius momenti erant, vires, non solius temporis lapsu atque tractu, sed perseverantia consensus, qui post amotum impedimentum durat, accedere dicunt. Eoque pacto regulam contrariam flexu eludunt magis, quam elidunt. Mea hæc fuit semper sententia, & sic in animum induxi meum, regulam illam juris & productam longius, & latius acceptam esse, quam pateat. Ad ea namque duntaxat, quæ testa-

mentis

a l. cum hic status. 32. §. fin. D. de don. int. vir. l. 2. D. de his quæ ut indign. *b* l. si quis in senatorio. D. de ritu nupt. *c* l. quod initio. 29. D. de diverf. reg. jur.

mentis dantur, relinquunturque, pertinere eam, & iisdem prope cum Catoniana regula finibus ac terminis circumscribendam esse, censeo. In quam me opinionem etiam Rufinus impellit, qui eam regulam ita extulit *a*: *Quæ ab initio inutilis fuit institutio, ex postfacto convalescere non potest.* In ceteris vero speciebus, atque causis, falsam eam esse, perspicuum est. Constat siquidem, inutiles ab initio nuptias multis postea ex causis conciliari. Ut ecce, si ancilla libero nupserit, & apud eundem virum libera facta sit, matrimonium, ab initio inutile, convalescit *b*. Pari modo, si minor 12 annis domum ducta sit, licet ab initio nuptiæ non siut, si tamen apud virum duodecimum annum impleverit, justa & legitima uxor fiet *c*. Similiterque, quod contra mandata ab his, qui officium aliquod in provincia gerunt, contractum fuerit matrimonium; si, eo deposito, in voluntate conjuges perseverent, convalescit *d*. Ac, ne in solo nuptiarum sermone hæreamus, etsi pecuniæ alienæ numeratione mutuum non contrahatur *e*, consumtis tamen nummis nasci condictionem, minime est ignotum *a*.

a in l. penult. D. de diverf. reg. jur. *b* l. Proculus. 67. D. de jure dot. *c* l. minorem. 4. D. de ritu nupt. *d* l. eos qui. D. de ritu nupt. l. etsi contra. C. de nupt. *e* l. 2. §. mutui. D. si cert. pet.

tum *a*. Sed, etsi aliena pecunia solvendi causa detur, quamquam liberationem ejusmodi solutio ab initio non pariat, consumta tamen ea ab eo qui accepit, liberatio procedit *b*. Longum esset, exempla omnia, quæ ex libris nostris promi possunt, recensendo enumerare, quibus comprobetur, multa, quæ ab origine effectum non habuere, postea, sublatis obstaculi impedimentique causis, confirmari ac corroborari: ut, extra testamentarias quæstiones superiori regulæ locum non esse, verissime pronunciare mihi posse videar. Atque hæc fuit veteris illius interpretis, cujus non ita pridem in lucem missæ sunt breves *in Tit. de diversis regulis juris antiqui* notæ, sive is Placentinus est, seu quis alius, (nihil enim præter conjecturam habemus,) sententia. Verum, quæ ad alia excurrit, ad institutum jamjam revocetur oratio. Si senatori indulgentia principali fuerit permissum, libertinam justam uxorem habere, posse eam justam uxorem esse, Ulpianus prodidit *c*. Illud olim in dubium venit, si quis, libertinæ nuptiis devinctus, deinde in collegium senatorum cooptaretur, num matrimonium dirimeretur. Vetus quidem jurispru-

a l. nam etsi fur. 13 D. si cert. pet. *b* l. si quis pro eo. 56 §. si nummos. D. de fidejussorib. *c* l. si senatori. 31. D. de ritu nupt

risprudentia ob supervenientem dignitatem nuptias solvi credebat, quando in eum casum res cecidisset, à quo incipere utiliter non potuerat. Quod Justiniano displicuit: qui matrimonium nihilominus manere, & hoc bono eventu uxorem frui voluit *a*. Enimvero, si libertino senatoris filia nupserit, licet postea pater senatu ob turpitudinem moveatur, nihilominus ea justa uxor fiet *b*: cum invidiosum simul & iniquum sit, quæsitam liberis dignitatem propter patris crimen auferri. Senatoris certe filia, quæ artem ludicram, vel corpore quæstum fecerit, aut judicio publico damnata sit, libertino impune nubit *c*. Nec enim huic honos servandus est, quæ tanto se dedecore maculaverit, nominique suo tam insignem ignominiæ notam inusserit. Sed & quæ senatorio quidem sanguine creta non est, ob matrimonium tamen cum senatore contractum clarissimæ feminæ nomen adepta est, mortuo marito, libertino recte nubit *d*. Nam solas senatorum filias, neptesque, à libertinorum nuptiis lex repellit.

Indignos autem hujusmodi nuptiis libertinos haberi, licet se patrono, homini ingenuo, adrogandos dederint, Marcellus *lib*. 1.

ad

a l. ult. C. de nupt. *b* l. generali. 34. §. fin. D. de ritu nupt. *c* l. senatoris. 47. D. de ritu nupt. *d* l. cum te. 10. C. de nupt.

ad l. Iul ſcribit *a*: quandoquidem publica ingenuitatis jura hujuſmodi adrogatione non ſint adepti. Quo pertinet Maſſurii Sabini à Gellio relatus locus, in quo ita eſt *b*: *Libertinos vero ab ingenuis adoptari poſſe, Maſſurius Sabinus ſcripſit. Sed id neque permitti dicit, neque permittendum eſſe unquam putavit, ut homines libertini ordinis per adoptionem in jura ingenuorum invadant. Alioquin, inquit, ſi juris antiquitas iſta ſervetur, etiam ſervus à domino per prætorem in adoptionem dari poteſt.* Et hoc eſt quod ab Ulpiano definitur *c*, *Eum, qui ſe libertinum fatetur, nec adoptando ingenuum facere patronum poſſe.* Tametſi enim libertum ſuum, cauſæ cognitione adhibita, adrogare liceat; tamen in ejus unius perniciem, damnum ac præjudicium, privataque ejus familiæ jura, ea adrogatio valet *d*. Ceterum, ingenuitatis ornamenta omnia adrogato nequaquam confert ac tribuit. A quo non abhorret, quod Syneſius, *epiſtola prima*, lubenter ſe, ſi per leges, acerrimas ingenuitatis patronas, liceret, ſpurios ſuos liberos in locum legitimorum adoptaturum, ſcribit in hunc modum: Παρ' ἐμοῦ δ' ὅπως ἠγαπήθη Δλαφερόντως, ὡς ἥδις' αὐ'τὸν

a l. ſciendum. 32. D. de ritu nupt. *b* lib. 5. noct. Attic. cap. 19. *c* in l. ult. D. de ſtatu hominu. *d* l. cum eum. C. de adoption.

αὐτὸν εἰς ποιήσαν φιλοσοφίᾳ, καὶ τοῖς γνησίοις ἐγχειρῆναι. ἀλλὰ τοῦτο μὴ δ' φασιν ἐπιτρέψειν καὶ οἱ νόμοι τῆς πολιτείας. ἀλλοι γάρ εἰσιν τῆς ἀγενείας ἀφορμαί τινες. Eademque ratione naturalem in servitute quæsitum filium, in potestatem quidem patris, principis beneficio redigi posse, libertinum tamen semper manere, ex Ulpiani *lib.* 4. *ad l. Iul. & Pap.* traditur *a*. Plane liberti alieni adrogatio non admittebatur *b*, ne jure suo manumissor fraudaretur. Quare, si libertum eum esse lique-ret, qui se adrogandum non patrono dare studeret, nequaquam ferenda hæc, quæ patrono facta fuisset, injuria credebatur. Quodsi per obreptionem, conditione sua celata, statuque dissimulato, in alienam familiam cum capite suo fortunas libertus transtulisset, patroni tamen jus integrum nihilominus manebat *c*.

Quæri potest, an, si aureos anulos ab imperatore libertus acceperit, à senatoriis nihilominus nuptiis submoveatur. Quam quidem quæstionem ab Ulpiano *lib.* 1. *ad l. Iul.* tractatam fuisse, suspicor. Eoque referendum esse caput illud quod sub *Rub. de jure aureor. anulor.* à Triboniano relatum est in hæc verba: *Libertinus, si jus*

 aureorum

a in l. ult. D. de adoption. *b* d. l. ult. D. de adoption. *c* l. sed si hac lege. §. patronum. D. de in jus voc. l. 1. §. nepos. D. si quis à parent.

aureorum anulorum impetravit, quamvis jura ingenuitatis, salvo jure patroni, nactus sit, tamen ingenuus intelligitur. Aureorum enim anulorum beneficio, liberti omnia ingenuitatis munia, salvo tamen patronorum jure, cui per principem nihil detrahitur, consequuntur *a*. Eaque de causa aureis anulis honorem libertorum augeri, conditionem non mutari, traditum est *b*. Denique, vivere eos quasi ingenuos, mori ut libertos *c*; quod in eorum bonis omnia sibi patronatus jura patroni vindicent *d*. Longe minor de eo, qui natalibus sit restitutus, dubitatio est. Hic enim per omnia ingenuus fit, perindeque habetur ac si medio tempore maculam servitutis non sustinuisset *e*. Et ideo in hujusmodi restitutionibus patroni voluntas & consensus exquiri ac explorari solet; cui jura omnia, quæ ex manumissione competebant, depereunt.

Præterea senatores, senatorumve filii, eas ducere prohibentur, quæ ipsæ, quarumve pater, mater, artem ludicram fecerint. De patre autem matreque tantum lex loquitur. Et ideo, avum, vel aviam, artem ludicram feciſſe, nihil nocet *a*.

a l. ult. D. de jure aur. anul. *b* l. pen. D. de jure aur. anul. l. sed si hac lege. § sed si jus. D. de in jus voc. *c* l. 1. C. ad l. Viscel. *d* l. etiam. 3. D. de bon. libert. *e* l. 1. 2. 3. D. de natal. restitut. l. imperialis. C. de nupt.

cet *a*. In odiosis enim, quæ interpretatione adjuvanda non sunt *b*, patris appellatione avum non comprehendimus. Veluti in lege Julia de adulteriis, qua patri filiam in adulterio deprehensam occidendi jus datur, patris appellatio ad avum minime porrigitur *c*. Aliter atque in his quæ benigne atque favorabiliter constituuntur; in quibus, patris appellatione avum contineri, justa interpretatione recipitur *d*. Et ita patribus lege Papia servatum jus antiquum avis quoque Nerva, Plinio teste *e*, indulsit. Secundum quæ legem municipalem Parisiensis Præfecturæ, quæ patri, filii sine liberis mortui, certam bonorum speciem defert, Parisiensis curia ad avum producendum esse pronunciavit. Sed & illam principis constitutionem, qua cessiones actionum, mutandi judicii causa, præterquam à patre, filio, & aliis exceptis personis, factæ, inhibentur, avum complecti obtinuit, licet de patre duntaxat loquatur. Patrem autem hic justum intelligimus, sive is naturalis sit, sive adoptivus. In matre nihil refert, justa sit, an vulgo conceperit *f*. Nam mater quidem semper certa est, etiamsi vulgo

a l. lege Julia. §. 2. D. de ritu nupt. *b* l cum quæreretur. D. de lib. & post. *c* l. patri. 20. D. ad leg Jul. de adult. *d* l. justa. 201. D. de verb. signif. *e* in Panegyric. *f* l. lege Julia. 44. §. 3. D. de ritu nupt.

conceperit: vulgo vero quæſitorum incertus pater eſt, cum ſolum populum patrem ciere poſſint. Unde feſtivo ſcommate Diogenes quendam vulgo editum lapides in vulgus jacientem repreſſit; cavendum ei eſſe, admonens, ne patrem ictu offenderet. Quod belle quoque Syneſius *epiſt.* 4. de vulgo quæſitis loquens, expreſſit: Τοῖς γὰρ, ait, ἔστω γεγονόσιν, ἀποδέδεικται μὲν ἡ μήτηρ, ὁ δὲ λοιπὸς τῶν γονέων ἀμφισβητήσιμος. ὅταν οὖν ἀμφοτέροις ἅπαξ τὸ δὶς γεγονόσιν ὀφείλεται, τοῦτο πᾶν ἥκειν ἔοικε τοῖς ἀπαιτόρων εἰς τὰς μητέρας. Solius ergo matris, quam partus ipſe indubitate demonſtrat, merito turpitudo ſpectatur; non etiam patris, quem promiſcuus matris concubitus aut ignotum; aut certe incertum reddit. Quodſi poſt legitime copulatas nuptias ſenatoris ſocer, ſocruſve, artem ludicram facere cœperint, non idcirco ab initio recte contractum matrimonium diſſolvetur. At ſi ipſamet uxor artem ludicram facere cœperit, utique dimittenda erit. Honeſte enim in matrimonio retineri non poteſt.

Ait lex, ARTEM LUDICRAM, veluti mimicam, hiſtrionicam, & quamcunque aliam ſcenicam. Artem enim ludicram facere dicuntur, qui operas ſuas in ſcenam ſaltandi geſticulandive cauſa locant, vel etiam extra ſcenam geſticulantur a.

tur *a*. Athletæ plane, thymelici, xyſtici, agitatores, & qui aquam equis refocillandorum eorum cauſa ſpargebant, ceterique omnes qui ſacris & in deorum honorem inſtitutis certaminibus deſerviebant, item deſignatores, quos βραβευτὰς vocabant, artem ludicram facere non exiſtimabuntur, quemadmodum Ulpianus, *ad edictum prætoris de his qui notantur infamia*, explicat *b*. Eodem jure etiam *Attellanarum actores* habitos obſervavi: quod genus ludorum, ab Oſcis acceptum, juventutem tenuiſſe, nec ab hiſtrionibus pollui paſſam, eoque inſtitutum, ut earum actores, velut artis ludicræ expertes, notæque vacui, neque tribu moverentur, nec à ſtipendiis militaribus repellerentur, Livius *c* cum Valerio Max. *d* ſcribit. Proinde & his jus erat, non cogi in ſcena perſonam ponere; quod ceteris hiſtrionibus pati neceſſe erat, quemadmodum ex Sexto Pompeio Paulus adnotavit *e*. Erant vero Attellanæ, ut eſt à Donato *f* & Diomede *g* ſcriptum, ſalibus atque jocis compoſitæ fabulæ, quæ vetuſtam in ſe elegantiam, delectationemque Italica ſeveritate temperatam, laſcivia ac petulantia vacuam habebant. Eſtque ab Attella id earum nomen,

a l. mater. §. ult. D. ad leg. jul. de adult. l. 2. §. ult. de his qui not. infam. *b* l. athletas. D. de his qui not. inf. *c* lib. 7. ab U.C. *d* lib. 2. c. 1. *e* lib. 14. *f* in Terent. *g* lib. 3. de art. gram.

Oscorum civitate, in qua primum actitatæ sunt, ductum. Quas non in libera tantum Republica, sed vel imperatorum temporibus in usu fuisse, duo Tranquilli loci arguunt. Quorum unus est *in Tiberio a*, in hæc verba: *Vnde nota in Attellanico exodio proximis ludis adsensu maximo excepta percrebuit, hircum vetulum capreis naturam ligurire.* Alter *in Galba b*, his verbis: *Siquidem Attellanis votissimum canticum exorsus, venit losimus à villa: cuncti simul spectatores consentiente voce reliquam partem retulerunt, ac sæpius versu repetito egerunt.* Hoc idem Spartian. *in Hadriano* comprobat: *In convivio tragœdias, comœdias, Attellanas, sambucas, pro re semper exhibuit.* Exodia vero huic fabularum generi inserta, ex superiore Tranquilli loco liquet. Quod & Juvenalis indicat:

Rusticus, inquit, *exodiorisum movet Attellana.*

Livius, qualia ea fuerint, exponit *c* in hunc modum: *Iuventus histrionibus fabularum actu relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus jactitare cœpit, quæ inde exodia postea appellata, consertaque fabulis potissimum Attellanis sunt.* Attellanarum utique probatissimos actores, Nonium & Pomponium, Macrobius memorat: post quos diu jacentem artem Attellaniam suscitasse Mummium

a cap. 45. *b* cap. 13. *c* lib. 7. ab U. C.

mium ſcribit *a*. Ac plane Pomponii, celebris Attellanarum ſcriptoris, apud Senecam *b* fit mentio. Enimvero mimi, pantomimi, hiſtriones, ὀρχησταὶ, qui fracto, molli, atque effeminato geſtu motuque corporis, & muto manuum ſermone, res quaſcunque fictas geſtaſve exprimebant, & ita oculis ſubjiciebant ut manibus quodammodo loqui viderentur, artem ludicram facere procul dubio cenſebantur. De quorum artificioſa ſaltatione, ſi, quæ cogitatione complexus, aut obſervatione conſecutus ſum, ea hic effundere vellem, latiſſimus certe digreſſionis excurſioniſque campus pateret. Sed ne parergis liber hic turgeſcat, magis eſt, ut proprium ei tractationi librum aliquando, ſi Deus dederit, exiturum deſtinemus.

Interim vero, quo loco ac numero ejuſmodi voluptatum artifices olim fuerint, ſcire intereſt. Idque ipſa legis, in qua conſtitimus, prohibitio exigit. Hoc enim expoſito, nemini dubium relinquetur, cur ab earum nuptiis, quarum pater artem ludicram feciſſet, ſenatores ſenatorumque filios lex Julia repulerit. Artem plane ludicram, ſcenamque totam, veteres in probro duxiſſe, genuſque id hominum non modo honore civium reliquorum carere, ſed & tribu moveri, cenſoria notatione, voluiſſe, Ci-

a lib. 7. Saturnal. cap. 10. *b* lib. 3. controv.

cero *lib.*4. *de Repub.* ſcripſerat ; ut à B. Auguſtino *lib.* 2. *de Civit. Dei, cap.* 13. refertur. Idemque *lib.* 1. *de conſenſu Euangeliſt. cap.* 33, *Nonne Cicero*, ait, *cum Roſcium quendam laudaret hiſtrionem, ita peritum dixit, ut ſolus eſſet dignus qui in ſcenam deberet intrare; ita virum bonum, ut ſolus eſſet dignus qui eo non deberet accedere. Quid aliud apertiſſime oſtendens, niſi illam ſcenam eſſe tam turpem, ut tanto minus ibi eſſe homo debeat, quanto magis fuerit vir bonus ?* Unde Tertullianus in lib. de Spectaculis, *Etenim*, ait, *ipſi actores & adminiſtratores ſpectaculorum, locum, quadrigarios, ſcenicos, xyſticos, harenarios illos amentiſſimos, quibus viles animas femina, aut illi etiam corpora ſua ſubſternunt, propter quos in ea committunt quæ reprehendunt, ex eadem parte, qua magni faciunt, deprimunt & diminuunt : imo manifeſte damnant ignominia & capitis mutatione : arcentes curia, roſtris, ſenatu, equite, ceteriſque ordinibus ſimul & ornamentis Quiritium.* Arnobius lib. 7. adverſus gentes : *Exiſtimatur tractari ſe honorifice Flora, ſi in ludis flagitioſas conſpexerit res agi, & migratum à lupanaribus in theatra. Itane iſtud non eſt deorum imminuere dignitatem, dicare & conſecrare turpiſſimas res diis, quas cenſor animus reſpuat, & quarum actores inhoneſtos eſſe jus veſtrum, & inter capita computari indi-*

indicavit infamia? Quam veluti amentatam hastam verissime Arnobius, ex ipso Quiritium jure, in eos torsit. Edicto namque prætoris infamia notabantur *a*, qui artis ludicræ, pronunciandive causa, in scenam prodiissent. Quapropter Æmilius Probus, in præfatione libri De vit. excellent. imperator. *Magnis*, inquit, *laudibus tota fuit Græcia, victorem olympiæ citari. In scenam vero prodire, & populo esse spectaculo, nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini: quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia, atque ab honestate remota, ponuntur.* Hujus rei argumentum est, quod, qui ad principem provocantem, eum, qui artem ludicram faceret, torsisset, verberasset judex, lege Julia de vi publica, contra atque si idem in reliquorum civium corpus admisisset, non apprehendebatur *b*, ipsamet legis exceptione nominatim tutus: quæ genus id hominum, quasi beneficio suo indignum, aspernabatur. Quinetiam Hylam pantomimum, querente prætore, in atrio domus suæ Augustum flagellis (quod erat servile supplicium) verberasse, Tranquillus memorat *c*: ubi & illud refert, magistratibus omni loco omnique tempore coercitionem

a l. 1. D. de his qui not. infam. *b Paulus* lib. 5. Sententiar. Tit. de vi publica. *c* in Augusto, cap. 45.

in hiſtriones, lege veteri permiſſam, Auguſtum ademiſſe. Marito etiam cum paucas omnino perſonas in uxoris adulterio deprehenſas occidendi jus lex Julia de pudicitia daret, id ei licere in eos, qui artem ludicram facerent, voluit *a*. Accuſandi quoque, & publico judicio reos poſtulandi, his, qui artem ludicram feciſſent, poteſtas denegabatur *b*. Proinde & hujuſmodi artem, citra capitale flagitium, exercere miles non poterat. Tiberium quidem certe, Dio auctor eſt *c*, hiſtriones urbe expuliſſe, arteque ea interdixiſſe, quod & feminas ignominia adficerent, & turbas excitarent. Contra, Caius eos, ſtatim atque imperio potitus eſt, eodem Dione teſte *d*, revocavit. Rurſus Domitianus ſcenam his interdixit, ut Sueton. in ejus vita memorat *e*, intra domum duntaxat exercendi artem jure conceſſo. Fuit plane tempus, cum nec equitibus ſcena indecora eſſet, ut eam illis ſenatuſconſulto Auguſti temporibus interdici neceſſe fuerit. Quod Suetonius in Auguſto docet *f* his verbis: *Ad ſcenicas quoque & gladiatorias operas equitibus Romanis aliquando uſus eſt. verum priuſquam ſenatuſconſulto interdiceretur.* Quod idem Dio ita refert,

a l. marito. 24. D. ad l. Jul. de adulter. *b* l. qui judicio. 4. D. de accuſat. *c* lib. 57. *d* lib. 59. *e* cap. 7. *f* cap. 43.

refert, *lib.* 54: Ἐπειδήπερ καὶ ἱππεῖς, καὶ γυναῖκες ἐπιφανεῖς, ἐν τῇ ὀρχήστρᾳ καὶ τότε γε ἐπεδείξαντο, ἀπηγόρευσεν, οὐχ ὅτι τοῖς πᾶσιν τὸ βαλλυτῶν, ὅπερ πω καὶ πρίν ἐμεχώλυτο, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐκ γένους, τοῖς τε ἐν τῇ ἱππάδι δηλονότι ἐξεταζομένοις, μηδὲν ἔπι τοιοῦτον δρᾶν. Ex quo lucem accipiet alter Suetonii in Tiberio locus, quo ex juventute utriusque ordinis profligatissimum quemque, quominus in opera scenæ harenæve edenda senatusconsulto teneretur, famosi judicii notam sponte subiisse narrat *a*. Postea tamen, quod & mirum visum iri præmonet, equitibus gladiatorium ludum indulgentia quadem permissum fuisse, Dio auctor est *b*. Καὶ τοῖς ἱππεῦσιν, ait, ὃ καὶ ἔμπροσθεν οὐκ ἦν, μονομαχεῖν ἐπετράπη. Λοιπὸν ἦ, ὅτι ἐν ὀλιγωρίᾳ τινὲς τὴν ἀτιμίαν τὴν ἐπ' αὐτῷ ἐπικειμένην ἐποιοῦντο. Ἐπεὶ δὲ μήτ' ὄφελός τι ἀπορρήσεως ἐγίγνετο, καὶ τιμωρίας μείζονος ἄξιοι εἶναι ἐδίκων, ἢ καὶ ἀποτραπήσεσθαι ἐνομίσθησαν, συνεχωρήθη τοῦτο σφίσι ποιεῖν, καὶ ὅπως ἀντὶ τῆς ἀτιμίας θάνατον ὀφλισκάνειν. Suetonius etiam, Neronem quadringentos senatores, sexcentosque equites Romanos, & quosdam fortunæ atque existimationis integræ, ad ferrum exhibuisse, narrat *c*. Proinde, Vitellio imperante, quemadmodum Tacitus scribit, severe cautum

a cap. 35. *b* lib. 56. *c* in Nerone. c. 12.

fuit, ne equites Romani ludo & harena polluerentur; cum priores id principes, pecunia, & sæpius vi, pertulissent. Ac Domitianum quoque, quæstorium virum, quod gesticulandi saltandique studio teneretur, senatu movisse, traditum est *a*.

Quod autem ait lex, FACIT, FECERIT, cum effectu accipiendum est *b*. Et ideo, qui operas suas locaverit ut in scenam prodiret, neque prodiit tamen, lege contineri non videtur *c*. Factum enim, non voluntas, apprehenditur. Quo pertinet apud Quintilianum *d* proposita quæstio, an theatrali lege, quæ eum, qui artem ludicram exercuisset, à 14 primis theatri ordinibus arceri volebat, is, qui prætori in hortis ostensus esset, nec tamen productus, contineretur. Cui non absimilis & alia quæstio tractatur apud eundem, aut alium, Quintilianum, *Declam.* 302. Certe in senatusconsulto *e* de postulando, & in alio legis Juliæ capite *f*, sola operarum ad bestias depugnandas locatio, etiam nulla pugna secuta, notat. Ita quippe utrubique verba scripta sunt. In edicto autem prætoris de infamibus, quod ad ludicram artem attinet, consilium ac conatus non punitur.

Ceterum,

a Suet. in Domit. cap. 8. *b* arg. l. 1. §. hæc verba. D. quod quisque jur. *c* l. 3. D. de his qui not. infam. *d* lib. 3. instit. orat. cap. 6. *e* l. 1. §. 6. vers. in senatusconsulto. D. de postul. *f* l. qui libertinus. 37. D. de oper. libert.

Ceterum, huic legis Juliæ capiti congruenter Constantinus sanxit, ut ne senatoribus, præfectis, duumviriſve, vel sacerdotibus municipiorum, libertam, libertæve filiam, scenicam, vel scenicæ filiam, tabernariam, tabernariæve filiam, vel lenonis aut harenarii filiam, uxorem habere liceret. Quam constitutionem Valentinianus & Martianus in Novellis laudant *a*. Ei vero Justinianus, quantum ad scenicas personas attinet, derogavit *b*, constituens, mulieribus, quæ pudorem suum scena aut ludo quandoque polluissent, si derelicta inhonesta conversatione, honestiorem commodioremque vitam fuerint amplexæ, licere principali rescripto, cuilibet personæ, quacunque dignitate præditæ, nubere, quasi omni pristinæ vitæ macula pœnitentia, principisque beneficio, diluta atque absterſa.

Addidit vero legi Juliæ senatus, ut neque damnatam publico judicio ducere uxorem, aut retinere, jus esset *c*. Damnatam accipe eam quæ non provocavit. Ceterum, si provocavit, nondum damnata videtur. Idem est, etsi ab eo, qui jus damnandi non habuit, damnata sit. Damnata enim tum videtur, cum damnatio tenuit. Quam ego

a Tit. 4. Novel. Mart. *b* in l. imperialis. C. de nuptiis. *c* l. palam. 43. §. senatus. 10. D. de rit. nupt.

interpretationem ex similibus aliis locis haurio *a*. Publico plane judicio damnata non videtur, quæ calumniæ prævaricationisve nomine, ex causa publici judicii sit condemnata, licet infamiæ notetur *b*. In calumniatores enim nulla publica quæstio constituta est. Nam etsi lege Remnia eis pœna irrogata sit, non tamen in publicorum judiciorum legibus lex ea numeratur. Igitur, si ob publici judicii accusationem per calumniam institutam, sive ob privatum judicium per calumniam motum, ut calumniatrix mulier damnata sit, senatusconsulto non continetur. Ergo, dicet aliquis, publico judicio reos postulare mulieribus licet. Quod ita verum est, si suam suorumque injuriam exequantur, vel læsæ majestatis, aut annonæ fraudatæ accusationem perferant. His enim ex causis ad accusationem publici judicii admittuntur *c*: quam si destituisse arguantur, ob eamque rem damnatæ sint, à senatorum nuptiis idcirco non arcebuntur, quod prævaricationis crimen in hac specie judicium publicum non sit *d*. Por-

10,

a l. edicto. 13. D. de bonor. poss. l. 2. §. ult. D. de pœnis. l. furti. §. 1. D. de his qui notant. infam. *b* d. l. palam. §. si quæ calumniæ. D. de ritu nupt. *c* l. de crimine. 12. C. qui accus. non pos. l. qui accusare. 8. l. hi tamen. 11. l. mulierem. 13. D. de accus. l. ult. D. ad l. Jul. de an. l. in quæstionibus. D. ad l. Jul. majest. *d* l. 3. §. ult. D. de prævaricator.

ro, ſenatoriis perſonis exceptis, ceteris omnibus ingenuis libertinas uxores ducere lege Papia conceſſum fuiſſe, Celſus teſtis eſt *a*. cujus ipſa verba ſubjeci: *Lege Iulia Papia cavetur, omnibus ingenuis, præter ſenatores, eorumque liberos, libertinas uxores habere licere.* Quod & Dio comprobat *b*, de Auguſto loquens. Ἐπειδὴ δέ, ait, πολὺ πλεῖον τὸ ἄῤῥεν τοῦ θήλεος τῷ δὲ γενεᾷ ἐπέτρεψε καὶ ἐξελευθέρας τοῖς ἐθέλουσι, πλὴν τῶν βουλευόντων, ἄγαμος, ἔννομον τὴν τεκνοποίαν αὐτῶν εἶναι κελεύσας. Quæ verba Latine reddam, quoniam in hac parte recta non eſt, quod ejus pace dictum ſit, Xylandri interpretatio: qui δὲ γενεᾷ illic pro *patricio* accepit, cum *ingenuum* procul dubio ſignificet. Sic enim Theophilus *lib.* 1. *Inſtitut.*, & Conſtantin. Harmenop. *lib.* 1. *tit. ult.* δὲ γενεᾷ definiunt: ὁ ἅμα τῇ τεχθῆναι ἐλεύθερός ἐστι. id eſt, *qui ſtatim ac natus eſt, liber eſt.* Itaque recta eſt hæc, quæ ſequitur, illius loci interpretatio: *Iam vero, quoniam maſculorum ingenuorum numerus major erat, quam mulierum, poteſtatem fecit omnibus pro arbitrio, ſenatoribus exceptis, libertini generis uxores ducere; juſtoſque eſſe, qui inde ſuſciperentur, liberos conſtituit.* In eundemque lapidem & Zonaras interpres impegit in eadem Auguſti conſtitutione referenda. Nam Zonaras ipſamet Dionis

a in l. lege Papia. 23. D. de ritu nupt. *b* lib. 54.

Dionis verba in ſuos annales transſcripſit: nec diſſimilitudo ulla eſt in verbis, præterquam quod pro ἐξελοῦσθαι, ἀπιλοῦσθαι, pro βαλοῦντων, βαλοῦσιν Zonaræ codex habet. Hoc vero eſt, quod Marcellus ſignificat *a*, *Obſervandum eſſe*, inquiens, *ut inferioris gradus homines*, equeſtris utputa vel plebeii ordinis, *uxores ducant eas, quas, qui altioris dignitatis ſunt*, veluti ſenatores, *ducere, legibus, propter dignitatem, prohibentur.*

Excipiebat autem lex quaſdam perſonas, quas ne inferioris quidem ordinis hominibus, dummodo ingenuis, ducere permittebat. Veluti *lenam, à lenone lenave manumiſſam, vel eam, quæ palam quæſtum corpore faceret, feciſſet. item in adulterio deprehenſam, vel judicio publico damnatam, vel quæ artem ludicram exercuiſſet.* Cujus exceptionis auctorem laudo locupletem, Ulpianum nimirum, *in fragmentis Titulorum ex ejus Corpore excerptorum, Tit. de calibe, orbo, ſolitario.* Atque ad hoc legis Juliæ de maritandis ordinibus caput referenda eſſe cenſeo, quæcunque de ingenuorum ſtatu & conditione ex Ulpiani libris ad l. Jul. & Pap. in Pandectis tractata reperiuntur. Ingenuum namque habendum eum qui ingenuus pronunciatus fuiſſet, licet natura & revera ingenuus non eſſet, Ulpianus *lib.* 1. ad

a l. obſervandum. 49. D. de ritu nupt.

ad l. Iul. tradiderat, ut ex inſcriptione *l. ingenuum, D. de ſtatu homin.* liquet. Idque nimirum propter rei judicatæ auctoritatem, quæ pro veritate habeatur. Unde & hauſta eſt illa juris regula, quæ *rem judicatam pro veritate haberi* definit. Cui tamen non in hac modo ſpecie, ſed & in omnibus cauſis, in quibus de ſtatu, conditione, qualitateque perſonæ quæſtio vertitur, locus eſt. In his enim vel maxime ſententia jus facit *a*. Eodem libro Ulpianus, in hujus capitis, ut veriſimile eſt, interpretatione, ſcripſerat *b*, Si quis per colluſionem ingenuus eſſe pronunciatus eſſet, medio tempore, id eſt, ante colluſionem detectam, & poſt ſententiam de ingenuitate dictam, quaſi ingenuum accipi.

Lenas autem, ut ſingula legis verba expendamus, Ulpianus *ad edictum prætoris, ſub titulo de his qui notantur infamia*, dici ait *c* eas, quæ per mulieres quæſtuarias proſtituunt. Nec refert, ſuo, an alterius nomine, id genus vitæ exerceant. Ac nec illud intereſt, principaliterne hoc negotium gerant, vel alterius negotii acceſſione utantur *d*. Utputa, ſi cauponam quis, vel ſtabulum exer-

a l. adoptivum. §. 1. D de in jus voc. l. ſive contra. 3. D de liber. adgnoſc. l. Papinianus. §. ſi ex cauſa. D. de inoff. teſt. *b* l. 4. D. de colluſion. deteg. *c* l. 4. §. ait prætor. D. de his qui not. inf. *d* l. palam. §. lenonem. D. de ritu nupt.

exercens, mancipia quæſtuaria habeat, occaſione miniſterii quæſtum corpore facientia, is lenonis loco habebitur. Lenones porro, lenæque, edicto prætoris, infamia notabantur. Proinde nec accuſandi publico judicio jus habebant *a*: & ut viles, turpes, famoſæque perſonæ, in adulterio deprehenſi lenones, à maritis impune occidi poterant *b*. Et merito certe, ignominia hujuſmodi perſonas notandas, veteres cenſuerunt: quas, cum Terentio *c*, *peſtem perniciemque communem adoleſcentium*; &, cum Juſtiniano *d*, ὀλεθρίους καὶ κοινὰς λυμεῶνας τῆς σωφροσύνης, vocare jure poſſumus. Quapropter ſilentio prætermitti Q. Metelli judicium non debet, qui, in prætura urbana, Vetibio lenoni bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas denegavit *e*, ſeperandam fori ac lupanaris conditionem exiſtimans, juriſque ac legum auxilio indignos cenſens eos, qui tantam civitati labem inferrent. Laudanda quoque Honorii & Theodoſii conſtitutio, qua lenones patres dominoſve, quos neceſſitatem filiabus ancilliſve peccandi impoſuiſſe conſtiterit, non ſolum poteſtatem, quam in eos habebant, amittere, ſed & proſcriptionis exiliique pœna plecti, ſanciunt *f*. Denique, nec ſatis unquam pro merito Juſtinianus

a l. qui judicio. 4. D. de accuſat. *b* l. marito. 24. D. de adulter. *c* in Adelph. *d* Novella 14. *e* *Valerius Max.* lib. 7. cap. 7. *f* l. ult. C. de ſpectac. lib. 11.

ſtinianus laudabitur, qui genus hoc hominum urbe regia pelli, eoſque, qui illecebris pellectas puellas ad quæſtum alere comperti eſſent, acerbiſſimis pœnis ſubjici voluit *a*.

Verum videamus, quænam palam quæſtum corpore facere ex legis Papiæ ſententia intelligerentur. *Palam*, Ulpiano interprete *b*, eſt, *coram pluribus*: eique voci plerumque ſocia adjungitur vox *aperte*: quarum altera, ut Aſconius Pædianus diſtinguit, ad publicum conſpectum, altera ad dictorum ſignificationem pertinet. Valer. Max. lib. 6 cap. 1: *Cum de ſtupro nihil negaret, ſed ſponſionem ſe facere paratum diceret, quod palam atque aperte corpore quæſtum factitaſſet.* Palam autem quæſtum feciſſe, non ea tantum exiſtimatur, quæ ſe in lupanario, &, ut Tertul. loquitur, publicarum libidinum loco, proſtituit; verum etiam, ſi quæ in taberna, vel caupona, aut alicubi alias, pudori ſuo non parcit *c*. Cujuſmodi feminis olim, propter infamiæ notam, turpitudinemque vitæ, teſtimonii dictio non erat: legeque adeo Julia de vi, nominatim cavebatur *d*, ut ne ad teſtimonii fidem admitterentur.

Et, quoniam hic ſe de impudicis mulieribus agendi locus offert, non alienum erit, quæ

a Novella. 14. *b* l. palam. 33. D. de verb. ſignific. *c* d. l. palam. D. de ritu nupt. *d* l. 3. §. lege Julia. D. de teſtib.

quæ de re meretricia ex veteri memoria observando notavi, in medium producere. Nec enim erit inutilis aut injucunda hæc à proposita oratione digressio. Primum autem invenio, publicarum libidinum victimas atque hostias (sic enim Tertullianus non semel *a* meretrices appellat) Romæ sub fornicibus prostare consuevisse. Inde illud Horatii in Sermonibus *b*:

Contra, alius nullam, nisi olenti in fornice stantem.

Qua periphrasi meretricem designat. Idem, eodem loco: (*Macte*

Quidam notus homo, quum exiret fornice, Virtute esto, inquit, sententia dia Catonis. Nam simul ac venas inflavit tetra libido, Huc juvenes æquum est descendere; non alienas Permolere uxores. ——

Seneca, in lib. De beata vita, *Voluptas*, ait, *humile, servile, imbecillum, caducum, cui statio ac domicilium fornices & popina sunt.* Arnobius, lib. 2. adversus gentes: *Stant in lupanaribus promta, in fornicibus objecta.* Plautus, Bacchidibus:

Omnes fornices, lustra, & lustrales cellulas, quæsivi sedulo.

Martialis, lib. 1. Epigram.

At meretrix abigit testes veloque seraque:

Raraque

a in lib. de cultu feminar. & in lib. de spectacul. *b* lib. 1. Sat. 2.

Raraque ſummœni fornice rima patet.

Arbiter Petronius, Satyrico: *Tandem, imo jam ſero, intellexi, me in fornicem eſſe deductum: execratus itaque anicula inſidias, operui caput, & per medium lupanar fugiens, cepi in aliam partem.* Iſidorus, lib. 10. Etymologiar. *Fornicatrix eſt, cujus corpus publicum ac vulgare eſt. Hæ ſub arcuatis proſtituebantur. quæ loca fornices dicuntur. unde & fornicariæ.* Sed & in lexico Latinogræco ſuburbicariæ ædis B. Germani Pariſienſis ita ſcriptum reperi: *Fornicaria, πόρνη· ἀπὸ καμάρας, ἐν ᾗ ἵστανται.*

Lupanaris vero vocabulum unde ductum ſit, Lactantius, *lib. 1. divinar. inſtit. cap. 20.* ſic exponit, de Acca Laurentia agens: *Fuit enim Fauſtuli uxor: &, propter vulgati corporis vilitatem, Lupa inter paſtores, id eſt, meretrix, nuncupata eſt. unde etiam lupanar dicitur.* B. Hieronym. in Chronic. Euſebii: *Verum parvulos, prope ripam Tiberis expoſitos, Fauſtulus, regii paſtor armenti, ad Accam Laurentiam uxorem ſuam detulit; quæ, propter pulchritudinem, & rapacitatem corporis quæſtuoſi, Lupa à vicinis appellabatur. Unde ad noſtram uſque memoriam meretricum cellulæ lupanaria dicuntur.* Idem & Iſidor. tradit, *lib. 18. Etymolog. cap. 42.* Græci porro οἴκημα vocant. Sic enim Dio, *lib. 59,* Meſſalinæ libidinem narrans, loquitur:

tur: Ἤδη γὰρ ἦν ἐν' οἰκήματος, ἐν τῷ Παλατίῳ, αὐτή τε ἐκαθέζετο, ἢ ἄλλας τὰς πόρνας ἐκάθιζεν. Invenitur & hoc verbum apud Xiphilinum *in Heliogabalo*. Καὶ τέλος, ait, ἐν τῷ Παλατίῳ οἰκήματι ἀποδείξας, ἐν ταύτῃ ἦ σέλγαινε. Ubi interpres οἴκημα, *cubiculum*, non ſatis apte, vertit: cum *cellam*, vel *lupanar*, commodius reddere potuiſſet. Suidas: Οἰκήματα, τὰ καμαρὶ τοπεῖα. Heſychius: Οἴκημα, τὸ δεσμωτήριον. Ἀπλῶς δὲ, τὸ πορνεῖον.

Ex illo autem Martialis à me ſupra prolato verſu, ſub mœnianis & projectis abditas fuiſſe meretricum cellas, colligere eſt: qua ratione idem auctor ſcorta, ſubmœnianas uxores, *lib.* 12. *Epigr.*, vocat:

Et plena, inquiens, *turpi matris olla reſina*,
Submœniana qua pilantur uxores.

Unde etiam explicantur ſequentes ejuſdem poetæ verſus, qui *lib.* 11. *Epigr.* leguntur:

Submœnianis inquinatior buccis.
Quem cum feneſtra vidit à Suburrana,
Obſcœna nondum lena, *fornicem clauſit.*

Ex quo etiam liquet, in Suburra, quæ in ſecunda urbis regione ſita erat, meretricum manſionem fuiſſe, quod verſus hi Priapeorum ſignificant:

Nota Suburranas inter Theletuſa puellas:
Quæ, puto, de quæſtu libera facta ſuo eſt.

Et hinc fortaſſe eſt, quod in deſcriptione urbis

urbis Romæ, in eadem cum Suburra regione, lupariæ, tam à Pub. Victore, quam à Sexto Ruffo, ponuntur. Sed extra urbis mœnia quædam proſtabant meretrices, quas *extramuranas* idcirco Lampridius *in Heliogabalo* vocat. Quin & in theatris, & in aliis urbis locis, meretrices conſtitiſſe, non dubium eſt. Idem Lampridius in Heliogabalo: *Fertur una die ad omnes circi, theatri, & amphitheatri, & omnium urbis locorum meretrices, tectus cucullione mulionico, ne adgnoſceretur, ingreſſus.* Idem alias: *Omnes de circo, de theatro, de ſtadio, & omnibus locis & balneis meretrices collegit in ædes publicas.* Iſidor. lib. 18. Etymolog. cap. 42: *Idem vero theatrum, idem & proſtibulum, eo quod poſt ludos exactos meretrices ibi proſternerentur.* Ex quibus ſatis abundeque probatum arbitror, in fornicibus & ſubmœnianis meretricum cellulas poſitas ſtructaſque fuiſſe: quas, quod & humi depreſſæ eſſent, & exiguum lumen admitterent, obſcuras eſſe, fuliginiſque plenas, plerumque contingebat. Qua de cauſa Seneca in libris Controverſiar. *fornicis fuliginem* dixit. Auctor quoque Priapeorum:

Quilibet huc licebit intret
Nigra fornicis oblitus favillæ.

Indeque Horatius *olentem fornicem* dixit, *lib.* 1. *Sat.* 2. ut & Prudentius, lib. 2. contra Symmachum, —*ſpur-*

—spurcam redolenti fornice cellam.

Certa vero meretrici cuique cellula constituebatur, propriusque ei titulus inscribebatur, quo & prostitutæ nomen, & quantum uno concubitu mereret, designabatur: quo facilius in eam quisque incideret, ad quam animum appulisset; pretiumque concubitus à se pendendum sciret. Seneca, lib. 2. Controversiarum: *Deducta es in lupanar: accepisti locum: pretium constitutum est: inscriptus est titulus: hactenus in te inquiri potest.* Ceterum, *nescio quid cellulam & obscœnum lectulum vocas.* Et paulo post: *Meretrix vocata es, in communi loco stetisti, superpositus est cellæ tuæ titulus, venientes recepisti.* Et alias: *Stetisti cum meretricibus: stetisti sic ornata, ut populo placere posses; cum veste quam leno dederat: nomen tuum pependit in fronte, pretia stupri accepisti.* Inde Martialis *inscriptam cellam* pro *lupanario* dixit. *Iniraſti*, ait, *quoties inscriptæ limina cellæ,*

Et puer arrisit, sive puella, tibi.

Hoc ipsum Juvenalis aperte expressit *a*, Messalinam exagitans, Claudii imperatoris uxorem, libidinis prodigiosissimæ feminam; cujus explendæ causa, toro conjugali relicto, meretricis habitu plerumque in lupanar noctu descendebat, venientesque, nomine insignioris fornicariæ sibi accom-

a Sat. 6. vers. 115.

accommodato, usque ad satietatem admittebat.

Respice, inquit, *rivales divorum*: *Claudius*,
audi,
Quæ tulerit. Dormire virum cum senserat
uxor,
Ausa Palatino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos.
Linquebat. Comite ancilla non amplius una,
Et nigrum flavo crinem abscondente galero,
Intravit calidum veteri centone lupanar,
Et cellam vacuam, *atque suam. Tunc nudæ*
papillis
Constitit auratis, *titulum mentita Lyciscæ*,
Ostenditque tuum, *generose Britannice*, *ventrem.*
Excepit blanda intrantes, *atque æra poposcit.*
Mox, *lenone suas jam dimittente puellas*,
Tristis abit: *sed*, *quod potuit*, *tamen ultima*
cellam
Clausit, *adhuc ardens rigida tentigine vulva*:
Et, *lassata viris*, *nondum satiata*, *recessit*:
Obscurisque genis turpis, *fumoque lucernæ*,
Fœda lupanaris tulit ad pulvinar odorem.

Quod autem superiores auctores *titulum*, Tertullianus *elogium* appellat in lib. de spectaculis. *Ipsa etiam*, ait, *prostibula*, *publicæ libidinis hostiæ*, *in scena proferuntur*, *perque omnis ætatis*, *omnis cognationis ora transducuntur*:

tur : locus, ſtipes, elogium, etiam quibus opus non eſt, prædicantur. Utitur tamen ille auctor *tituli* verbo in eandem ſententiam in lib. de pudicitia : *Et ubi*, ait, *proponetur liberalitas iſta? Ibidem, opinor, in ipſis libidinum januis, ſub ipſis libidinum titulis : illic hujuſmodi pœnitentiæ promulgandæ eſt.*

Inter meretricem plane & proſtibulum hanc veteres differentiam poſuiſſe, Nonius Marcell. notat, quod meretrices copiam ſui tantummodo noctu facerent ; proſtibula vero ante ſtabulum ſtarent, quæſtus diurni & nocturni cauſa. Et ad hanc comprobandam differentiam, Plauti Ciſtellaria locum producit. Eademque ratione *proſedas* appellatas ab eodem Plauto meretrices quæ ante ſtabula ſederent, Sext. Pomp. *lib.* 14. docet : locus vero Plauti, de quo ſentit, ex Pœnulo, *Act.* 1. *Sc.* 2, petendus eſt. Quorum locorum auctoritate adductus credo, apud Petronium Arbitr. verbum hoc corruptum eſſe: nam in Satyrico ſcriptum veteres libri habent, *jam pro ſella meretrix aſſem exegerat*; cum, meo quidem judicio, ſcribendum ſit, *jam proſeda meretrix.*

Cum vero ait Juvenalis, *tunc nuda papillis conſtitit auratis*, morem meretricum ſignat. Quas nudas proſtare conſueviſſe, didici ex Xyphil. in Heliogabalo. Ἐν τῷ Παλατίῳ, inquit ille, οἰκήματι ἀποδείξας, ἐν-

ταῦ-

τοῦτο ἡδέλγαινε· χυμενός τε ἀεὶ ἐπὶ τ θύρας αὐτᾷ ἔρρως, ὥσπερ αἱ πόρναι. Petronius Arbiter, in Satyrico: *Cum ego negarem, me cognoscere domum; video quosdam inter viculos, nudasque meretrices, furtim spatiantes.* Enimvero, apud ædiles, flagitium profiteri, suumque nomen edere, meretrix cogebatur. Cornel. Tacit. lib. 2: *Nam Vistilia, prætoria familia genita, licentiam stupri apud ædiles vulgaverat, more inter veteres recepto, qui satis pœnarum adversus impudicas in ipsa professione flagitii credebant.*

Sed & meretricum erant ab honestarum matronarum cultu, atque ornatu, distincta vestimenta: quemadmodum *in nostris selectarum ex jure civili antiquitatum Commentariis* fusissime comprobavimus. Nec in stolæ modo, & pallæ usu, sed & in crinium colore, differentia ea cernebatur. Siquidem, ut Servius *in* 4. *Æneidos* notat, matronis nigra coma, meretricibus flava, probabatur: quod ex eo Juvenalis, quem modo retuli, loco confirmatur.

Et nigrum, ait, *flavo crinem abscondente galero.*

Valerius, *lib.* 2, de matribusfamilias agens: *Indulgentibus namque maritis, & auro abundante & multa purpura usæ sunt, quo formam suam concinniorem efficerent: summa cum diligentia capillos cinere rutilarunt.*

Ceterum, meretricum quæstum vectigali obnoxium esse Caligula voluit, tributumque illud primus instituit: cujus ad hæc usque tempora exemplum manere dicitur. Sic enim Tranquillus in ejus vita scribit *a*: *Ex gerulorum diurnis quæstibus pars octava, ex capturis prostibulorum quantum quæque uno concubitu mereret: additumque ad caput legis, ut publico tenerentur, quæ meretricium, quæve lenocinium fecissent.* Meminit ejus & Lampridius in Alexandro. *Lenonum*, ait, *vectigal, & meretricum, & exoletorum, in sacrum erarium inferri vetuit, sed sumtibus publicis ad instaurationem theatri, circi, amphitheatri, & erarii, deputavit.* Cui non absimile tributum in urbe quoque Constantinopolitana pendi & exigi consueverat. Χρυσάργυρον id appellabatur. Quod tandem ab Anastasio sublatum est *b*: qui omnes ejus tabulas magno studio conquisitas flammis aboleri curavit, ut ejus instaurandi revocandique facultatem posteris præcideret.

Porro, meretrices ut plurimum servilis, aut certe libertinæ conditionis erant. Plautus, Cistell. act. 1. sc. 1:

Eunt depressum: quia nos sumus libertinæ.
Et ego, & mater tua, ambæ meretrices fuimus.

Livius,

a cap. 40. *b* *Zonar.* tomo 3. Annal. in Anast. *Niceph.* hist. Eccles. lib. 16. cap. 40.

Livius, lib. 39: *Scortum nobile, libertina Hyſpala, Fecenia, non digna quæſtu cui ancillulæ adſueverat, etiam poſtquam manumiſſa erat, eodem ſe genere tuebatur.* Lamprid. in Heliogabalo: *Meretrices à cunctis lenonibus redemit ſæpe, & manumiſit.* Ac plane ſenatusconſulto, Tiberii temporibus facto, quæſtum corpore facere eæ mulieres vetitæ ſunt, quarum avus, pater, marituſve, equo publico meruiſſet. Tacitus, lib. 2: *Eodem anno gravibus decretis libido feminarum coercita eſt; cautumque, ne corpore quæſtum faceret, cui avus, aut pater, aut maritus, eques Romanus fuiſſet.*

Sed hæc fuerit, ut ait Thucydides, ἐκβολὴ λόγου non inutilis. Ut igitur ad legis interpretationem redeam, ſive in ſummœniana cella, & fornice, mulier corpus ſuum vulgaverit, ſive alibi, ut cum Imperatoribus loquar, venalem [a] formam exhibuerit, & proſtitutam meretricio more vulgo ſe præbuerit, lege Julia notatur. *Palam* enim hic accipimus, *paſſim & ſine delectu.* Nec intereſt, pecunia accepta, an ſine quæſtu palam ſe proſtituerit. Quæ vero cum uno, aut item altero, licet pecunia accepta, ſe commiſcuit, in eadem cauſa non eſt. Nec vero ea tantum, quæ palam quæſtum corpore facit, ſed & quæ aliquando fecit, licet facere deſierit, ab ingenuorum nuptiis

[a] in l. ſi ea. 22. C. ad l. Jul. de adult.

repellitur. Non enim contracta ex anteactæ vitæ turpitudine macula, pœnitentia abo-letur. Addit Ulpianus, hujus loci interpretationem persequens, ei non ignoſci, quæ, obtentu paupertatis, quaſi egeſtate coacta, turpiſſimam vitam elegit, ſimilis Chryſidi illi Terentianæ, quæ ſe inhoneſte optavit parare divitias, quam in patria honeſte pauper vivere.

Prohibebantur præterea ingenui in adulterio deprehenſas ducere. Nec exigebat lex, ut damnatæ eſſent. Igitur, etſi poſt deprehenſionem abſolutæ eſſent, adhuc tamen illis nota ex ipſa deprehenſione, quam ſolam lex ſpectabat, contracta oberat *a*. Enimvero, nec pœnæ, nec infamiæ, qua ob crimen adulterii plectitur mulier, non accuſata, nec damnata, ſubjicitur *b*; etſi nuptiis ejus, ſi deprehenſa eſt, abſtinere ingenuos lex Julia de maritandis ordinibus præciperet. Non diſtinguimus hic, ut in l. Julia de adulteriis, à quo, vel ubi, deprehenſa ſit. Proinde ſive maritus, ſive quis alius, deprehendiſſe proponatur, & ſive in domo patris, vel mariti, ſive alibi uſquam deprehenſa ſit, erit notata, ſecundum verba legis. Atque hæc ita de ea, quæ ſponte peccarit, accipienda ſunt. Vim paſſam enim integræ exiſtimationis

a l. palam. §. quæ in adulterio. D. de ritu nupt.
b l. etſi. 12. C. ad l. Jul. de adult.

nis esse, nec nuptias ejus aliis interdici, merito placuit *a*. Damnatam porro ex causa veri adulterii commissi ducere uxorem, etiam lex Julia de adulteriis vetabat. Quinimo factum hoc pro adulterio vindicabat *b*. Ob aliam vero causam lege Julia damnata, veluti quod domum præbuisset, pretiumve pro comperto stupro accepisset, impune ducebatur *c*. Quamquam senatusconsulto postea eæ nuptiæ senatoribus interdictæ videantur *d*. Maritus plane, ream adulterii à se jure mariti vel extranei postulatam, post abolitionem denuo uxorem ducere, & quidem citra legis Juliæ pœnam, potuit *e*. Is enim in eam legem committit, qui vel publico judicio damnatam in matrimonio habet, vel adulteram sciens, ut ignorantiam simulare non possit, retinet uxorem *f*. Ab extraneo vero adulterii rea, nec ante damnationem uxor, duci potest *g*. Bene itaque Papinianus, cum Mævius, in adulterio Semproniæ damnatus, eandem Sempronium, non damnatam, uxorem duxisse proponeretur, eique moriens hereditatem reliquisset, re-

a l. fœdissimum. C. ad l. Jul. de adult. *b* l. mariti. 29. §. 1. D. ad l. Jul. de adult. l. castitati. 9. C. eod. tit. l. auxilium. D. de minoribus. *c* d. l. mariti. §. 1. *d* d. l. palam. § senatus. D. de ritu nupt. *e* l. generali. 34. §. ream. D. de nupt. *f* l. sine metu. 17. C. ad l. Jul. de adult. *g* l. reas. 26. D. de ritu nupt.

ſpondit *a*, neque tale matrimonium ſtare, neque hereditatis lucrum ad mulierem, ſed ad fiſcum, pertinere. Similiterque, ſi talis mulier virum heredem inſtituiſſet; ab eo, quaſi ab indigno, hereditatem auferri.

Verum enimvero, quando in legis Juliæ & Papiæ explicationem ingreſſi ſumus, è re eſt, reliqua ejus capita ad rem uxoriam pertinentia perſequi. Invenio autem, legibus illis (quod tandem à Juſtiniano abrogatum eſt) eas nuptias, quas vir ſexagenarius cum uxore quinquagenaria contraheret, fuiſſe improbatas *b*. Unde ſcite Lactantius, lib. 1. de falſa rel. cap. 16, *Vtrum*, ait, *ſexagenarius factus eſt, & illi lex Papia fibulam impoſuit? an impetravit jus trium liberorum?* Ac plane Apuleio inter cetera criminis loco objectum ab adverſariis legimus, quod ſexaginta annos natam feminam duxiſſet: idque factum accuratiſſime ille, *Apolog. pro ſe ipſo ſecunda*, diluit ac purgat. Improbabat autem lex ejuſmodi nuptias, tanquam liberorum quærendorum cauſa minime contractas, veroque conjugii fructu ac fine deſtitutas. Hoc enim in illis legibus condendis agebat Auguſtus, ut exhauſtam bellis civilibus civitatem ſoboſe repleret. Sexagenarius autem ut generandi, ita quinquage-

a l. Claudius. 13. D. de his quæ ut indign. *b* l. penult. C. de nupt.

quagenaria pariendi impotens esse vulgo existimatur *a*. Aristoteles quidem certe *in Politicis b* finem gignendi ut plurimum viris septuagesimum annum adferre, mulieribus vero quinquagesimum, scribit. Itaque Dionysius Halicarnasseus, *lib.* 4, eorum sententiam refellens, qui Lucium & Aruntem Tarquinios, Tarquinii Prisci fuisse filios, non nepotes, credunt, id admitti non posse, argumento ejusmodi docet: Ἡ γυνὴ ἢ πέντε ἔτεσιν ἦν αὐτῷ νεωτέρα, παιδίπερ εἰκός. ἑβδομηκοστὸν ἂν δήπου καὶ πέμπτον εἶχεν ἔτος, ὅτε ἐπέθνησκε Ταρκύνιος, ἐπειδὴ τὸ νεώτερον τῶν υἱῶν ἑσχατόγηρων ἀπέλιπεν, ἔτος ἔχοντα πεντηκοστόν. σωφρονέστερον γὰρ δὴ ἔτι κυίσκεται τούτου γε χρόνου γυνὴ, ἀλλ' ἔστιν αὐταῖς τὸ ἀδῖνων ὄρος, ὡς οἱ ταῦτ' ἐξηκριβωκότες γράφουσιν. Sed & idem Aristoteles *c, in libro de Natura Animalium*, raro contingere, ut ad septuagesimum usque annum vir generet; frequentius vero quinto & sexagesimo anno generandi vires consumi, tradit. Ideoque Dionysius Halicarnasseus, in eo, quem paulo ante citavi, libro: Ἄωρος δὴ γίγνεται πάλιν ὁ γάμος τῆς Ταρκυνίας μικρὸν ἀπολείπων ἐτῶν ἐγδοήκοντα. καὶ ἡ τῶν τέκνων γένεσις τοῖς τοιούτοις ἔχουσιν τὴν ἡλικίαν ἄπιστος. Quapropter apud Plautum, *Mercatore d*, has Eutychus

a l. si sterilis. 21. D. de act. emt. l. si major. 12. C. de legit. hered. *b* lib. 7. c. 16. *c* lib. 1. *d* scena ult.

ſenibus ſexagenariis, quaſi à re venerea jam per ætatem excluſis ac ſubmotis, leges dicit:

Annos natus ſexaginta qui erit, ſi quem ſcibimus,
Seu maritum, ſive hercle adeo calibem, ſortarier,
Cum eo nos hic lege agemus.

Similiter Micio apud Terentium, *Adelphis*, Demeæ ſuadenti ut uxorem duceret,

— Satin', ait, ſanus es?
Ego novus maritus anno demum quinto & ſexageſimo
Fiam? —

Mulierem vero poſt quinquageſimum annum non parere, Plinius abſolute definit *a*, majoremque partem quadrageſimo profluvium genitale ſiſtere. Solinus quoque, poſt annum quinquageſimum omnium mulierum fecunditatem conquieſcere, *in Polyhiſtore* tradit. Ac plane, quibus cruor menſtruis intervallis fluere deſtitit, eas jam concipere non poſſe, ab auctoribus medicinæ conſtanter adfirmari, B. Auguſtinus auctor eſt *b*. Subjicit vero Plinius, Maſiniſſam regem poſt octoginta ſex annos filium generaviſſe, qui Methymnus appellatus ſit. Cui & Valerius Maximus *c*, & Florus *d*, & Solinus, conſentiunt. Quod de eo minus mirum videtur,

a lib. 7. Natur. hiſt. cap. 14. *b* lib. 3. contra Julian. Pelag. *c* lib. 8. c. 14. *d* in epitome Liv. lib. 50.

tur, quem vel ante omnes homines robore senectæ admirabilem fuisse, literarum monumentis proditum est. Qui, quemadmodum Cicero refert, in libro quem de senectute scribit, vel nonaginta annos natus, nullo unquam imbri, nullo frigore, ut capite operto esset, adduci potuerit, & pedibus iter ingressus, in equum omnino non ascenderit. Sed & Catonem Censorium idem Plinius *a*, cum Solino, octogesimo exacto anno filium è Salonii clientis sui filia, avum Catonis Uticensis, procreasse scribit. Unde Plutarchus in ejus vita, nuptias eum contraxisse ὑπὲρ ἡλικίαν, ait. Beatus quoque Augustinus suis temporibus senem octoginta & quatuor agentem annos ad libidinem sibi Lyristriam emisse refert *b*. Verum ea leges, quæ ἐπὶ τὸ πολύ accidunt, spectant; non quæ ἐν ὀλίγοις. Et ideo alienam à nuptiis contrahendis superius memoratam ætatem, velut liberorum suscipiendorum spe destitutam, præmiis adficiendam non existimarunt. Atque hic succurrit, quod de Augusto Valerius Max. narrat *c*; aditum eum à Trachallis, testamento Septitiæ matris præteritis, quæ iis irata, jam pariendi impotens, seni admodum nupserat; tam supremum ejus judicium, quam nuptias, im-

a lib. 7. cap. 13. *b* lib. 3. contra Julian. Pelag.
c lib. 7. cap. 7.

probaſſe. Nam hereditatem maternam filios habere juſſit; dotemque, quia non procreandorum liberorum cauſa conjugium interceſſerat, ad virum pertinere noluit. Eleganter itaque Dionyſius matri jam effetæ, nuptias juvenis appetenti, civitatis quidem leges à tyranno abrogari violarique poſſe, naturæ vero præceptis vim adferri, nuptiarum in ætate minime ad eam rem idonea conciliandarum cauſa, non poſſe, reſpondit. Qua de re verba Plutarchi *in Solone* ſubjicere, operæpretium fuerit: Ὁ μὲν γὰρ, ait, Διονύσιος, ἀξιούσης τὴν μητρὸς αὐτοῦ δοθῆναι τινὶ τῶν πολιτῶν πρὸς γάμον, ἔφη, τοὺς μὲν τοῦ πόλεως νόμους λελυκέναι τύραννον, τοὺς δὲ τῆς φύσεως οὐκ εἶναι δυνατὸν βιάζεσθαι γάμους νυμφαγωγῶν παρ' ἡλικίαν. Quo loci in ejuſmodi intempeſtivas impareſque nuptias ita invehitur: Ἐν ταῖς πόλεσι τοὺς ἀζημίους τούτους δεῖ δοτέον, δεῖ δὲ φρουρίον. ἀώρους καὶ ἀκαίρους ἐπιπλοκὰς, καὶ μηδὲν ἔργον γαμήλιον ἐχούσας, μηδὲ τέλος. Ἀλλὰ γέροντι νέαν ἀγαμίῳ φαίνεις ἂν ἐπιμελὴς ἄρχων ἢ νομοθέτης τὰ πρὸς τὸν Φιλοκτήτου· Εὖγ' ἂν ὡς γαμεῖν ἔχεις, πάλαι. Καὶ νέων ἐν δωματίῳ, πλουσίας πρεσβύπους, ὥσπερ οἱ πέρδικες ἀπὸ σωμασίας παχυνόμενοι, ἐξαυδῶν, μετοικήσει πρὸς παρθένον νύμφιον ἀνδρὸς δεομένου. Enimvero, huic, de quo agimus, legis capiti, Claudium Cæſarem obrogaſſe legimus, cum comperiſſet, etiam ſexaginta annos

annos natis, aut eo amplius, generandi vires ineſſe. Sic enim Suetonius in ejus vita *a*: *Capiti Papiæ Poppææ legis, à Tiberio Cæſare, quaſi ſexagenarii generare non poſſent, edicto, obrogavit.* Obrogari enim dicitur, cum prior lex, alia lege lata, poſtea aliqua ex parte commutatur. Quod circa Papiam legem ſenatuſconſulto Claudiano factum eſſe, ex Ulpiani fragmentis liquet, in quibus *b* ita eſt: *Sed Claudiano ſenatuſconſulto major ſexagenario, ſi minorem quinquagenaria duxerit, perinde habebuntur, ac ſi minor 60 annorum duxiſſet uxorem. Quodſi major quinquagenaria minori ſexagenario nupſiſſet, impar matrimonium appellabatur, nec ad capiendas hereditates vel legatas dotes proficiebat.* Plane, poſtquam conjuges, ſupra ſexageſimum maſculi, ſupra quinquageſimum feminæ, in matrimonio perſtiterant, ſolidum inter ſe capere, perinde ac ſi liberos ſuſcepiſſent, eodem Ulpiano teſte, poterant: cum imputari eis nihil poſſet, quorum conjunctio ad ætatem à prolis generatione alienam perveniſſet. Et hoc beatus Auguſtinus ſignificat, cum ait *c*: *Pro modo nunc temporis, quo longe breviore ſpatio vivunt homines, intra centum annos amborum generare poſſe dicuntur. Si vero in ſummam ducti amborum anni centenarium numerum exceſſerint, ſic aſſeverantur non poſſe*

 filios

a cap. 23. *b* Tit. 16. *c* lib. 3. contra Jul. Pelag.

filios procreare, etiam si fecunda sit mulier, & fluentibus adhuc muliebribus possit ex juvene: ut jure etiam fuerit constitutum, nequaquam jus liberorum haberet, nisi cum amborum anni computati & simul adducti centenos transisse docerentur. Sic enim locum emendo, fretus Ulpiani auctoritate, qui tum inter se conjuges solidum cepisse scribit, cum lege Papia finitos annos excessissent, id est, vir annos sexaginta, uxor quinquaginta. Jus enim liberorum, cujus Augustinus meminit, ad solidi capionem, de qua apud Ulpianum agitur, pertinet. His & alius ad rem faciens ejusdem Augustini locus adjungendus est *ex lib.* 1. *Quæst. in Genesin.* in quo ita est: *Sic enim medici tradunt, quoniam, cujus corpus viri secundum hoc jam defecit, ut cum feminæ provectioris ætatis, quamvis menstrua adhuc patiatur, generare non possit, de juvencula potest. Et rursus mulier, quæ jam provectæ ætatis est, quamvis adhuc menstrua fluant, ut de seniore parere non possit, de juniore potest.*

Alio præterea, quemadmodum Ulpianus auctor est *a*, legis Juliæ de maritandis ordinibus capite, tutor à Prætore urbano ei mulieri virgini, quam ex ea lege nubere oportebat, dari jubebatur ad dotem dandam, dicendam, promittendamve, si legitimum tuto-

a Tit. de tutel.

tutorem pupilla non habebat. Eoque pertinet, quod idem alias *a* ſcribit, non tantum ad dotem dandam nupturæ curatorem dari oportere, verum etiam ei quæ jam nupta eſt. Ut enim Martianus Capella, *lib. 9. de nuptiis Philologiæ* ſcribit, *Etiam matrimonio copulato dotem dare viro femina nullis legibus prohibetur.* Et Paulus, lib. 2. Sententiar. *b*, *Dos*, ait, *aut antecedit, aut ſequitur matrimonium. Et ideo vel ante nuptias, vel poſt, dari poteſt.* Sed & ad dotem augendam, & mutandæ quoque dotis gratia, curator dari poteſt. Plane in nuptiis contrahendis tutoris curatoriſve conſenſus non exigitur, eoque ſpreto pupilla pro arbitrio ſuo recte nubit. Et ita Verus & Antonin. reſcripſerunt *c* in hæc verba: *Ad officium curatoris adminiſtratio rerum pupillæ pertinet: nubere autem arbitrio ſuo poteſt.* Verum ei ad dotem conſtituendam tutor ex lege Julia dabatur. Quodſi curator generalis, vel dotis dandæ cauſa conſtitutus, amplius doti promiſiſſet quam facultates mulieris ferrent ipſo jure eam promiſſionem non valere, Terentius Clemens *lib. ad legem Iuliam & Pap.* ſcribit *d*, quia lege rata non habeatur auctoritas dolo malo facta.

a l. non tantum. 7. D. de tutor. & curat. dat.
b Tit. 21. *c* l. ſciendum. 20. D. de ritu nupt.
d l. ſive generalis. 61. D. de jure dot.

facta. Qui locus perſpicue indicat, lege Julia id fuiſſe comprehenſum. Nec tamen tota obligatio, ſed tantummodo, quod ſuperfluum eſt, & ampliùs promiſſum quam promitti oportuerit, infirmabitur. Inutilis enim adjectio utilem dotis conſtitutionem vitiare non debet. Quemadmodum & immodica donatio non omnino, ſed quatenus duntaxat legis modum excedit, revocatur *a*. Poteſt vero mulier omnia bona ſua in dotem dare: nec ulla lege hoc prohibitum reperitur *b*. Sed ſi in eo capta circumventaque eſt, quod ampliorem grandioremque, quam natalium ſplendor & viri dignitas poſtularet, dotem dederit, reſtitutionis auxilium probe implorat *c*. Ceterum ſeparabat lex dationem dotis, dictionem, & promiſſionem. Dictionem quidem ita Caius *in Inſtitut. fragment.* explicat *d*: *Sunt & alia obligationes, quæ nulla præcedente interrogatione contrahi poſſunt. id eſt, ut, ſi mulier, ſive ſponſo, ſive jam marito, uxor futura, dotem dicat: quod tam de mobilibus rebus, quam de fundis fieri poteſt. Et non ſolum in hac obligatione ipſa mulier obligabitur, ſed & pa-*

ter

a l. ut mihi. 21. §. 1. D. de donationibus. l. ſancimus. in prin. & §. fin autem. Cod. eod. tit. *b* l. nulla. 4. Cod: de jure dot. l. mulier. 72. D. eod. tit. *c* l. ſi ex cauſa. 9. §. 1. D. de min. l. un. C. ſi adverſus dotem. *d* lib. 2. cap. 9.

ter ejus, & debitor ipsius mulieris, si pecuniam, quam debebat, marito in dotem dixerit. Quæ tantum tres personæ nulla præcedente interrogatione possunt dictione dotis legitime obligari.

Sed ad alia pergamus. Lege etiam Julia de maritandis ordinibus, jusjurandum, Paulo teste *a*, remittebatur, quod liberto in hoc impositum erat, ne uxorem duceret; libertæ, ne nuberet; si modo nuptias contrahere recte vellent. Eodemque legis capite tricesimo quinto, qui liberos, quos in potestate habebant, injuria prohibebant uxores ducere, vel nubere, per magistratum cogebantur *b*. Fuisse quoque hæc fere verba eadem lege comprehensa, non temere adfirmare posse mihi videor: *Divortii faciendi potestas libertæ, quæ patrono nupsit, invito patrono ne esto. Sed, quamdiu patronus eam uxorem esse volet, & uxor esse velle debebit.* Quæ verba ex duobus Ulpiani locis *c*, *ex lib.* 3. *ad l. Iul. & Pap.* sumtis, perspicue eliciuntur. Idem etiam alias *d*, *Si liberta*, ait, *ab invito patrono divertit, lex Julia de maritandis ordinibus, retinet istam in matrimonio, dum prohibet alii nubere invito patrono.* Indeque etiam rescriptum Alexan-

a l. adigere. 6. §. ultim. D. de jure patron. *b* l. capite. 19. D. de ritu nupt. *c* l. in eo jure. 45. D. de rit. nupt. l. ult. D de divort. *d* l. uu. §. 1. in fin. D. unde vir & ux.

Alexandri interpretandum est. ita habet *a*: *Libertæ tuæ, ducendo eam uxorem, dignitatem auxisti; & ideo non est cogenda operas tibi præstare, cum possis legis beneficio contentus esse, quod invito te alii non possit juste nubere.* Patronum autem in hac lege accipimus, eum qui ex servitute sponte manumisit, vel filium ejus. Sed, an is, qui ex causa fideicommissi manumisit, hoc idem jus habeat, quæri potest. Hic enim pro patrono habetur, quamquam plurimum ab eo qui nulla necessitate cogente gratuitam præstitit libertatem, differt. Nec enim magnam ei gratiam libertus debet, qui vel nolente eo ad libertatem rapitur. Ideoque operas ei imponere, ut est ab Adriano rescriptum, in ipsa manumissione non potest *b*, nisi testatoris filius ejusmodi fideicommisso à patre ea mente, ut plenum jus patroni haberet, gravatus sit *c*. In tantum, ut & si manumitti eum ita testator, ut operas heredi extrario promitteret, voluerit, non cogatur manumissus promittere: sed &, si promiserit, in eum actio non dabitur; quod juri publico derogare non potuerit, qui fideicommissariam libertatem dedit *d*. Et tamen,

a l. libertæ. 8. C. de op. libert. *b* l. ut jusjur. §. reseript. D. de op. libert. l. mater. 5. C. eodem tit. *c* l. qui ex causa. 29. D. de bon. libert. *d* l. cerdonem. 42. D. de oper. libert.

men, eos, quibus ſupremis judiciis libertas per fideicommiſſum relinquitur, eorum libertos effici, à quibus manumittuntur, negari non poteſt *a*. Sed non per omnia in eos patronorum jura ſibi manumiſſores vindicant *b*. Nam honorem quidem & reverentiam patronis debitam ab iis exigere poſſunt *c*; & in jus ſine venia eos vocare non concedi-tur *d*; & ad impuberum libertorum legitimam tutelam, utpote manumiſſores, vocantur *e*; & tam contra tabulas, quam ab inteſtato, ad libertorum bona veniunt *f* quaſi patroni. Ceterum nec operas imponendi, ut dixi, nec ingratos libertos accuſandi jus habent *g*; nec alimenta eis præſtare liberti coguntur *h*. Magis eſt itaque, ut nec legis hujus beneficium habeant, qui neceſſitate coacti manumiſerint. Idque ita conſtitutum fuiſſe, Marcellus *lib.* 3. *ad l. Iul & Pap.* ſcribit *i*. Cui & Modeſtinus aſſentitur *k*. & merito: cum magis debitam libertatem præſtitiſſe, quam ullum beneficium in mulierem contuliſſe, videantur. Diverſa longe

a l. hi quibus. C. de fideicom. lib. *b* l. nequaquam. 24. D. de excuſ. tut. *c* l. mater. C. de op. lib. *d* l. is quoque. D. de in jus voc. & d. l. nequaquam. *e* l. 3. D. de legit. tutor. *f* l. qui ex cauſa. D. de bon. lib. l. 1. C. de bon. poſſ. contr. tab. *g* l. 1. C. de libert. & eorum liber. *h* l. ſi quis à liberis. §. ſi quis à liberti. D. de lib. adgn. *i* l. proxime. 50. D. de rit. nupt. *k* l. pen. D. de divort.

longe ejus, qui hac lege emit ut manumittat, causa est. Hic enim si manumiserit, ut patronus hoc jus habebit *a*, propterea quod sponte sua hanc legem subiit, quam ei ab initio recusare integrum erat. Quamobrem & ali hic à liberto, si egestas premat, debet, & in jus vocari sine venia non potest, & omnia omnino legitimorum patronorum jura nanciscitur *b*. Sed an idem servabimus, si, cessante eo, ex constitutione D. Marci servus ad libertatem ereptus sit? Non enim vindictam imposuit. Propius est tamen, & hunc quoque lege contineri: quippe qui patronus existimetur *c*, cum potestas legis factum manumissoris suppleverit, non etiam patronatus commoda ademerit *d*. Plane, qui ancillam suis nummis emit, pro patrono in hoc jure non habetur *e*: sicut nec liberum ut ingratum accusare, nec operas ab eo exigere, nec alimenta desiderare, nec ad bona ejus contra tabulas admitti jure potest *f*: licet honos ei servetur, ut nec in jus vocari citra veniam, si modo non fidem

a l. in eo. 45. D. de rit. nupt. *b* l 3. §. sed si hac. D. de bon. lib. *c* l. sed si hac lege. 10. D. de in jus voc. l. 3. §. is plane. D. de suis & legit. l. servum. 8. in fin. D. de jure patron. *d* l. justa causa. §. 1. D. de manum. vindict. l. ult. C. si mancip. ita fuer. ali. *e* d. l. in eo. §. 2. D de rit. nupt. *f* l. si tuis. C. de oper. libert. l. si quis à liberis. §. si quis à liberti. D. de lib. adgn. l. 1. C. de bon. lib.

fidem fregerit, queat *a*. Patronus hic certe accipitur & qui colluſionem detexit, per quam in ingenuitatem quis ex libertinitate obrepſerat. Fraude enim hac patefacta, ejus libertum efficieum, minime dubium eſt *b*. Sed & ſi quis præjudicio patronus pronunciatus eſt, cum alioquin non eſſet, pro patrono habetur *c*. In hac enim cauſa ſententiam jus facere, receptum eſt. Aliter atque de eo dicendum eſt, qui ſe patronum eſſe juravit. Nec enim in hac parte, nec quod ad ſucceſſionis jura attinet, pro patrono habetur *d*; tametſi in jus vocari ſine venia non poſſit. Quodſi filiusfamilias, juſſu patris, vel conſentiente eo, non caſtrenſis peculii ancillam manumiſerit; exiſtimo, etiam patrem legis beneficio fruiturum, quandoquidem manumiſiſſe ipſe videtur, & patronus eſt *e*. Quodſi filiusfamilias in caſtris quæſitam ancillam manumiſerit, ei legis hujus beneficium competet; cum ſuam, non patris libertam, eam fecerit *f*. Quod & ab Adriano reſcriptum dicitur *g*. Et certe caſtrenſis peculii ſervi in

a d. l. ſed ſi hac lege. D. de in jus voc. *b* l. adoptivum. 8. §. patronum. D. de in jus voc. l. 4. D. de colluſ. deteg. *c* d. l. adoptivum. §. 1. D. de in jus voc. *d* l. ſi juravero. D. de jure patron. *e* l. ſi conſentiente. D. de manumiſſionib. l. pater. D. de manum. vind. *f* d. l. in eo. §. 3. D. de rit. nupt. *g* l. ſervum. D. de jur. patr. l. 3. §. ſi quis filiusfa. D. de bon. lib.

vi in familia patris non computantur, nec in his juris quicquam pater habet. Quæsitum est, an, qui sibi cum alio communem libertam duxit, ad hoc jus admittatur. Quod negasse Javolenum, Caius *lib. 9. ad l. Iul. & Pap.* retulit *a*. Contra tamen alios sentire. Quorum sententiam magis probat, propterea quod ejus liberta sit, quamvis alterius quoque sit. Nam quod commune est, pro parte nostrum esse, negari non potest *b*. Filio etiam patroni in libertam paternam, eandemque uxorem, ex sententia legis, idem juris, quod patrono ipsi, datur *c*. Quodsi fratri suo à patre adsignatam alter frater uxorem duxerit, hoc idem jus non habebit *d*. Nihil enim juris in hujusmodi liberta habet, quæ adsignatione fratris perinde propria facta est *e* atque si ab eo libertatem consecuta esset. quod senatusconsulto inductum est. Ceterum, de nupta liberta lex loquitur, nec ad sponsam pertinet. Et ideo sponsalium conditioni, invito patrono, renunciare liberta potest, nec cum alio connubium amittit *f*. Interdum plane, quæ de nuptiis statuuntur, ad sponsalia porriguntur: nimirum, ubi eadem ratio utrubique versatur. veluti, inter quos nuptiæ prohibentur,

a l. illud. 46. D. de rit. nupt. *b* l. servi. 5. §. 1. de legat. 1. *c* l. filio. 48. D. de rit. nupt. *d* d. l. filio. §. ult. *e* l. 1. D. de adsign. lib. *f* l. in eo jure. §. hoc caput. D. de ritu nupt.

bentur, inter eos quoque ſponſalia, utpote viam ad matrimonium facientia, prohibita intelliguntur *a*. At, quod de nupta conſtitutum eſt, non protinus ad ſponſam producendum eſt, quoniam arctiori vinculo conſtricta eſt quæ nupſit, quam quæ duntaxat deſponſa eſt. Enimvero in ea demum, quæ juſte, legitime, ac civiliter nupta eſt, lex locum habet. Nam, ſi ignominioſam libertam ſuam patronus duxerit, id eſt, quæ quæſtum corpore fecerit, artemve ludicram exercuerit, vel judicio publico ſit damnata, quia contra legem maritus eſt, legis hujus beneficium non habet *b*. *Indignus enim eſt beneficio legis qui adverſus eam commiſit c*. Nec tamen legitimæ duntaxat nuptam libertam, ſed & eam quoque quæ in concubinatu ſolum patroni ſit, ſententia legis adprehendi, notandum eſt. Igitur, quemadmodum Ulpianus *libro primo ad l. Iuliam* ſcribit *d*, quæ in concubinatu patroni eſt, ſi ab eo invito diſceſſerit, ei connubium adimetur: quippe cum honeſtius ſit patrono, libertam concubinam, quam matremfam. habere.

Ait lex, *Invito patrono*. Invitum accipere debemus *e* eum, qui non conſenſit ad divortium. Proinde non tantum nolente & diſſen-

a l. oratio. 16. D. de ſponſalib. *b* l. filio. 48. §. 1. D. de ritu nupt. *c* l. auxilium. 37. D. de minorib. *d* l. 1. D. de concub. *e* d. l. in eo. §. deinde. D. de rit. nupt.

dissentiente vel contradicente liberto divertere non potest, sed omnino sine ejus assensu. Et alias quoque invitus dicitur *a*, qui consensisse non probatur; nisi ubi lex consensum ex taciturnitate & silentio colligit, veluti in dotis repetitione *b*, & in sponsalibus nuptiisve constituendis *c*. His consequens est, ab absente & ignorante patrono non recte libertam divertere. Rectius enim, ait Ulpianus, hic invitus dicitur quam qui dissensit. Quod dictum novum videri superficiem solam verborum inspicienti posset: summam tamen rationem habet. Nam, qui contrariam voluntatem contestati, dissensus sui rationes reddiderunt, multo minus habent quod querantur, quam quibus ignorantibus res gestæ sunt: cum iis, quid animi habeant, explicandi facultas non sit data; spretaque ac neglecta sit, quæ exquirenda fuerat, voluntas. Qua de causa multa invitis & dissentientibus aliquibus recte fiunt, quæ his absentibus & ignorantibus facta non tenent. Ut accidit, cum, tribus judicibus datis, absente uno, ex his duo pronunciarunt. Quamquam enim, præsente eo, & invito, duorum, utpote numero superiorum, sententia prævaluisset; quia tamen omnes

a l. filiusfa. 8. §. invito. D. de procuratoribus. *b* l. 2. §. 2. D. sol. matr. *c* l. in sponsalibus. in fin. D. de sponsalibus.

omnes convenire ad deliberandum oportuit, idcirco quod absente uno gestum est, irritum constituitur *a*. Forsitan enim, si præsens fuisset, qui abfuit, rationum suarum pondere ac momento reliquos de sententia deducere & in suam trahere potuisset: quemadmodum de Paphnutio episcopo prodi-
tum est *b*, qui in Niceno concilio, cum universis placeret, à conjugum usu atque consortio prohibendos eos quoque, qui ante sacros ordines susceptos uxores duxissent, solus interceſſit, orationeque sua reliquos episcopos, qui prius aliud senserant, in suam opinionem adduxit. Merito igitur, ut ad legis sententiam revertamur, eadem est patroni absentis & ignorantis, quæ contradicentis ac reclamantis, causa. Generaliterque adeo statui potest, ignorantes eodem cum dissentientibus loco habendos esse; ac proinde invitis nobis fieri ea existimari, quæ ignorantibus nobis fiant, quamquam prohibitio nulla interceſſerit *c*. Ideoque ignorantem invito jungi sæpius videas *d*. His consequens est, si patronus post nuptias

a l. si duo. 39. D. de re jud. l. si in tres D. de recept. qui arbitr. *b* *Socrat.* lib. 1. cap 11. *Sozom.* lib. 1. cap. 23. *c* l. in causæ. 27. versic. ceterum. D. de procuratorib. *d* l. solvendo. 39. D. de negot. gest. l. furiosus. D. de oblig. & act. l. 3. C. de hered. vend. l. solutione. l. solvere. D. de solutionibus.

furere cœperit, ab eo divertendo libertam hujus legis neceſſitate minime ſolvi *a*: quoniam nec ſcire nec conſentire furioſus intelligatur. niſi quod, quæ per dementiam patri dotem repetenti contradicere filia non poteſt, conſentire, voluntatem ejus affectu paterno ſupplente benigne, cenſetur *b*. Quamobrem Pomponius infantes & furioſos, quorum nulla voluntas eſt, invitos recte dici aiebat *c*.

Ait lex, *Poteſtas ne eſto*. Quibus verbis non infectum efficit divortium, quod jure civili matrimonium ſolvit; ſed libertæ, quæ divertit, dotis repetitionem, connubiumque, id eſt, alii jure nubendi poteſtatem, adimit: licet conſtare matrimonium dici non poſſit, cum ſit ſeparatum *d*. Divertere igitur liberta poteſt, & eſt quidem divortium, confirmationemque factæ inter eos donationis impedit *e*; ſed alii nubendi lex ei poteſtatem denegat ac tollit, quamdiu eam animo uxoris & pro conjuge patronus habeat. Satis enim incivile & inofficioſum eſt, libertam, nuptiis patroni honoratam, & hoc beneficii cumulo auctam, pro arbitrio patronum deſerere. Et ideo bene imperator Alexander *f* patronum, qui libertam uxorem

a d.l.in eo.§.deinde.D.de ritu nupt. *b* l.2.§ voluntatem.D.ſoluto matr. *c* l.invitum.D.de ſervit. urb. *d* l.ult.D.de divort. *e* l.& ideo.62.§.1.D.de don. int. vir. *f* in l. libertæ. C. de oper. lib.

uxorem duxit, legis beneficio contentum esse debere rescripsit, *quod invito eo non possit ea alii juste nubere.* Nec enim dixit, divertere non posse, quia nec hoc lex sensit. Non tantum autem, uxorem alii esse non posse, sed nec in concubinatu quidem à quoquam haberi hujusmodi libertam posse, Julianus censebat; quæ, hoc impedimento deficiente, jure licito in concubinatu à quovis haberetur *a*. Plane, si voluntate patroni liberta discesserit, connubium cum alio habet, & de dote cum patrono agere potest *b*, quam ei dedit.

Ait lex, *Quamdiu volet*. Itaque, si vel patronus esse, vel eam conjugem velle desierit, statim legis auctoritas finitur. Quali-quali autem voluntate intelligi possit, patronum animum habere desiisse quasi in uxorem, legis hujus beneficium amittit. Proinde si rerum amotarum cum ea egerit, vel aliqua actione quæ constante matrimonio inter eos non detur, vel accusare eam adulterii deprehensi cœperit, vel alio crimine postulare, quod uxori nemo objicit, vel si aliam sibi desponderit, destinaveritve, aut cum alia matrimonium contraxerit, vel aliam in concubinatu habere instituerit, incipit libertæ cum alio connubium esse: quod ea duntaxat ratione ei adimitur, quod

a l. 3. D. de concub. *b* l. liberta. 35. D. soluto matr.

patronus sibi eam nuptam velit. Quare, ubicunque vel tenuis intellectus videri potest nolentis nuptam, alteri se liberta vel in matrimonium, vel in concubinatum recte dabit *a*. Ceterum, verba hæc, *Quamdiu volet*, tractum habent *b*. Unde dubitari potest, si patronus ab hostibus captus sit, statimne hujus legis necessitate liberta solvatur, an etiam exspectandum ei sit, dum patronus redeat. Nodus sane hic vindice dignus. In hujus enim quæstionis dissolutione Julianum & Ulpianum in contrarias sententias scissos invenio. Verum ipsamet Ulpiani verba subjicere præstat *c*: *Si ab hostibus patronus captus esse proponatur, vereor ne possit ista connubium habere nubendo: quemadmodum haberet, si mortuus esset. Et, qui Iuliani sententiam probant, dicerent, non habituram connubium. Putat enim Iulianus, durare ejus libertæ matrimonium etiam in captivitate, propter patroni reverentiam. Certe si in aliam servitutem patronus sit deductus, procul dubio dissolutum esset matrimonium.* Quæ verba apertissime ostendunt, inter Jurisconsultos de hac specie minime convenisse. Captivitate enim matrimonium mero jure solvitur *d*, quod is in servilem

a l. ult. §. ult. D. de divortiis. *b* l. 3. D. ad sen. Tertyl. *c* l. in eo jure. 45. §. ult. D. de rit. nupt. *d* Novel. 37.

lem causam deductus, servusque hostium factus, jam pro nullo habeatur. Itaque Triphoninus *a*, *Captivi*, ait, *uxor, tametsi maxime velit, & in domo ejus sit, non tamen in matrimonio est.* Similiter Paulus *b*: *Si quis sic stipulatus sit à marito, Si quo casu Titia tibi nupta esse desierit, dotem dabis? hac generali commemoratione, & ab hostibus capta ea, committi stipulationem, eoque genere bona gratia solvi matrimonium censebatur c.* At Julianus, spreta hac stricta & subtili juris ratione, durare adhuc matrimonium censebat, nec licentiam habere libertam, cujus patronus, idemque maritus, ab hostibus captus esset, ad aliud matrimonium migrare, non tantum propter debitam patrono reverentiam, sed etiam, ut existimo, propter suspensum ejus statum, & postliminii spem. Juliani hæc sententia expressis verbis in alio Pandectarum capite consignata est, quod apertissimum aut oscitantiæ, aut inscitiæ Triboniani exemplum est. Ex libro enim 62. Digestorum Juliani hæc verba referuntur *d*, sub tit. de Divortiis: *Vxores eorum, qui in hostium potestatem pervenerunt, possunt videri nuptarum locum retinere, eo solo, quod alii temere nubere*

a l. in bello. 12. §. 4. D. de capt. *b* l. si quis sic stipul. 56. D. solut. matr. *c* Novell. 37. *d* l. uxores. D. de divort.

non possunt. Et generaliter definiendum est, donec certum est, maritum vivere in captivitate constitutum, nullam habere licentiam uxores eorum migrare ad aliud matrimonium. nisi mallent ipsæ mulieres causam repudii præstare. Sin autem in incerto est, an vivus apud hostes teneatur, vel morte præventus; tunc, si quinquennium à tempore captivitatis excesserit, licentiam habet mulier ad alias migrare nuptias: ita tamen, ut bona gratia dissolutum videatur pristinum matrimonium, & unusquisque suum jus habeat imminutum. eodem jure & in marito in civitate degente & uxore captiva observando. Sed mihi, dicam ingenue, caput hoc valde suspectum est. Nam vix adduci possum, ut credam, pura esse Juliani omnia verba, quæ sub ejus nomine referuntur: quinimo, à Triboniano aliquid fermenti esse inditum, credibile est. Movet me, quod tota hæc clausula, *Sin autem in incerto*, &c. nihil aliud continet, quam quod Ἀμφιβόλου ab ipso Justiniano constitutum est *Novell.* 22, his verbis: Ἀλλὰ καὶ τὸ τῆς αἰχμαλωσίας, &c. id est, ut ego interpretor, *Captivitatis etiam casus, ad eam matrimonii dissolutionem, quæ bona gratia fit, pertinet. Sive enim vir eum casum patiatur, uxore in civitate manente; sive rursus, muliere ab hostibus capta, vir in civitate remaneat; stricta quidem & subtilis ratio matrimonium*

monium ſolvit. Nam ſervitute alterutri ex conjugibus contingente, fortunæ ſtatuſque ac conditionis inæqualitas, ac diſparitas, nuptiarum æqualitatem ſtare non patitur. Verum-enimvero, hæc benignius humaniuſque inſpicientes, quamdiu quidem captivum conjugem vita frui conſtat, diſſolvi matrimonia non concedimus, nec ad ſecundas migrare nuptias: niſi velint hoc temere facere, & ſubjacere pœnis injuſti divortii; ut vir quidem ante nuptias donationis, uxor vero dotis amiſſione multetur. Quodſi incertum ſit, ſuperſitne, an non, qui in militiam abiit perſona; tunc quinquennium exſpectare, tam virum, quam mulierem: poſt quod ſive certus de morte nuncius afferatur, ſive in incerto maneat, impune nuptias contrahere licet. Ex quibus colligitur, quinquennium illud, quo exſpectari abſentis conjugis reditus debet, à Juſtiniano præſtitutum eſſe. Hoc enim ille ſibi tribuit, his verbis, χωρεῖντες, & συγχωρεῖμεν. Quamquam ſequentia verba dubitationem forte lectori moverent. in quibus ita eſt: Καὶ τοῦτο μὲν δὴ παῖς καλυμμένοις *bona gratia* ἀμαλύσεσι ἐπὶ τὸ ἐφ' ἡμῶν συνηθέμενον. καὶ ἡμεῖς ἐις τοῦτο σύμφαμεν, ὥστε ἐντεῦθεν μὲν ἀμζυγίῳ γίνεσθαι καιρὸς, ὅπου τὸ ἑτεροσώπων διεζεύχθαι ἀλλήλων, καὶ μηδεὶς ἐντεῦθεν κερδαινέτω, ὅτε ὁ ἀνὴρ τὴν φορτίνα, ὅτε ἡ γυνὴ τὴν προγαμιαίαν δωρεάν.

καὶ ἐπὶ τῶν οἰκείων μέρει. id est: *Et hæc enim species in his dissolutionibus nuptiarum, quæ bona gratia fiebant, ab antiquis, & qui nos antecesserunt, numerabatur. Nos quoque in hoc consentimus, ut hinc neque divortii detur occasio, sic distractis à sese personis, nec aliquis inde lucrum ferat, nec vir dotis, nec mulier ante nuptias donationis, sed unusquisque sua sibi habeat.* Quod sic accipi potest, ut per captivitatem quidem, bona gratia dissolvi matrimonium veteres crediderint. Quorum sententiæ Justinianus, adhibito temperamento, quod exposuimus, accedit. Nam, ante eum, quinquennium illud observatum non fuisse, argumento est Constantini constitutio, quæ de quadriennio loquitur. quam, quod causæ nostræ jugulum premat, integram subjungam. *Vxor,* ait *a, quæ, in militiam profecto marito, post interventum annorum quatuor, nullum sospitatis ejus potuit habere indicium, atque ideo de nuptiis aliis cogitavit, nec tamen ante nupsit, quam libello ducem super hoc suo voto convenit; non videtur nuptias iniisse furtivas, nec dotis amissionem sustinere, nec capitali pœnæ esse obnoxia, quæ post tam magni temporis jugitatem non temere, nec clanculo, sed publice, contestatione deposita, nupsisse firmatur.*

Viden-

a l. uxor. 7. C. de repud. & judic. de morib. subl.

Videndum est igitur, ne Justinianum in Julianum infuderit Tribonianus, & veteribus nova more suo permiscuerit. Nec abest suspicio, quin & alio capite, huc quoque spectanti, quod ex Pauli lib. 4. ad leg. Jul. & Pap. descriptum est, aliquid de suo inseruerit. Ita enim caput habet *a*: *Non ut à patre filius, ita uxor à marito, jure postliminii recuperari potest: sed tunc demum, cum & voluerit mulier, & adhuc alii post constitutum tempus nupta non est. Quodsi noluerit, nulla causa probabili interveniente, pœnis discidii tenebitur.* Nam, constitutum aliquod tempus fuisse, ante posteriores Impp. non legimus. Et certe Quintilianus, in ficto themate, quod hic prætermitti non debet, non certi alicujus temporis meminit. festinatio quidem mulieris, quæ, morte mariti solo rumore intellecta, alii confestim nupserat, ita apud eum notatur *b*: *Adulteros fuisse in matrimonio, constat: nemo negat. Matrimonium duobus generibus solvitur, aut repudio, aut morte alterius. Neque repudiavi: & certe vivo. Sed rumor de morte venit. Hæc statim nupsit alii marito. Quid est hoc aliud, quam improbius adulterium? Meæ igitur nuptiæ manserunt: illæ non fuerunt legitimæ. Legitimum porro matrimonium, nisi soluto*

a l. non ut à patre. 8. D. de captiv. & post.
b declamatione 347.

priore, esse non potest. An opinione contenti sumus? Et postea: *Ergo uxor, sic à me amata, testamento relicta heres, audita morte mariti, non inquisivit ubi periissem: non aliquos certiores nuncios, non reversuros à supremis officiis servulos, exspectavit: sed festinato quoque nupsit; & in novæ libidinis amorem, meæ judicia protinus eludens, transtulit mœchum, in eadem domo, in eodem cubiculo, in eodem lecto. adeo mariti prioris etiam memoriam abjecerat. Desii ista mirari, cum adulterum vidi juvenem, propter quem tamdiu vidua esse non posset, quamdiu peregrinari poteram ego qui uxorem sic amavi. Temere profecto, temere, in longius ituri, conjuges nostras domi relinquimus: subito absentum obliviscuntur, & pene cum ipsis horis uxorum pectora refrigescunt. Mirer nunc ego, unde rumor? quæ tam maligni mendacii causa? cui fingere istud expedierit? Ille profecto in causa fuit juvenis, qui ad domum meam ductus est: quæsitus est locus.* Sed hæc, qui acutiore sunt ingenio præditi, & qui plus otii ad has res speculandas & perscrutandas habent, diligentius exactiusque me, homine forensibus negotiis præpedito, investigabunt: satisque habebo, si, me veluti classicum canente, ad hujus rei accuratiorem disquisitionem excitentur. Ut ut sit, aliam quandam huic quæstioni formam Justinianus,

Novel-

Novella 117, dedit : quam Juliani Patricii *a* verbis, quæ mentem Juſtiniani perſpicue reddunt, proferam. *Iubemus uxores militum, ſive in expeditionibus degentium, ſive in militiis, ſive milites ſint, ſive federati, ſive ſcholares, ſive alia qualicunque armata militia decorati, exſpectare, quantoſcunque annos in expeditione fuerint; etſi nullas literas, nullum reſponſum, à maritis* (ſic enim procul dubio legendum) *ſuis receperint. Sin autem talis mulier maritum ſuum defunctum audierit, non liceat ei ſtatim ad alias nuptias pervenire, niſi prius pervenerit aut per ſe, aut per parentes ſuos, aut per aliam qualemcunque perſonam ad priores numeri & chartularios ſcrinii.*

Tutores etiam, pupillas ſuas uxores ducere, & filiis ſuis nuptum dare, ſenatuſconſulto, quod Marci Antonini & Commodi orationem ſubſecutum eſt, prohibebantur *b*. Eoque referendum eſt quod Marcellinus, Hermogenis interpres, Νόμος, ait, μὴ γαμεῖν τὴν ὀρφανὴν, μήτε τῷ ἐπιτρόπῳ, μήτε ὁ ἐπίτροπος παιδί. Cauſam autem harum prohibendarum nuptiarum vel hanc præcipuam fuiſſe invenio *c*; ne pupillæ in re familiari circumſcriberentur ab iis, qui rationes eis geſtæ tutelæ reddere neceſſe habe-

a Novell. Conſtit. 108. c. 387. *b* l. ſenatuſconſulto. 59. D. de ritu nupt. *c* l. libertum. 64. §. 1. D. de ritu nupt. l. ſi tutor. C. de interd. matr.

bant; neve fraudes in tutelæ administratione commissæ, hujusmodi domestici matrimonii velamento, quo tutelæ reddendæ ratio inhibebatur, tegerentur, quas palam proferri reipublicæ expedit. Atque hanc prohibitionis harum nuptiarum causam Principum oratio continebat *a*, quam Paulus libro singulari persecutus erat: ceteri etiam Jureconsulti satis multis verbis de ejus sententia egerant. Summa vero eorum, quæ ad ejus interpretationem adferri ex eorum conciliis à Triboniano scriptis potest, hæc est: Sententia orationis senatusconsultique contineri quoscunque qui rationibus reddendis sunt obnoxii. Non tantum igitur tutores, adolescentumve curatores, sed & curatores ventri bonisque dati, senatusconsulto apprehenduntur. Hi quoque, qui tutores quidem non sunt, periculo tamen tutelæ suo nomine obstringuntur, à pupillarum nuptiis arcentur. quales sunt qui falsis allegationibus à tutela se excusaverunt *b*. Ad eos enim, postquam religionem jus dicentis circumvenisse eos constiterit, periculum administrationis exinde pertinet ex quo dati sunt *c*. Ideinque & in honorariorum tutorum persona servandum est. Nam & hi male

a l. non solum. 67. §. 3. D. de ritu nupt. *b* l. si quis tutor. 60. D. de ritu nupt. *c* l. 1. l. 2 & 3. C. si ex falsis allegat. §. ult. Instit. de excus. tut.

male geſtæ tutelæ periculum præſtant *a*. Heredes quoque tutorum, licet extranei, quoniam rationes reddere debent, ſenatuſconſulti prohibitione concluduntur *b*. Ac vel ejus, qui tutor curatorve datus non juſte provocaverit, heres quandoque victus, quia præteriti temporis damnum, ſiquod pupilla paſſa ſit, adgnoſcere debet, ad orationem pertinet *c*. Alia eſt ejus, qui pro tutore curatoreve, cum revera tutor curatorve non ſit, negotia adminiſtrat, cauſa. Hunc enim, cum nomine tenus, quod ſibi falſo uſurpat, tutor ſit, à pupillæ, cujus res geſſit, nuptiis repelli, Leoni & Anthemio diſplicuit *d*. Et certe in toto fere jure eorum adminiſtratio diverſam à tutorum adminiſtratione rationem habet *e*. Fidejuſſores plane, nominatoreſque tutorum, aut qui eos dedêre magiſtratus, licet, deficientibus tutoribus, in tutelæ periculum incidant, quia tamen ex alterius perſona hoc incommodi eis accedit, ſenatuſconſulto non continentur. Quod vero ſenatuſconſulti verbis cavebatur, ne uxorem tutor pupillam ſuam du-

 ceret,

a l. quod ſi forte. 14. §. 1. D. de ſolution. *b* d. l. libertum. §. 1. D. de ritu nupt. *c* d. l. ſi quis tutor. §. ult. D. de ritu nupt. *d* l. ult. C. de interd. matr. *e* l. apud. §. ſi quis non tutor. 24. D. de doli except. l. 1. §. cum eo. l. 2. D. de eo qui pro tut. l. debitores. D. de ſolutionib.

ceret, sic acceptum est, ut ne desponderi quidem possit *a*. Sed nec filiis suis modo, verum etiam nepotibus, nuptum dare pupillas suas tutores prohibiti intelliguntur. Quamquam enim de filiis duntaxat oratio loqueretur, ad nepotes tamen interpretatione producta est: quod prohibitionis eadem circa illos, quæ circa filios, ratio versetur; licet, si propriam verborum significationem spectemus, filiorum appellatio nepotes non complectatur. Nihil autem interest *b*, filii sui juris, an in patris potestate, tutorisve vel curatoris, sint. Naturales etiam liberi, licet in adoptionem dati & in alienam familiam translati sint, senatusconsulto tamen comprehenduntur *c*. Adoptivi vero tamdiu, quoad de potestate dimittantur. Emancipatione enim adoptionis jura in totum perimuntur atque evanescunt *d*. Ad senatusconsultum quoque libertum pertinere placuit, qui filio suo naturali, quem in servitute susceperat, postea manumisso, pupillam suam in matrimonio collocat *e*. Nec vivo demum tutore, verum etiam post mortem ejus, filius tutoris prohibetur eam uxorem ducere, cujus tutelæ rationi pater obstrictus fuit; sive heres ei exstiterit,

a l. senatusconsulto. 59. l. 60. §. 5. D. de rit. nupt. *b* l. non est matrimonium. 66. D. de ritu nupt. *c* d. l. siquis tutor. §. naturales. D. eod. tit. *d* l. quinetiam. 55. & §. 1. in fin. D. eod. tit. *e* l. libert. C. de interd. matr.

exſtiterit, ſive abſtinuerit, aut etiam exheres ſcriptus ſit. Nam & fieri poteſt, ut per fraudem in eum collata bona patris propter tutelam revocari oporteat *a*. Quodſi avus tutelam geſſerit neptis ex filio emancipato natæ, nepti ex altero filio eam recte collocabit: cum hoc factum ſuſpicione propter parem affectionis ſtimulum vacet. Sed & ſi filiusfa. tutor puellæ vel curator ſit, (poteſt enim *b*,) patri ejus, fratrive qui in ejuſdem patris poteſtate eſt, pupillam non recte nuptum dabit *c*. Patriæ namque poteſtatis vinculo, unius prope ejuſdemque loco hæ inter ſe perſonæ habentur *d*. Quamquam autem in arbitrio matris, pater eſſe voluerit, cui nuptum filia communis collocaretur; non tamen ea tutorem ejus eligere poterit: cum contra voluntatem patris hoc ea facere videatur; qui ideo maxime eam prætulit, ne filiæ nuptias tutori committeret. Concludamus igitur, non eſſe matrimonium, ſi tutor vel curator pupillam ſuam, vel adultam, vel eam cui adminiſtrationis rationes reddere debet, ſibi liberiſve ſuis junxerit. Ex quo ſequitur, ut, cum ceſſet matrimonium, nec

a l. non ſolum. 67. D. de ritu nupt. *b* l. filiusfa. §. 1. & 2. D. de tut. & rat. diſt. l. tutorem. D. de adm. tutor. *c* d. l. non ſolum. §. ſed & ſi filiusfa. D. de ritu nupt. *d* §. ei vero. Inſtit. de inutilib. ſtip. l. frater à fratre. 38. D. de condict. indeb.

nec dos esse intelligatur *a*. Consequens est etiam, ob res, constante hujusmodi quali-quali conjunctione, discidii consilio subreptas, rerum amotarum actionem denegari *b*; quæ divortii nimirum, quo justa matrimonia dirimuntur, causa competens, ad illicitam conjunctionem non pertinet. Qua ratione motus quis, nec sine colore, inter hujusmodi personas factas donationes, matrimonii impedimento deficiente, valere diceret *c*. Sed cum quasi ad conjuges, non quasi ad extraneas personas fiant, nec ut sponsis factæ, quoniam & hic sponsalia improbantur, consistere possint; idcirco placuit, quasi ab indignis ea, quæ donata sunt, ablata, fisco vindicari. Delinquunt enim qui senatusconsulto vetitas nuptias contrahunt *d*. Plane ex testamento tutoris, in cujus matrimonium convenerit pupilla, sibi relicta capiet, nec quasi indigna repelletur. Contra tutor ex ejus testamento capere nihil poterit *e*. Hoc tam varie, quod non, ut tutori, ita pupillæ à tutore suo circumscriptæ, illicitarum nuptiarum adversus amplissimi ordinis decretum contractarum crimen objici imputarique possit. Pupilla ergo, ut nullius

a l. 3. D. de jure dot. *b* l. si concubina. 17. D. rer. amotar. *c* l. cum hic status. 32. §. ult. D. de donat. int. vir. *d* l. 3. §. 1. D. de donat. int. vir. *e* l. ult. D, de legat. 1, l. 1, l. 2. D. de his quæ ut indign.

lius culpæ adfinis, legatum, quod teſtamento tutoris meruerit, conſequitur. Per contrarium vero tutor, merito indignus cui occaſione hujus conjunctionis lucri commodique aliquid quæratur, à petitione legati, teſtamento pupillæ ſibi relicti, ſubmovetur. Verum cur infirmatur pupillæ à tutore, cum quo in matrimonium coiit, facta donatio; legatum vero teſtamento datum ſuſtinetur? Differentiæ inter hanc & illam ſpeciem ratio forte eſt, quod, quæ inter conjuges fit, matrimonii prætextu, intuitu, contemplationeque fieri intelligitur donatio. Ceſſante ergo matrimonio, quod donationi locum facit, cauſamque præſtat, vires habere huic caduco inmixa fundamento donatio non poteſt. At, quod teſtamento relinquitur, cum non ita matrimonio acceptum feratur, ſed & ob meritum extrinſecus accedere cenſeatur *a*, ex ejus ſolius vitio, qui teſtamenti honore indignus habetur, corruit. Quo fit, ut pupillæ, cui contra atque tutori, peccati hujus propter ætatis ſexuſque infirmitatem, legumque imperitiam, venia tribuitur, eorum, quæ teſtamento tutoris meruerit, perſecutio non denegetur. Creditur tamen cum his, quæ diximus, Cervidii Scævolæ reſponſum pugnare, quo fructuum, quos mulier uſusfru-

a l. nec adjecit. D. pro ſocio.

fructus ſibi à viro relicti nomine perceperit, repetitionem heredibus dandam reſpondit *a*, ſi poſtea illicitum fuiſſe matrimonium pronuncietur. Sed non eſt eadem omnium injuſtorum matrimoniorum ratio atque cauſa. Nam pupillæ quidem, quæ laqueis tutoris irretita, ejuſque vinculis conſtricta, ſenatuſconſultum offendit, culpa excuſata eſt: non æque vero ceteris mulieribus, quæ inhoneſtis illicitiſque ſe nuptiis maculaverint, parcimus. Itaque non eo minus verum eſt, quod generaliter definitur *b*, Nihil propter injuſtum matrimonium capi poſſe; &, Quod ab herede ignorante perperam ſolutum fuerit, id condici poſſe. Verumenimvero exceptiones quaſdam ſenatuſconſultum patitur. Una eſt, ſi deſponſata à patre, vel teſtamento deſtinata, denominatave ſit puella tutori, filiove ejus. Hanc enim patris voluntatem, quem hujuſmodi conditionem filiæ quæſiiſſe, ſpectata prius planeque perſpecta ac cognita futuri generi integritate atque fide, veriſimile eſt, ad exitum perduci, ſenatuſconſultum non impedit *c*. Altera eſt, ſi rationes tutor curatorve reddiderit, &

id

a l. uxori. 27. D. de uſufruct. leg. *b* l. 1. D. unde vir & uxor. l. Claudius. 13. de his quæ ut indign. l. qui contra. C. de inceſt. nupt. *c* l. non eſt matrimonium. 66. D. de rit. nupt. l. ſi patris. C. de interd. matr. l. qui pupillam 7. D. ad legem Jul. de adult.

id temporis effluxerit quo in integrum restitutionem pupilla impetrare possit. Ante constitutum enim petendæ in integrum restitutionis tempus, pupillam suam rationibus redditis uxorem ducere, nec matrem quidem ex alio matrimonio factam, potest *a*. Ex prætoris autem edicto olim post 25 annos utilis annus ad petendam in integrum restitutionem concedebatur. Ideoque, cum Marcellus in hac quæstione annum vicesimum sextum nominat *b*, utilem, non continuum, accipere, vel ex ipsis disertis Triphonini *c* Valerianique *d* Imperatoris verbis, debemus. At hunc utilem annum Justinianus in continuum quadriennium tandem mutavit *e*. Pupillæ utique, quæ ante redditam sibi tutelam decesserit, filiam tutor in matrimonium filio suo collocare non vetatur *f*, quoniam rationum reddendarum obligatio, æris alieni hereditarii vicem similitudinemque repræsentat ac sustinet; proindeque non minus cum tutoris quam cum cujuslibet alterius debitoris filio nuptias ea recte contrahit. Mater etiam pupillæ cum tutore filiæ suæ, vel filio tutoris, nuptias contrahere

a l. quamquam. 62. §. ult. D. de rit. nupt. *b* d. l qui pupillam. D. de adulter. *c* in l. filius. §. si quis eo tempore. D. de liber. & post. *d* l. si patris. C. de interd. matr. *e* l. ult. C. de tempor. in integ. restit. *f* l. non solum. §. pen. D. de rit. nupt.

trahere non prohibetur *a*. Sed nec tutores pupillis ſuis, vel curatores adultis, filias ſuas nepteſve nuptum dare vetantur *b*. Nulla enim ex hoc matrimonio pupillarium rationum interverſio contingere poteſt; cui præcipue periculo proſpicere ſenatus voluit. Item, qui ei, quam in matrimonio habebat, abſens & ignorans curator conſtitutus eſt, in ſenatuſconſulti pœnam non incidit; dum tamen alius in ejus locum ſubſtituatur: ne maritorum ignorantia fraus ampliſſimi ordinis conſulto quæratur *c*. Quamquam enim curæ datio non teneat, propterea quod uxori ſuæ maritus curator creari non poſſit *d*: tamen ſatagere ille debet, ut alius ei curator detur. Nam & qui non jure tutores curatoreſve dantur, curare debent *e* ut alii in eorum locum ſufficiantur; aut certe pupilli propinquos ac neceſſarios certiores facere, ut alium ei tutorem petant; ne pupilli utilitates ac negotia deſerantur. Proinde, cum Alexandro propoſitum eſſet, nurui ſocerum poſt liberos ex matrimonio ſuſceptos curatorem datum; matrimonium quidem rite ab initio contractum non vitiari, juſtoſque

a l. 2. C. de interd. matr. *b* l. libertum. 64 in fin. D. de ritu nupt. l. curatorem. C. de interdict. matr. *c* l. ampliſſimi. C. de excuſ. tut. *d* l. maritus. C. qui dare tutor. l. virum. D. de cur. furioſ. *e* l. 1. §. ultim. D. de eo qui pro tut. l. tutores. §. qui ſine. D. de adm. tut.

que esse ex eo quæsitos liberos, rescripsit *a*: verum omnis scrupuli amovendi causa insistere socerum debere, ut alius ejus loco daretur. Qua de specie etiam consulti per epistolam Impp. Galienus & Valerian. in hæc verba rescripserunt *b*: *Licet orationis sub divo Marco habitæ verba deficiant, is tamen, qui post contractas nuptias nurui sua curator datus est, excusare se debet, ne manifestam sententiam ejus offendat, & labem pudoris contrahat.* Pœna autem tutoris, qui senatusconsulto vetitas nuptias copulavit, ea est, ut ei infamiæ nota veluti de tutela confesso inuratur *c*, quod hujusmodi conjunctione fraudem administrationis tegere laboraverit. Corporalis quoque ei pecuniariave extra ordinem pro dignitate pupillæ coercitio imminet *d*. Quinetiam lege Julia de adulteriis, qui pupillam illicite duxerit tutor, postulari potest *e*. Postremo relegatione plectendum libertum, eundemque tutorem patronæ suæ, senatus censuit *f*, qui eam sibi filiove suo in matrimonio collocasset. Nec vero pœnas has rusticitatis imperitiæve velamento deprecari quemquam posse, Impp.

a l. cum proponas. C. de interd. matr. *b* in l. licet. 17. C. de excus. tut. *c* d. l. amplissimi. C. de excus. tut. l. non est matrimonium. D. de rit. nupt. *d* l. si tutor. C. de interd. matr. *e* l. qui pupillam. D. ad l. Jul. de adult. *f* l. libertum. 64. D. de ritu nupt.

Impp. reſcripſerunt *a*. In his enim, quæ malo more, nefarieque geruntur, ruſticitatis excuſatio non accipitur *b*; cui in his demum, quæ ex meris civilis juris præceptis pendent, parci ſolet *c*. Imperitiam autem in Impp. reſcripto, juris legumque inſcitiam accipio. Quæ, ut Accurſii objectiones diluam, in maſculis ferenda non eſt: aliter atque in feminis; quæ inceſti, in quo ſola juris obſervatio intervenit, pœnas non timent, ob conceſſam eis juris ignorantiam: propter quam, pœnam quidem eis remitti, non item illicitam conjunctionem retineri, cenſeo. Nam & citra exiſtimationis ſuæ damnum, dotis in ejus matrimonii cauſam datæ condictionem pupilla habet *d*.

Mandatis quoque principalibus præſides provinciarum, procuratores Cæſaris, præfecti cohortis, aut equitum tribuni, & omnes omnino qui aliquod in provincia officium gerunt, inde oriundam, vel ibi domicilium habentem, ubi adminiſtrant, feminam ducere prohibentur *e*; potentatus, ut Papinianus ait, ratione: ne videlicet, potentia, in qua conſtituti ſunt, ad vim abutentes, matri-

a l. 1. C. de interd. matr. *b* l. 2. C. de in jus voc. *c* l. ſi quis id quod. D. de juriſdict. omnium jud. l. 2. D. ſiquis in jus voc. non ier. l. ult. C. de teſtam. *d* l. ſi tutor. C. de interd. matr. *e* l. ſi quis officium. 38. l. præfectus. 63. D. de ritu nupt.

matrimonia ſibi arbitrio nutuque ſuo concilient, trahantque ac rapiant verius quam ducant. Qua de cauſa & eis in ea provincia, in qua adminiſtrant, emere, fenuſve exercere, mutuamque pecuniam dare, non licet *a*. Hujuſmodi ergo matrimonia adverſus mandata contracta, perinde nulla ſunt, atque ea quæ contra ampliſſimi ordinis decretum à tutoribus eorumque liberis contrahuntur. Quo fit, ut, cum matrimonium non conſiſtat; nec dos ſit, nec rerum amotarum actio inter eas perſonas, quæ ita coierint, detur *b*. Nec tamen, quia nuptiæ non ſint, eo magis donationes inter eos factæ ratæ erunt *c*, ne ex delicto ſuo lucrum ferant, meliorque ſit in legem committentium, quam eorum, qui ſecundum præcepta legum in matrimonium conveniunt, conditio *d*. Utique enim prohibitas nuptias contrahentes peccare delinquereque *e* intelliguntur. Et ideo magis eſt, ut quæ ita donata fuerint, quaſi ab indignis ablata, fiſco vindicentur *f*. Exemplo certe pupillæ, tutori liberiſve ejus nuptæ, provincialis mu-

a l. aufertur. 46. §. quod à præſide. D. de jure fiſc. l. 1. C. de contract. jud. l. principalibus. D. ſi cert. pet. l. eos. C. eod. tit. *b* l. ſi concubina. D. rer. amot. *c* l. cum hic ſtatus. 32. §. ult. D. de don. int. vir. *d* l. 3. §. 1. D. de don. int. vir. *e* l. ult. D. de legat. 1. *f* d. l. cum hic ſtatus. §. ult. D. de don. int. vir.

mulier, quæ contra mandata provinciæ rectori nupserit, ex viri testamento capiet. Imperatores autem Gratianus, Valent., & Theodosius, quod de administrantibus veteri jure cautum erat, ad administrantium liberos, propinquos, comites, consiliarios, domesticos porrexerunt *a*. Quos & arrharum sponsalitiarum, in matrimonii argumentum datarum, dispendio multant. Qua in parte juri antiquo derogare eos fortassis existimet qui penitus non inspexerit. Nam ad arrharum acceptarum restitutionem mulierem, quæ finita administratione nuptias implere nolit, adigi Paulus indicat *b*. Id quod Accursium cruciat, qui in hujus nodi dissolutione tanquam in salebra hæret. Nos, ut ejus hæsitationi certa & vera distinctione medeamur, multum interesse dicemus, sponsaliane sola, an vero nuptias, provinciarum rectores, arrhis datis, tum cum provinciam cum imperio obtinerent, contraxerint. A perfectis siquidem & consummatis nuptiis, quas mandata principalia stare non patiuntur, mulieribus provincialibus abire ac recedere, etiam cum arrharum lucro, Impp. permittunt. At, si in provincia sponsalia duntaxat contracta sint, quia nihil in ea re contra mandata peccatum est, quæ hujusmodi

a l. 1. C. si rector provinc. *b* l. si quis officium. D. de rit. nupt.

modi conditioni renunciare volet, acceptas arrhas reſtituere jure ac merito debet. Et hæc eſt inter Imperatorum conſtitutionem Paulique locum ab Accurſio non animadverſa differentia. Nuptiis enim duntaxat, non etiam ſponſalibus, qui in provincia aliquod officium gerebant, interdicebantur. Quinetiam deſponſam ſibi, antequam in provinciam mitterentur, uxorem illic ducere non prohibebantur *a*, utpote ceſſante ea, quæ ſibi eos in provinciis ſuis matrimonia conciliare vetabat, ratione. Sed, etſi contra mandata in provincia matrimonium contractum eſſet, poſt depoſitum tamen officium, ſi in eadem voluntate uterque perſeveraret, juſtæ efficiebantur, quæ ab initio non conſtiterant, nuptiæ. Indeque poſtea, ut ex juſto matrimonio editi, liberi juſti legitimique patri fiebant; quemadmodum Paulus *lib.* 5. *Reſponſorum* tradit *b*, qui à Gordiano teſtis laudatur *c*. Plane, filiabus ſuis conditionem in provincia quærere, eaſque in matrimonium collocare, & dotem eis conſtituere, non prohibebantur qui provinciis præerant: filiis vero uxorem provincialem ducentibus conſentire auctoritatemque præſtare minime poterant. De cujus varietatis ratione ſi mihi liquere ne-

a d. l. ſi quis officium. §. 1. *b* l. eos qui. 65. §. 1. D. de ritu nuptiarum. *c* l. etſi contra. C. de nuptiis.

gem, inſcitiam meam potius quam antiquorum inconſtantiam prodam. Quorum etſi mentem mihi plane perſpectam eſſe, ac cognitam, adfirmare non auſim; tamen, quatenus eam conjectura aſſequi licet, duplici eos ratione adductos credo. Primum enim præſumtum habuiſſe exiſtimo, patrem impenſiore affectu, majorique contentione, in conditione filio quærenda, quam in filia nuptum collocanda, laboraturum. Nam filiæ quidem, in manum mariti mancipiumque tranſeuntes, familiæ ſuæ finem adferunt; per filios vero cum nomine paterna familia propagatur. Ne vero, filiorum amore, domuſque amplificandæ ſtudio, ad matrimonia filiis concilianda, ſua poteſtate abuterentur; frenis quibuſdam ac habenis cohibendam eſſe eam potentiam cenſuerunt. nihil quicquam tale eos filiarum cauſa attentaturos rati. Huic rei argumento eſt quod filiam ſuam pupillo ſuo tutor in matrimonium collocare non prohibetur *a*: filio vero ſuo pupillam in matrimonium collocare prohibetur. Licet ergo tam in filiæ quam filii nuptiis auctoritas patris intercedere deberet; verendam tamen magis eſſe præſidis in collocando filio, quam in filia nuptum danda, impreſſionem prudentes cenſuere. Alia quoque veteres ratio in hoc jure ſtatuendo

a l. libertum. 64. §. ult. D. de ritu nupt.

ſtatuendo movere potuit, quam Cyno, Ludovico Romano, & noſtri ſeculi Varroni πολυγραφωτάτῳ D. Tiraquello, cujus memoriam ſancte ac religioſe, pro eo ac debeo, colo, placuiſſe video. difficilis nimirum virginalis pudicitiæ cuſtodia. cui adſervandæ continendæque ne Argi quidem lumina plerumque ſufficiunt. Cavendum enim forte (nihil enim præter conjecturam habemus) prudentes cogitarunt, ne, dum paternæ adminiſtrationis exitus exſpectatur, interim filia, jam matura viro & plenis nubilis annis, ætatis lubrico, ſexuſve infirmitate, vel amoris facibus, aliquod dedecus admittat. Cui malo obviam ut irent, patri liberam conditionis filiæ quærendæ poteſtatem, vel ipſo adminiſtrationis ſuæ tempore, relinquendam eſſe cenſuerunt. Et certe probabile eſt, ſubiiſſe animos veterum illam cogitationem, puellarum nuptias non æque ac maſculorum conjugia protrahi ac differri poſſe; moramque nullam nuptiarum tempeſtivitati, ſi famæ ac caſtitati puellarum conſultum velimus, fieri oportere. Qua eadem ratione filiam ſuam pupillo jam adulto nuptum dare, ſi tam adulto, quam puellæ, hæ nuptiæ cordi ſint, tutori permiſere; ne forte, in longius tempus protractis nuptiis, vel moræ impatientia, vel amaſii illecebris, in ali-

quod probrum prolabatur, ex quo ei, generique, ac toti familiæ, labes ac macula aliqua, quæ deinde elui non possit, aspergatur. At masculorum conjunctionem, quæ citra periculum existimationisque damnum proferri possit, inhibendam ob impressionis metum, merito in superioribus speciebus censuerunt. Juvat hanc rationem, quod alias quoque in hoc nuptiali jure diversam masculorum ac feminarum causam juris auctores constituunt. Nam puellæ quidem post 25. annum, non item masculi, impune citra parentum consensum matrimonia contrahunt *a*. Eodemque refert Accursius, quod ex Paulo recensetur, Nepoti uxorem ducenti avum & filium consentire debere : nepti vero nubenti voluntatem auctoritatemque avi sufficere.

Tempus est autem, ad ea injustarum nuptiarum genera, quæ naturali ratione, sanguinisque jure prohibentur, nostra se convertat oratio. Qua in quæstione fixum sit hoc, ratumque principium, ex gradu adscendentium descendentiumque in infinitum duci uxores non posse : & inter eas personas, quæ parentum liberorumve locum inter se obtinent, incestas ac nefarias nuptias esse *b*. Veluti inter patrem & filiam, vel

a l. oratione. 16. §. 1. D. de ritu nupt. *b* l. nuptiæ. 53. D. ritu nupt. §. ergo. Instit. de nupt.

vel avum & neptem; matrem & filium, vel aviam & nepotem : & uſque in infinitum. Nec intereſt, ex juſtis nuptiis ejuſmodi perſonarum conjunctio deſcendat, an non *a*. Nam & ex ancilla ſuſceptam & vulgo quæſitam filiam ducere genitori minime conceditur : ſervileſque adeo cognationes in hoc nuptiali jure obſervantur *b*, cum contra naturale jus pudoremque ſit, à patre filiam quomodocunque quæſitam duci. Proinde in his quidem ſpeciebus inceſtum jure gentium committi conſtat *c* : cujus veniam ſexus infirmitate deprecari mulieres non poſſunt *d*; cum naturali jure, cujus, utpote non ſcripti, ſed nati, ignorantia defendi nequeunt, prohibitam rem admiſerint. Nec enim ſexui, nec ruſticitati in his parcitur, à quibus naturalis nos ratio, animis noſtris divinitus indita, atque impreſſa, avocat. Fœditas vero illarum conjunctionum lucet ipſa per ſe, ut, qui in ea flagitia prolabitur, humanitatem ipſam exuiſſe videatur. Ciceroni utique inceſtum cum filia Q. Fuſius Calenus apud Dionem *lib.* 46. objicit his verbis : Καὶ ὥσπερ γε τὸ σῶμα αὐτῆς διαφθεῖραι ἐπεχείρησε, τοιαύτῃ ἀσελγείᾳ γε καὶ ἀκολασίᾳ πάντα τὸν βίον χρώμενος,

a l. & nihil. 54. D. de ritu nupt. *b* l. adoptivus. 14. §. ſerviles. D. de ritu nupt. *c* l. ult. D. de rit. nupt. *d* l. ſi adulterium cum inceſtu. 38. D. ad l. Jul. de adulter.

ὥστε μηδὲ τὸ συγγενέσθαι τῶν ἀπείρων, ἀλλὰ τὸν τε γυναῖκα φθαρῆναι, καὶ τὸν θυγατέρα μοιχᾶσθαι. Quo nomine & eum Salluſtius ita inſectatur: *Verum, ut opinor, ſplendor domeſticus tibi animos attollit: uxor ſacrilega ac perjuriis delibuta, filia matris pellex, tibi jucundior atque obſequentior quam parenti par eſt.* Prædicabat etiam Caligula, matrem ſuam ex inceſto, quod Auguſtus cum filia Julia commiſiſſet, procreatam *a*.

Ac nec cum his quidem perſonis, quæ vel adfinitatis ratione, parentum liberorumve vicem repræſentant ac ſuſtinent, juſtæ ſunt nuptiæ. Quare nec novercam, nec proavi noſtri uxorem, nec ſocrum, id eſt, uxoris noſtræ matrem, nec ejuſdem aviam, proaviam, ducere licet *b*. Cujuſmodi nuptias Cicero *pro Cluentio Avito* ſic exagitat: *Lectum illum genialem, quem triennio ante filia nubenti ſtraverat, in eadem domo ſibi ornari & ſterni, expulſa atque exturbata filia, jubet. Nubit genero ſocrus, auſpicibus nullis, nullis auctoribus, funeſtis ominibus. O mulieris ſcelus incredibile, & præter hanc unam in omni vita inauditum! O libidinem effrenatam & indomitam! O audaciam ſingularem!* Plane duplicem cauſam, cur noverca

a Suet. in Calig. cap. 23. *b* l. ſi qua mihi. 12. § 1. & l. adoptivus. 14. §. nunc videamus. l. Ariſto. 40. D. de rit. nupt. §. ergo. Inſtit. de nupt.

cam uxorem ducere non liceat, Philo Judæus *in libro* περὶ τῶν ἐν νόμοις reddit: Διά τε, ait, τὴν εἰς τὸν πατέρα τιμὴν, καὶ διὰ μητρυιᾶς καὶ μητρὸς ὄνομα συγγενὲς, εἰ καὶ μὴ τὸ τῆς ψυχῆς σύναφθον πάθος. Unus mihi tam infausti matrimonii cupiditate incensus imperator Antoninus Caracalla occurrit, de quo Spartianus his verbis: *Interest scire, quemadmodum novercam suam Antoninus duxisse dicatur: quæ cum esset pulcherrima, & quasi per negligentiam se maxima corporis parte nudasset, dixissetque Antoninus, Vellem si liceret; respondisse fertur, Si libet, licet. An nescis, te imperatorem esse, & leges dare, non accipere? Quo audito, furor inconditus ad effectum criminis roboratus est: nuptiasque eas celebravit, quasi sciret, se leges dare, cum vere solus prohibere debuisset: matrem enim (non alio erat dicenda nomine) duxit uxorem: ad parricidium junxit incestum.* Sed nec socero nurus, pronurusve, recte nubit. Socerum enim parentis locum obtinere, placet *a*. Ac ejusmodi quidem nuptias, quas cum privigno noverca, cum socero nurus contraxerit, incestas ac nefarias esse, nemini dubium est; cum pudori, castitati, verecundiæ naturali, publicæque honestati tales conjunctiones adversentur. Quinimo ex his causis incestum jure gentium admitti, Papinianus

a l. quia parentis. 16. D. solut. matr.

ſcribit *a*. Quod quibuſdam parum conſiderate dictum videtur, qui pro certo ac conſtanti ponunt, inter parentes & liberos duntaxat jure gentium inceſtum committi: cum his vero, qui ex latere veniunt, vel cum adfinibus, jure civili, vel moribus. Ipſumque adeo ſibi contrarium eſſe Papinianum perſuadent, qui pecuniæ in hujuſmodi nuptiarum cauſam datæ repetitionem tribuat: quæ utique denegaretur, ſi in ſpecie hac jure gentium inceſtus admiſſus cenſeretur: quod mulieribus jus gentium non æque ac civile ignorare liceat. Verum ego jureconſultorum coryphæum vellicari non niſi gravate ferre poſſum. Nec enim adduci poſſum, ut credam, aliquid tanto viro excidiſſe, quod à nobis, qui in illius magiſtri verba jurare addicti ſumus, jure notari queat. Credo itaque, ejus auctoritate fretus, (nec vana fides,) inceſtum jure gentium committi, ſi ſocero nurus, vel noverca privigno commiſceatur, quod hæ perſonæ ſibi parentum ac liberorum loco ſint, ut paulo ante comprobavimus; & quod omnium mentibus à natura inſita ratio ab hujuſmodi conjunctionibus abſtinendum dictet. Confirmat noſtram, imo vero Papiniani opinionem, quod alibi legimus, Si adulterium cum inceſtu committatur, utputa cum privigna, nuru,

a l. ult. §. 1. D. de condict. ſine cauſa.

nuru, noverca, mulierem quoque similiter plectendam *a*: cujus tamen impunitum esset facinus, si sola juris civilis observatione tale crimen in turpibus numeraretur. Verum, cum juris naturalis ignorantiam vitiis suis obtendere ac prætexere mulieres non possint; merito eis ejusmodi incestus, cujus turpitudinem indita divinitus ac impressa ratione notam habent, pœna irrogatur. Atque hoc dubium faciebat in specie à Papiniano tractata. Videbatur enim pecunia à muliere, illiciti matrimonii nomine data, repeti non posse, quasi contra jus gentium ac naturalem honestatem (cujus ignoratione excusari nequit) data esset. Sed alia ratione repetitionem competere Papiniano subtiliter placet, quia scilicet, matrimonii effectu non secuto, quod nec jure sequi possit, nulla magis causa dotis dandæ quam turpis interc esserit.

Porro nec patris quoque sponsam uxorem ducere filio conceditur: non magis quam patri filii sponsam: quamvis nec illa noverca, nec hæc nurus proprie dici possit. Ab earum quoque, quæ in parentum concubinatu fuerint, nuptiis abstinendum, pie Imp. Alexander constituit *b*. Contra religionem quippe ac pudorem est, cum ea

a l. si adulterium cum incestu. 38. D. ad l. Jul. de adult. *b* l. liberi. 4. C. de nupt.

matrimonium coire filium, quæ pudicitiam patri proſtraverit. Sed & per adoptionem quæſitarum cognationum rationem hic habendam, prudentes cenſuere. Etenim matrimonio inter ſe jungi eæ perſonæ non poterant, quæ per adoptionem, parentum liberorumve loco ſibi eſſe cœpiſſent: in tantum, ut etiam diſſoluta adoptione idem juris maneret *a*. Itaque eam, quæ per adoptionem filia neptiſve facta eſſet, ne poſt emancipationem quidem uxorem ducere, qui quandoque adoptaſſet, poterat *b*.

Hæc de adſcendentium deſcendentiumque gradu. Jam, ex tranſverſo etiam cognationis gradu quaſdam illicitas eſſe nuptias, non eſt obſcurum. Ac primum, inter fratrem ſororemque prohibitas eſſe nuptias, nemini dubium eſt, ſive ab eodem patre eademque matre progeniti fuerint, ſive ab altero eorum *c*. Æmilius Probus, in proœmio lib. De vit. excellent. imperatorum: *Neque enim Cimoni fuit turpe, Athenienſium ſummo viro, ſororem germanam in matrimonio habere. At id quidem noſtris moribus nefas habetur.* Cujus tamen Cimonis facti Herodianus aut inſcius, aut immemor, *lib.* 1. *hiſtoriarum*, Πλουταρχῖος μὲν, ait, τὴν μέτρι ἀδελφὴν ἰδίαν, ἔρωτος ἀφορμὴν ἔσχε, καὶ

τε

a §. ergo. Inſtit. de nupt. *b* l. 14. in pr. & §. 1. l. 55. D. de ritu nupt. *c* §. inter. Inſtit. de nupt.

τὰς Μακεδόνων καὶ Ἑλλήνων νόμους. At Dio, apud Ægyptios patrio id more receptum fuisse, ita scribit *a*, de Cæsare agens: Καὶ μετὰ τοῦτο εἰς ὁμιλησίαν εἰσελθὼν, τόν τε Πτολομαῖον, καὶ τὴν Κλεοπάτραν, παρεστήσατο, καὶ τὰς ἀδελφὰς ἐκ πατρὸς αὐτῶν ἀνέγνω, ἐν αἷς, ἐκείνους μὲν συνοικῆσαι ἀλλήλοις, καὶ τὰ Αἰγυπτίων τὰ πάτρια, καὶ βασιλεύειν, ἐχέκατο. Romanis utique semper detestabilis & execranda talis conjunctio visa est. Ideoque inter ea, quæ de Caligula, non ut principe, sed ut monstro, Suetonius narrat, hoc refert *b*, quod cum omnibus sororibus suis stupri consuetudinem fecerit: quem etiam Drusillam germanam, Cassio Longino consulari collocatam, abduxisse, & in modum justæ uxoris propalam habuisse scribit. Quam ejus turpitudinem nec Dio, *lib.* 59, silentio prætermisit. Eademque se ac famam suam turpitudine fœdasse Othonem, Xiphilinus memorat. Plutarchus autem *in Parallelis*, *ex Chrysippi lib.* 1. *rerum Italicarum*, auctor est, Papyrium quendam Romanum, amoris impatientia & ardore victum, Camiliam sororem gravidam feciisse. Quod ubi Papyrius Tolucer, communis eorum pater, rescivit, ensem filiæ misit, quo puella pectus transfodit: eodemque leti genere scelestum ac nefarium facinus suum Papyrius

a lib. 42. *b* cap. 24.

pyrius deinde expiavit. Plane, per adoptionem factam sororem, adoptione soluta, uxorem ducere, nihil vetabat *a*. Adoptione enim quæsita fraternitas, eo usque demum impediebat nuptias, quoad maneret adoptio *b*. Similiterque adoptivi patris matrem, materteram, aut neptem ex filio, ducere uxorem, post emancipationem nemo impediebatur; cum in extranei causam emancipatione redactus esset. Adoptivæ utique sororis filia, uxor duci, vel constante adhuc adoptione, licito jure poterat, quod ea cognata non esset, cum avunculus nemo fiat per adoptionem. Hæ enim demum cognationes per adoptionem contrahuntur, quæ adgnatorum jus adjunctum habent *c*. Pari ratione alio patre natam, patris sui sororem adoptivam, ducere quis poterat, quoniam inter eos nulla cognatio intercedebat, quippe cum ea patri adgnata non esset. Sed & Maximianus Constantino, per adoptionem nepoti, filiam in matrimonium tradidit. Quod Panegyrici, Maximiano & Constantino AA. dicti, auctor tantum abest ut vituperet, ut summis contra laudibus efferat; *O divinum*, inquiens, *tuum*, *Maximiane*, *judicium*, *qui hunc tibi jure adoptionis nepotem*.

a l. quinetiam. 55. §. 1. D. de ritu nupt. *b* l. per adoptionem. 17. D. de ritu nuptiarum. *c* l. 2. §. parvi. D. de suis & legit.

potem, majestatis ordine filium, etiam generum esse voluisti; divi, inquam, Constantii filium, in quem se prima illius juventa transfudit. Quinetiam Claudius Neronem, à se in locum filii adoptatum, cum filia sua Octavia matrimonio junxisse legitur *a*; filia tamen prius in adoptionem tradita, ut in alienam familiam eo modo transferretur, ne soror fratri nubere videretur. Agrippina enim Claudio persuasit, Domitium Neronem privignum, filii loco adoptare, quem non filium modo, sed & generum habere voluit: verum, ne frater sororem ducere videretur, adoptionis commento, necessitudinis species dissoluta est. Inde Junoni Octavia à Seneca comparatur: sic enim in Tragœdia ejus nominis scriptum est:

Tu quoque terris
Altera Iuno, soror Augusti,
Conjunxque, graveis vince dolores.

Et alias:

Fratris thalamos sortita tenet
Maxima Iuno, soror Augusti,
Sociata toris.

Alio etiam loco:

Mœret infelix soror,
Eademque conjunx.

Simili joco etiam Cicero Clodium, incestus cum sorore suspicione laborantem,

a Dio, lib. 59.

in Oratione pro domo ſua, proſcindit; *Sed tamen*, inquiens, *ego mihi ſororem virginem adſciſco : tu ſororem tuam virginem eſſe non ſiviſti. Sed vide, ne tu te debeas Iovem dicere, quod tu jure eandem ſororem & uxorem appellare poſſis.*

Enimvero fratrum ſororumve filias uxores ducere non licebat *a* : tametſi talium conjugiorum uſum in rempub. invehere Claudium imperatorem, Agrippinæ Germanici fratris ſui filiæ amore incenſum, tentaſſe, literis proditum eſt ; ut publici juris velamento, ejus matrimonii à ſe cum ea contrahendi turpitudo tegeretur. Sic enim de hoc ejus incepto Tacitus, *lib.* 12, ſcribit: *Claudius, ſenatum ingreſſus, decretum poſtulat, quo juſta inter patruos fratrumque filias nuptia etiam in poſterum ſtatuerentur: neque tamen repertus, niſi unus, talis matrimonii cupitor, Taledius Severus, eques Romanus.* Tranquillus, *in Claudio*, de ejus nuptiis agens: *Verum*, ait, *illecebris Agrippinæ, Germanici fratris ſui filiæ, per jus oſculi & blanditiarum occaſiones allectus in amorem, ſubornavit proximo ſenatu qui cogerent ſe ad ducendum eam uxorem, quaſi reip. intereſſet; dandamque ceteris veniam talium conjugiorum, quæ ad id tempus injuſta habebantur.*

a l. nemini. 17. C. de nupt. l. ultim. C. de inceſt. nupt. §. fratris. Inſtit. de nuptiis.

bebantur. Ac vix uno interpoſito die confecit nuptias, non repertis qui ſequerentur exemplum, excepto libertino quodam, & altero primipilari. Zonoras, *in Claudio*, etiam ſenatuſconſulto hujuſmodi nuptiarum jus ſanctum fuiſſe in ejus principis gratiam, tradit; auctoreque Vitellio ſenatum Claudium ad Agrippinam uxorem ducendam adegiſſe. Ἐντεῦθεν, ait, ὁρμηθέντες οἱ βυλευταὶ πρὸς τὸν Κλαύδιον, ἦλθον καὶ ἠνάγκασαν δῆθεν αὐτὸν γῆμαι, καὶ ψήφισμα ἐποιήσαντο, ἐξεῖναι Ῥωμαίοις ἀδελφιδᾶς ἄγεσθαι. Inde Seneca, in libro joculari de ejus imperatoris morte, *Ut Roma*, ait, *ſacra eſſent, quibus ipſe, cum ſibi Agrippina nuberet, 30 ſenatoribus, innumeris equitibus Romanis, mactatis, principium dedit.* Huc pertinent & hi, quos ſubjungam, Senecæ *ex Octavia* verſus, quibus nutrix Octaviam Claudii filiam ita adfatur:

Fruſtra parentis invocas manes tui,
Miſeranda, fruſtra: nulla cui prolis ſuæ
Manet inter umbras cura: qui nato ſuo
Præferre potuit ſanguine alieno ſatum,
Genitamque fratris conjugem captus ſibi
Toris nefandis flebili junxit face.

Ne tamen tam mali exempli nuptiæ in poſterum frequentarentur, Nerva vetuit, ne fratrum filiæ ducerentur. Id quod Xiphilinus *in Nerva* tradit, his verbis: Ἐνομοθέτησε γὰρ ἄμα, καὶ ἐκεῖνο μὴ ἀνεκτόν τινα,

πινα, μήτε ἀδελφιδῆν γαμεῖν. Etenim ne de nominis vi ac poteſtate dubitetur, quod idem auctor de Hadriano, Τραϊάνε, ait, ἀδελφιδῆν ἐγγαμήσε. Ælius Spartianus ait, *Trajani per ſororem neptem eum uxorem accepiſſe.* Et Pollux *lib.* 8. *Onomaſtici*, & Heſychius, & Moſchopulus ἐν συλλογῇ Ἀττικῶν ὀνομάτων· Ἀδελφιδᾶς, aiunt, ὁ ἀδελφᾶς ἢ ἀδελφῆς υἱὸς, καὶ θυγάτηρ αὐτῶν ἀδελφιδῆ. Porro illam Nervæ conſtitutionem Zonaras, *tomo* 2. *Annalium*, ita refert: Οὗτος συνεβούλευσε καὶ τὸ μή τινα παιδόγονα μίγνυσθαι καὶ Ῥωμαίοις ἐκτέμνεσθαι, μήτε μὴν ἄγεσθαι πρὸς γάμον ἀδελφιδῆν. Domitianum tamen non puduiſſe cum Julia fratris filia, tanquam cum uxore, palam verſari, Suetonius & Xiphilinus memoriæ prodiderunt. Eadem tam perdita ac flagitioſa libidine incitatum Heraclium imperatorem ferunt: cui non aliunde id morbi vitiique, quo laboravit, quam ob illicitam cum fratris filia conjunctionem accidiſſe, vulgo creditum Zonaras his verbis ſcribit: Λέγεται δὲ καὶ τὸ αἰδοῖον αὐτοῦ σηφόμενον ἄνω τὸ ὄρον πέμπειν· καὶ εἰ μὴ σανὶς ἐν τῷ ἴσῳ αὐτοῦ ἐκάθητο, καὶ ὃ πολλαπλοῦν αὐτοῦ τὸ ἀκκρεμνύμενον ἀνεδίδου. ὃ συμβαίνειν ἐδόκει διὰ τὴν ἔκθεσιν μίξιν τε ἀδελφοπαιδος. Acerbiſſime vero hujus generis nuptias, ut inceſtas & nefarias, Impp. Anaſtaſius & Zeno Conſtitutionibus

ſuis

ſuis damnarunt. In quas etiam B. Ambroſius *lib.* 8. *Epiſtol.* ita invehitur: *Tu copulare paras filium tuum & neptem ex filia: hoc eſt, ut accipiat ſororis ſuæ filiam, diverſa licet matre, quam ſocrus, editus? Interroga nominum religionem. Nempe avunculus iſte illius, illa hujus neptis vocatur: nec ipſe te revocat ſonus nominum, cum hic avum reſonet, illa hoc nomen ad avunculum, quod ad avum, referat?* Et mox: *Quid eſt, quod dubitari queat, cum lex divina etiam patrueles fratres prohibeat convenire, qui ſibi quarto ſociantur gradu? Hujuſmodi autem gradus tertius eſt, qui etiam jure civili à conſortio conjugii exceptus videtur.* Sed nec in concubinatu quidem haberi ſororis filia, licet libertina, abſque inceſti crimine potuit *a*. Non modo autem fratris aut ſororis filiam, verum etiam neptem proneptemve ducere non licet *b*.

An autem mortuorum fratrum conjuges, fratribus ſuperſtitibus ducere licuerit, quæri poteſt. Sane eam quæ in manum fratris convenerit, diſſolutis ſeu morte ſeu repudio nuptiis duci citra inceſti crimen non poſſe, imperatorum conſtitutionibus cavetur *c*. Quamquam non deſunt aliquot in

a l. etiam. 56. D. de ritu nupt. *b* §. fratris. Inſtit. de nupt. l. ſororis. 39. D. de ritu nupt. *c* l. nemini. C. de nupt. l. fratris. C. de inceſt. nupt.

in Romana hiſtoria ejuſmodi matrimoniorum exempla. Lucius enim Tarquinius, cui poſt regnum ſcelere partum Superbi cognomen facta indiderunt, Tulliam minorem natu, quæ Arunti fratri nupſerat, Arunte veneno ab ea ſublato, cum ipſe conjugem quoque ſuam eodem genere interemiſſet, duxit. Quod nefarium ejus factum Dionyſ. Halicarnaſ. *lib.* 4. duobus locis refert: quorum utrumque, vel ea præcipue de cauſa, ut, ſi qua ineſt in verbis aut obſcuritas, aut depravatio, adhibita explanatione, emendationeve, tollatur, ſubjungam. Prior ſic habet: Τοιαῦτα τὰ Τυλλίας λεγόμενα ἀσμένως δέχεται τὰς αἰτέσεις ὁ Ταρκύνιος, καὶ αὐτίκα δὲ τὰς αὐτῇ πίστεις, καὶ λαβὼν τὰ πρωτόλεια τῆς ἀνοσίων γάμων, καὶ Δία πρεπόμπιον, ἀπέρχεται. διελθόντος δὲ πολλοῦ μετὰ ταῦτα χρόνου, τοῖς αὐτοῖς πάθεσιν ἀποθνήσκουσιν ἥ τε πρεσβυτέρα τῆς Τυλλίας θυγατέρων, καὶ ὁ νεώτερος τῶν Ταρκυνίων. Et mox: Μετὰ τοῦτο τὸ ἔργον, ὃ δὴν ἐπὶ Δία πεμπόμπιον, ὁ Ταρκύνιος ἀπάγεται γυναῖκα τὴν Τυλλίαν. In quibus verbis obſcuritas nulla eſt quæ lectorem vel mediocriter literis Græcis tinctum morari poſſit, præterquam in voce πρωτόλεια. Cujus ſcripturam corruptam eſſe forte ſuſpicabitur qui apud Suidam leget πρωτέλεια à Lycurgo, ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας, appellari τὰ πρὸ τῆς τελετῆς γινόμενα τῇ θεῷ καὶ εἰς τὸ θεῖον ἀναφερόμενα γινόμενα ἢ διδό-

διδόμενα. Προτέλεια insuper, ut & Pollux *lib.* 3. *Onomastic.* scribit, appellatum eum diem, ἐν ᾗ εἰς τὴν ἀκρόπολιν τὴν παμβασίλου παρθένον ἄγεσιν οἱ γονεῖς εἰς τὸν θεὸν, ἢ θυσίας ἐπιτελεῖσιν. Et certe pro quolibet auspicio, initio, primordio, verbum hoc Græci usurpant. Lucianus *in Dialogo* καὶ τὰ ἐπὶ μίτρᾳ συνιόντων· Ἄρξομαι δ' ἀπὸ τῆς πρώτης θυσίας, ἣν δοκῇ, ὡς ἔοικε, δειπνήσειν τὰ προτέλεια τῆς μελλούσης συνουσίας. Gregorius etiam Nyssenus Lazari à mortuis excitationem οἱονεὶ τὰ προτέλεια τῆς καθολικῆς ἀναστάσεως vocat. Cum vero verbum hoc *primitias* significet, nemo dubitabit, erratum esse in Hesychii codicibus, in quibus legitur, προθλεῖον ἀπαρχόν. Est enim emendandum, προτελείων, ἀπαρχῶν. Verum in eodem significato vocem quoque πρωθλεῖον à Græcis usurpari observavi. Suidas: Πρωθλεῖα, ἡ πρώτη λεία, τὰ προ τῆς λείων ἐξαίρεθα. Idem πρωθλεῖον, ἀπαρχὴν, interpretatur. Hesychius etiam, πρωθλεῖα ἀπάγματα, πρωθλεῖον ἀπαρχή. In Etymologico quoque πρωθλεῖα exponuntur esse τὰ πρῶθα τῆς λείων καὶ τῆς τῶν πολέμων λαφύρων ἐξαίρεθα, καὶ πρώτοις, ἅτοις εἰώθασιν οἱ πρώτοι λαμβάνειν, οἷον ἡ Χρυσηὶς ἐδόθη τῷ Ἀγαμέμνονι, καὶ ἡ Βρυσηὶς τῷ Ἀχιλλεῖ. δηλοῖ δὲ τὰς ἀπαρχάς. Utramvis ergo lectionem sequare, sensus constabit; eumque locum sic fidus interpres Gelenius red-

reddidit, *Delibato inceſtarum nuptiarum fructu abiit.* Alter ejuſdem Halicarnaſſei, in quo de inceſtis Tarquinii & Tulliæ nuptiis fit mentio, locus ita habet: Ἀλλ' οὗτος ἅμα τῇ αὐτῇ ἀλόχῳ τὸ δεινὸν ἔργον, πρὶν ἡμέραν θεῖναι τοὺς ὑποδεξαμένους τὸ δύσηνον σώμασι πυρούς, φίλος εἰσία, καὶ γάμους ἐπετέλει, καὶ τὴν ἀνδροφόνον νύμφην ἐπὶ τὸν τ' ἀδελφῆς θάλαμον ἦγε, τοὺς ἀπορρήτους θεοὺς αὐτῶν ἐμποδὼν ὁμολογίας, ἀνόσια καὶ ἐξάγιστα, καὶ ὅτε Ἑλλάδος ὅτε βαρβάρων γῆς ἀδαμῇ νόμιμα, πρῶτος εἰς τὴν Ῥωμαίων πόλιν εἰσαγαγών, καὶ μόνος. Quem totum locum ſic Gelenius Latino ſermoni tradidit: *Hic eſt ille Tarquinius, Quirites, qui, nondum princeps, fratrem germanum, quia malus eſſe nolebat, veneno ſuſtulit, aſſumta ipſius uxore in ſocietatem ejus ſceleris, ſua conjugis germana, quam diis inviſus adulterio jam ante corruperat. Hic uxorem, pudicam matronam, & communium liberorum parentem, eodem veneno, eodem tempore, necavit: ac ne paululum quidem lugubri ſpecie diſſimulavit utrumque veneficium, ſed confeſtim poſt perpetrata hæc egregia facinora, fumantibus etiam tum rogis, qui miſera illa corpora exceperant, ipſe amicos excipiebat nuptiali epulo, ducens viricidam ſponſam in ſororis thalamum ex pacto nefario, primus ac ſolus inducens in hanc urbem morem impium & apud omnes Græcos ſimul atque barbaras*

barbaras nationes abominabilem. Sed quid ea, quæso, verba significant, πρὶν ἡμέραν θεῖναι πὺς πυρός? Equidem, ne diutius lectorem teneam, adfirmare non dubitabo, legendum esse, πρὶν ἢ μαραναθῆναι, quod idem valet atque πρώσσαθ' ἢ σβέσσαθ'· id est, *ante extinctas pyræ flammas.* Quo loquendi genere Homerus usus est, *Iliad. lib.* 10.

Αὐτὰρ ἐπεὶ κ' ἔπειτα πῦρ ἐκφύγῃ, ἢ φλὸξ ἐμαράνθῃ.

ubi Eustathius, *Observa*, ait, τὸ ἐμαράνθῃ λεχθὲν ἐπὶ σβέσεως φλογός. Et mox, Φλογὸς, inquit ille, μαρανθείσης ὑπομιμνήσκει ἀνθρακιάν. Aristoteles vero, *in libro* περὶ νεότητος καὶ γήρως, inter μάρανσιν & σβέσιν differentiam facit. Ἀλλὰ μὴν, ait, πυρός γε δύο ἐρῶμεν φθορὰς, μάρανσίν τε, καὶ σβέσιν· τὴν μὲν γὰρ ὑγροῦ, τὴν δὲ βίαιον. Rursus, quis est sensus horum Halicarnassei verborum, ἐμπεδῶν ὁμολογίας? Et hic quoque, ut breve id faciam, mendum est, legendumque, ἐμπεδῶν, id est, *firmans, stabiliens*, ut sit sensus, *illicitas nefandasque cum ea jungens pactiones.* Hesychius enim ἐμπεδοῖ interpretatur βεβαιοῖ, πιστοῦται, ἀσφαλίζει. Ut autem ad ipsam historiam redeam, Livius, *lib.* 1. *ab V. C.* easdem nuptias breviter, nec, nisi adhibita fusiori Halicarnassei narratione, perspicue ita perstringit: *Arruns*, inquit, *Tarquinius, & Tullia major,* (sic enim ex Halicarnasseo emendo,) *prope conti-*

continuatis funeribus, cum domos vacuas novo matrimonio fecissent, junguntur nuptiis, magis non prohibente Servio quam approbante. Nam verbum hoc *junguntur*, non ad Aruntem & Tulliam majorem, sed ad L. Tarquinium & Tulliam minorem, de quibus ante egerat, referri placet. Ceterum, etiam Marcum Crassum fratris defuncti uxorem duxisse, & quos habuit liberos, ex ea suscepisse eum, nec in aliquam factum hoc reprehensionem incurrisse, Plutarchus in ejus vitæ initio scribit. Quod cum mirum quibusdam videatur; verbum συνοικεῖν, quo Plutarchus in ea historia referenda utitur, interpretatione, quæ menti plane auctoris repugnat, ad nudam cohabitationem, ut & τὸ, παῖδας ἔσχεν, ad puerorum ejus educationem, deflectere nituntur. Sed, quam aliam Crassus, quem minime cælibem vitam duxisse, imo vero justos liberos sustulisse, ex lib. 5. Epistolar. familiarium Ciceronis, & ex eodem Plutarcho *in Cicerone*, constat, uxorem duxerit, legere non memini. Nam alterius Plutarchus, cui usitatum est in ipso limine cujusque genus, familiam, conjugium narrare, non meminit; & verbum συνοικεῖν de nuptiali conjunctione passim, non apud Plutarchum modo, sed & reliquos Græcos auctores, accipi, tam certum est quam quod certissimum, ut testimonia

nia proferre putidæ ſit futurum diligentiæ. Atque adeo, vetuſtum & antiquitate ipſa ſpectabilem, ex inſigni reginæ bibliotheca, manuſcriptum Plutarchi codicem exhibuit mihi egregius ille antiſtes, qui nobis incredibili felicitate Plutarchum Gallice loquentem reddidit; in cujus margine ad eum locum fugientibus jam literis adnotatum eſt, Craſſum uxorem fratris duxiſſe: ut proinde temere mutanda non ſint quæ certam ſemper & conſtantem interpretationem habuere. His accedere & Apuleii, *ex Apologia pro ſe ipſo ſecunda*, aliud exemplum velim, quo cum viri mortui fratre Pudentillam tabulas nuptiales feciſſe narrat. Quod non poſſet aptius quam ipſimet auctoris verbis referri. Sic autem habent: *Æmilia Pudentilla, quæ nunc mihi uxor eſt, ex quodam Sicinio Amico, quicum antea nupta fuerat, Pontianum & Pudentem filios genuit; eoſque pupillos in poteſtate avi relictos paterni (nam ſuperſtite patre Amicus deceſſerat) per annos ferme quatuordecim memorabili pietate ſedulo aluit. Non tamen libenter in ipſo ætatis ſuæ flore tamdiu vidua, ſed puerorum avus invitam eam conciliare ſtudebat alteri filio ſuo Sicinio Claro, eoque ceteros procos abſterrebat; & præterea minabatur, ſi extrario nupſiſſet, nihil ſe filiis ejus ex*

paternis

paternis eorum bonis testamento relicturum. Quam conditionem cum obstinate propositam videret mulier sapiens, & egregie pia, ne quid filiis suis eo nomine incommodaret, facit quidem tabulas nuptiales, cum quo videbatur, cum Sicinio Claro; verum enimvero vanis frustrationibus nuptias eludit, eo ad, dum puerorum avus fato concessit, relictis filiis ejus heredibus, ita ut Pontianus, qui major natu erat, fratri suo tutor esset. Hæc ille. Utcunque sit, hujusmodi matrimonia, aliquot sunt Impp. Constitutionibus, ut & Concilii Neocæsariensis Canone secundo, interdicta *a*. Quinetiam, cum quidam Ægyptiorum, mortuorum fratrum conjuges matrimonio sibi copularent hoc colore, quod virgines mansisse dicerentur; forte profecto à Judæis instituto, apud quos fratri mortuo fratrem superstitem sobolem excitare invaluerat: Zeno eas nuptias, & qui eas contraxisset, & inde susceptos liberos, incestarum nuptiarum pœnis subjacere voluit *b*. Titum plane imperatorem, animam agentem, unius duntaxat peccati pœnitere se testatum esse, Xiphilinus refert. Conjecisse autem quosdam, id esse, quod Domitiani fratris uxorem in deliciis habuisset.

Uxoris

a l. fratris. & l. ult. C. de incest. nupt. l. nemini. C. de nupt. l. 1. & l. 3. de incest. nupt. in C. Th. *b* l. licet. C. de incest. nuptiis.

Uxoris etiam sororem ducendi & sic duabus sororibus conjungendi licentiam, dissoluto quoquomodo conjugio, Impp. Valentinianus, Theodosius, & Arcadius submoverunt *a*. Honorius tamen Imp. duas Stiliconis filias unam post alteram in matrimonio habuisse fertur. Sed quam infelix fuerit utriusque matrimonii exitus, historiarum monumenta testantur. Ex neutra enim liberos suscepit, morteque immatura utraque obiit, ut Zonaras *tomo* 3. *Annalium* his verbis narrat: Ἄγεται, ait, de Honorio loquens, τοίνυν τὴν Στηλιχῶνος θυγατέρα Μαρίαν εἰς γαμετήν· ἧς θανούσης λέγεται τὴν ἀδελφὴν αὐτῆς Θερμαντίαν γήμας ἐν ἀτέλεστῳ τυγχάνουσαν ἡλικίᾳ. καὶ κεῖνη ὃ ταχὺ ἐτελεύτησεν. Marcellinus Comes, in Chronico: *Stilico comes, cujus duæ filiæ, Maria & Tharmantia, singulæ uxores Honorii principis fuere, utraque tamen virgo defuncta, spreto Honorii regno, regnum inhians,* & quæ sequuntur. Paul. Diaconus, lib. 14. appendicis ad Eutropium, *Ei,* ait, *soboles nulla fuit: nam duæ Stiliconis filiæ, id est, Maria & Tharmantia,* (lic enim lege,) *una post alteram ei conjugio sociatæ, utraque Dei judicio inopinata morte præventæ, ex hac luce virgines migravere.*

Verum enimvero duorum fratrum liberi invicem recte matrimonio jungebantur *a*,

a l. fratris. C. de incest. nuptiis.

tur *a*, consobrinæque uxoris ductæ fit in plerisque Pandectarum locis mentio *b*. Sic Tullias duas regis Servii Tullii filias, Lucio & Arunti Tarquiniis, Prisci Tarquinii nepotibus, consobrinis suis, matrimonio junctas fuisse, Dionys. Halicarn. *libro* 4. *Antiquitatum* refert. Sed manifestum est, eo loci in Græco codice erratum. Ita quippe scriptum est: Ἦσαν ὧ Τυλλίῳ δύο θυγατέρες ἐκ γυναικὸς γνησίας Ταρκυνίας, ἣν ἐνεχύρασεν αὐτῷ βασιλεὺς Ταρκύνιος. ταύτας τὰς κόρας ἐπιγάμους γνησίας ἐκδίδοται τοῖς ἀδελφοῖς τῆς μητρὸς αὐτῶν, ἐγγόνοις τε Ταρκυνίου. Secundum quam scripturam hoc Halicarnas. ait: *Erant Servio Tullio filiæ duæ, ex uxore Tarquinia, quam ei rex Tarquinius Priscus despondit. Has puellas viro maturas, & nubiles, nuptum dedit fratribus matris earum, nepotibus Tarquinii.* Quod utique consistere non potest. Nam Tarquiniam, Tullii conjugem, filiam fuisse Tarquinii Prisci, in confesso est: Lucium vero & Aruntem Tarquinios, non Tarquinii Prisci filios, sed nepotes, fuisse, omni adseveratione contendit Halicarnasseus, & eorum, qui contra sentiebant, opinionem accuratissime refutat: pugnantque inter se, nepo-

a §. duorum. Institut. de nupt. l. 3. & l. non solum. 67. §. 1. D. de ritu nupt. l. 2. C. de instit. & substitut.

nepotes fuiſſe Tarquinii, & fratres Tarquiniæ Tullii conjugis: & hoc modo non conſobrinis, ſed avunculis junctæ fuiſſent Tulliæ. Itaque procul dubio legendum eſt, ἀδελφιδοῖς, id eſt, *nepotibus per fratrem*, ſeu ἰοῖς ἀδελφοῦ τ Ταρκυνίας. Nam, ut ille exiſtimat, ex Tarquinii Priſci filio, qui in juvenili ætate mortem obierat, nati erant. Quamquam Livio probabilius videtur, Tulliarum non conſobrinos eos, ſed avunculos fuiſſe. Verba ejus hæc ſunt, lib. 1. ab U. C. *Hic Lucius Tarquinius, Priſci Tarquinii regis filius nepoſve fuerit, parum liquet: pluribus tamen auctoribus, filium crediderim. Fratrem habuerat Aruntem Tarquinium, mitis ingenii juvenem. His duobus, ut ante dictum eſt, duæ Tulliæ filiæ nupſerant.* Hæc ille. Sunt & alia complura ejuſmodi matrimoniorum in hiſtoriis exempla. Namque Auguſtum filiam ſuam Juliam Marcello, Octaviæ ſororis ſuæ filio, nuptum dediſſe, à Dione *a* & Suetonio *b* relatum eſt. Et filium ſuum immatura morte præreptum Quintilianus lugens, avunculo eum generum deſtinatum ſignificat *c*. Sed & Conſtantius Imp. ſororem ſuam, quam in Græcis Socratis codicibus Helenam; in Latinis Caſ-

 ſiodori,

a lib. 53. *b* in Auguſto, cap. 63. *c* lib. 6. Orat. inſtit. cap. 1.

siodori, Constantiam nominari invenio; Juliano in matrimonium tradidit, atque ita patruelis patrueli juncta est: Julianus enim ex Constantio, Constantini magni consanguineo fratre, ortus erat. Quamquam sobrinarum diu Romæ ignorata conjugia Tacitus *lib.* 12. memorat, posteaque tempore addito ea percrebuisse. Id quod & Plutarchus ἐν Αἰτίοις confirmat, has nuptias plebiscito permissas significans. Πρότερον γὰρ, inquit, οὐκ ἐγημαν τὰς ἀφ' αὑτῶν, ὥσπερ ἡμεῖς νυνὶ τὰς θυγατέρας δὲ τὰς ἀδελφὰς γαμοῦσιν, ἀλλὰ ὀψὲ συνεχώρησαν ἀνεψιαῖς συνοικεῖν ὑπὸ ταυτης αἰτίας. Ἀνὴρ, ἔρημάτων σύδεὴς, πάνδε ἄλλα χρήσιμος, ἐν πυρ' ὄνείνα δὲν τῷ δήμῳ τῶν πολιτευομένων δεόμενον, ἐπίκληρον ἀνεψιὰν ἔχειν ἔδοξε, καὶ γαμεῖν ἐφ' αὐτῆς. ἐπὶ τούτῳ δὲ γενομένης αὐτῷ κατηγορίας, ὁ δῆμος ἀφεὶς τὴν αἰτίαν ἐλέγχειν, ἔλυσε τὸ ἔγκλημα, ψηφισάμενος, πᾶσιν ἐξεῖναι γαμεῖν ἄχρις ἀνεψιῶν, πρὸς ἢ ἀνωτέρω κεκωλῦσθαι. In cujus loci versione interpres non contemnendo errore lapsus est. Vocem enim ἀνεψιαῖς, de neptibus interpretatur, qua tamen appellatione illic sobrinas exaudiendas constat. Duorum enim fratrum sororumve filii, filiæ, ἀνεψιοὶ & ἀνεψιαὶ inter se sunt. Cujus rei vel locuples testis est Pollux, *lib.* 4. *Onomast. cap.* 4. At religiosissimus princeps, pudorisque, continentiæ ac pietatis diligentissimus, Theodosius major,

major, etiam has nuptias prohibuit, quemadmodum Ambros. *lib.* 8. *Epist.* indicat *a*. *Nam & Theodosius*, inquit, *imperator etiam fratres patrueles & consobrinos vetuit inter se conjugio convenire, & severissimam pœnam statuit, si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora. Et tamen illi invicem sibi æquales sunt. Tantummodo, quia propinquitatis necessitudine & fraternæ societatis ligantur vinculo, pietati eos voluit habere quod nati sunt.* Meminit & hujus Theodosii constitutionis Sextus Aurelius Victor. apud quem ita est: *Illæ tamen, quibus Trajanus adspersus est, violentiam scilicet, & cupiditatem triumphandi, usque eo detestatus est, ut bella non moverit, sed invenerit, prohibueritque lege, ministeriis lasciva psaltriasque comessationibus adhiberi; tantum pudori & continentiæ tribuens, ut consobrinarum nuptias vetuerit tanquam sororum.* Quæ posteriora verba ab eo sumsit Paul. Diaconus, *lib.* 12. *appendicis ad Eutrop.* apud quem tamen *mysteria* pro *ministeria* in nonnullis codicibus male legitur. Atque ad hanc Theodosii constitutionem referendum est quod B. Augustin. *lib.* 15. *de Civitate Dei, cap.* 16. scribit: *Experti autem sumus de connubiis consobrinarum etiam nostris temporibus, propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam raro*

a Epist. 66.

per mores fiebat, quod fieri per leges licebat; quia id nec divina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana: veruntamen factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur illiciti; &, quod fiebat cum consobrina, pene cum sorore fieri videbatur, quia & ipsi inter se propter tam propinquam consanguinitatem fratres vocabantur, & pene germani sunt. Et mox: *Veruntamen, quis dubitet, honestius hoc tempore etiam consobrinarum prohibita esse conjugia, nec solum secundum ea quæ disputavimus, propter multiplicandas difficultates, ne habeat duas necessitudines una persona, cum duæ possint eas habere, & numerus propinquitatis augeri, sed etiam quia nescio quo modo inest humanæ verecundiæ quiddam naturale atque laudabile, ut, cui debet causa propinquitatis verecundum honorem, ab ea contineat quamvis generatricem tamen libidinem, de qua erubescere videmus etiam ipsam pudicitiam conjugalem.* Verum illam Theodosii constitutionem Arcadius & Honorius ejus filii postea abrogaverunt. quorum de ea constitutio in Codice Justiniani exstat in hæc verba *a*: *Celebrandis inter consobrinos matrimoniis licentia legis hujus salubritate indulta est, ut, revocata prisci juris auctoritate, restinctisque calumniarum fomentis,*

a l. celebrandis. C. de nupt.

mentis, matrimonium inter consobrinos habeatur legitimum, sive ex duobus fratribus, sive ex duabus sororibus, sive ex fratre & sorore nati sint. Refragari tamen duæ eorundem imperatorum Constitutiones videntur, quæ in Cod. Theodos. referuntur. Una *a* sub tit. *Si nuptiæ ex rescripto petantur.* Altera *b* sub tit. *De incestis nuptiis.* Sed ego Anianum illis Constitutionibus violentas manus attulisse suspicor; cum, ad Gothorum suorum, in quorum gratiam ex Alarici Regis præcepto breviarium Codicis conscripsit, usum, Constitutiones illas accommodare studeret. Quod ex collatione earundem Constitutionum, cum iis quæ sub iisdem Rubricis in Codice Justiniani collocatæ sunt, deprehendi potest. Neutro enim loco in Justiniani Codice de consobrinarum nuptiis fit mentio. Sed & Constitutioni Arcadii & Honorii incestarum nuptiarum pœnam idem Anianus, ex gentis suæ moribus, ignis & proscriptionis, ab eorum imperatorum sententia abhorrentem, inseruit: ac, ut semel dicam quod sentio, quod Tribonianus in Pandectas & Codicem pro imperio ausus est, idem Anianus in breviarium Codicis Theodosiani, & Caii Institutiones, admittere non dubitavit. Itaque illis in libris

a l. un. si nupt. ex rescript. pet. in C. Th.
b l. 2. de incest. nupt. in C. Th.

plerumque Tribonianus & Anianus pro antiquis Juriſconſultis atque Imperatoribus leguntur. Quale illud eſt, quod apud Caium legitur, cives Romanos effici ſervos tribus modis; id eſt, teſtamento, aut in eccleſia, aut ante conſulem manumiſſos. Nec enim dubium eſt, Caium, cum Cicerone *Topicis*, & Ulpiano *in Inſtit.*, ſcripſiſſe, libertos eos cives Romanos eſſe, qui teſtamento, cenſu, vindicta, manumiſſi eſſent. Manumiſſiones quippe in eccleſia Caius ignorabat, quibus vires atque robur Conſtantinus magnus primus tribuit. Et, ne longius à propoſito recedam, in earundem Caii Inſtitutionum epitome, cujus Anianus, aut ejuſdem farinæ alius, auctor eſt, fratres amitinos vel conſobrinos in matrimonio jungi nulla ratione permitti, ſcriptum eſt: quod tamen civili juris antiqui definitioni adverſatur. Similiter Theophilus, ad ſuorum quoque temporum rationem jus antiquum detorquens, contra Juſtiniani mentem ſcripſit, δύο ἀδελφῶν ἀῤῥένων ἢ θηλέων παῖδες δύνασθαι εἰς γάμων συνάπτειαν. Nam earum nuptiarum prohibitio ex recentiorum imperatorum Conſtitutionibus, quibus & conciliorum eccleſiaſticorum Canones acceſſerunt, deſcendit; ut ex concilio Romano, quod imperante Leone ſub urbis Romanæ epiſcopo Gregorio

rio III celebratum est, patet. Gothorum utique, ut & Alemanorum legibus, consobrinorum consobrinarumque interdictæ fuere nuptiæ. In Alemanorum enim legibus, quas eis Clotharius rex descripsit, ita legitur, tit. 40: *Nuptias prohibemus incestas. Itaque uxorem habere non liceat socrum, nurum, privignam, novercam, filiam fratris, filiam sororis, fratris uxorem, uxoris sororem. Filii fratrum, filii sororum, inter se nulla præsumtione jungantur. Si quis contra hoc fecerit, à loci judicibus separetur, & omnes facultates amittat, quas fiscus adquirat. Si minores personæ sunt, quæ se illicita conjunctione polluerunt, careant libertate, servis fiscalibus adgregandæ.*

Nunc ad reliqua pergamus. Amitam quoque & materteram uxorem ducere non conceditur, quoniam, ut Justinianus ait [a], parentum loco habentur. Unde apud Halicarn. Brutus inter cetera, quæ Tarquinio Superbo vitio dat, hoc, ut probrum, objicit, quod Servii Tullii uxorem Tarquiniam, ἦν, ait, ἀποσπᾶσθαι αὐτὴν πρὸ μὲν ὥσπερ μητέρα, πρὸς ἀδελφὴν δ' ὄσιον, antequam viro justa fecisset, laqueo necasset. Itaque exterminandi Syllani sibi invisi causa, Nero accusatores, Tacito [b] teste, summisit, qui cum Lepida, amita ejus, Cassii uxore, incesti eum postularent.

[a] §. item amitam. Instit. de nupt. [b] lib. 16.

Illæ etiam ſunt injuſtæ nuptiæ, quæ legitimo conſenſu carent. Nuptiæ enim conſenſu ſolo contrahentium fiunt. Quare cum furioſo furioſave matrimonium contrahi nequit *a*. Nec enim voluntatem, ſenſum, intellectumve habent. Diſſimilis mutorum ſurdorumque cauſa eſt, quibus, utpote conſenſus compotibus, valetudo vitiumque corporis, quo minus matrimonium contrahant, non obeſt *b*. Quamquam autem matrimonium contrahi furor non ſinit, rite tamen contractum non diſſolvit *c*: ſimiliterque, qui ſponſalibus contrahendis ab initio impedimento fuiſſet furor, idem, poſtea ſuperveniens, jam contracta ea non dirimit *d*. Ceterum, non conſenſum duntaxat eorum, qui coeunt, ſed & eorum, quorum in poteſtate ſunt, exigimus *e*. Idque naturali ratione, ex qua parentibus debita reverentia atque obſervantia deſcendit *f*, & civili jure, quo patriæ poteſtatis jus receptum eſt *g*, deſiderari, belle Juſtinianus ſcribit *h*. Filiis ergo familias abſque parentum volun-

a l. furor. 8. D. de ſponſalib. l. oratione. 16. in fin. D. de ritu nupt. *b* l. ubi non voce. 124. D. de regul. jur. l. in quibuſcunque. 48. D. de obl. & act. *c* l. patre furioſo. D. de his qui ſunt ſui vel al. jur. d. l. oratione. in fin. D. de ritu nupt. *d* d. l. furor. *e* l. 2. D. de ritu nupt. *f* l. veluti. D. de juſt. & jure. *g* d. l. patre furioſo. *h* Inſtit. de nupt.

voluntate juſtas nuptias contrahere non licet. Qui locus à tam multis jam tractatus eſt, ut nobis non ſit hæc diſputationis materia attentanda. Quid enim, ut de noſtris taceam, ad D. Claudii Eſpencæi, eruditiſſimi celeberrimique theologi, qui hanc quæſtionem accuratiſſime perſecutus eſt, copiam addi poſſit? Itaque ea demum, quæ inſtituti Operis ratio neceſſario poſtulat, attingam. Conſequens eſt autem, cum juſtæ ac legitimæ non ſint nuptiæ patre minime conſentiente factæ, juſtos ac legitimos non haberi inde ſuſceptos liberos, ac per hoc, ut recte Apuleius infert *a*, ſpurios naſci. Nec refert, vivone avo, an poſt ejus mortem, in lucem edantur; cum patris morte, quæ ab initio injuſtæ ſunt, non eo magis convaleſcant nuptiæ *b*. Infamiæ quoque notam non evadere eum, qui ſciens uxorem non juſſu ejus, cujus in poteſtate eſt, duxerit, ipſa prætoris de infamibus edicti verba declarant *c*. Nepoti autem uxorem ducenti tam avum quam patrem conſentire debere, Paulus teſtatur *d*. Aliter atque ſi neptis nubat, cui ſolius avi auctoritatem ſufficere tradit.

a lib. 5. de Aſino aureo. *b* l. Paulus. 11. D. de ſtat. hominum. *c* l. 1. D. de his qui not. infam. *d* l. oratione. 16. §. 1. D. de ritu nupt.

Cum tamen pater furit, avus ſapit, avi ſolius auctoritas ſufficit *a*. Qua in ſpecie, aut etiam, ſi morte vel emancipatione pater de medio ſit ſubductus, procedere poſſe, Accurſius monet, quod Paulus ex Pomponio ſcribit *b*, Si nepotem ex filio, neptem ex altero filio in poteſtate habeam, nuptias inter eos me ſolo auctore contrahi poſſe. Verſa vice, ſi avus furore teneatur, nepoti patris ſolius voluntas exquirenda eſt. Is plane, cujus pater ab hoſtibus captus eſt, ſi non intra triennium revertatur, uxorem ducere poteſt *c*. Pari modo, ſi ita pater abſit, ut, ubi gentium ac locorum ſit, ignoretur, poſt triennium, ex quo apertiſſime fuerit ignotus ubi degat & an ſuperſtes ſit, non prohibentur *d* liberi ejus utriusque ſexus nuptias abſque ejus auctoritate contrahere. Sed & ſi ante triennium nuptias contraxerint, dummodo eam filius uxorem duxerit, vel filia hujuſmodi homini nupſerit, ut certum ſit, patrem, ſi adeſſet, ejus conditionem non repudiaturum, nuptiæ valebunt *e*. Enimvero conſenſus patris non ita accipiendus eſt, ut ſatis ſit, mandatum filiæ mariti quærendi dediſſe : nam & per-

a l. ſi nepos. 9. D. de ritu nuptiar. *b* l. ſi nepotem. 3. D. de rit. nupt. *c* d. l. ſi nepos. §. ult. D. de ritu nupt. *d* l. ſi ita. 10. D. de ritu nupt. *e* l. ſi filius. 11. D. eod. titulo.

& personam patri demonstrari oportet *a*. Patris autem ad nuptias constituendas jussum præcedere oportere Justinianus tradit *b*. Ubi jussum pro voluntate accipiendum esse constat. Velle porro intelligitur, si, quod agitur, sciat, nec evidenter dissentiat *c*. Contrariam quippe voluntatem contestari necesse est. Alioquin, si taceat, nec contradicat, pro jussu & consensu silentium ejus interpretamur *d*. Itaque, nutu, & literis, & per nuncium, patris consensum interponi posse, dubium non est *e*. Consensus porro, qui in aliis causis exigitur, vel ex intervallo & negotio jam perfecto, cum effectu interponitur. Quod & in hac quæstione probare videtur, Justiniano prima fronte contrarius, Papinianus, cum ita scribit *f*: *Dotis promissio non ideo minus valebit, quod ignorante initio patre nuptiæ factæ fuerint, si postea consenserit: cum omnis dotis promissio futuri matrimonii conditionem accipiat*. Verum ea, meo quidem judicio, verba sic accipienda sunt, ut ex die accommodati consensus incipiant nuptiæ esse, exindeque

a l. generali. 34. D. eod. tit. *b* Instit. de nuptiis. *c* l. in sponsalibus. in fine. D. de sponsal. arg. l. 2. §. velle. D. sol. matr. *d* l. si, ut proponis. C. de nupt. *e* arg. l. pater. §. 1. D. de acq. hered. l. consensu. D. de oblig. & act. l. 2. D. de pact. *f* l. dotis promissio. 68. D. de jure dot.

dos peti possit. Quod ita censuisse Papinianum, indicio sunt sequentia ejus verba, quibus objicit, maritum à petitione dotis, cujus promissio ad primas tantum, non etiam ad secundas nuptias extenditur, repellendum videri. Cui objectioni locum non esse in specie proposita significat, quoniam, accedente demum patris consensu, nuptiæ esse cœperint. Plane consensus sui qualemqualem, dum tamen apertam, significationem dare patrem sufficit, nec tabulis nuptialibus ac dotalibus subscribere eum necesse est.

Hæc ita in filiorumfa. matrimoniis servantur. Emancipati vero filii citra parentum consensum justas nuptias contrahunt *a*: nec interesse existimo, justæne ætatis sint, an minores 25 annis, cum hujus distinctionis nullum consultorum imperatorumve auctorem habeamus. Quamquam Accursio aliter videri scio. qui, quod de feminis propter infirmitatem ac fragilitatem sexus ab Impp. constitutum est *b*, ad mares porrigere, nulla probabili ductus ratione, conatur *c*. Proinde minime dubium est, juste quæsitos filios videri, & suos heredes patri adnasci, quos emancipatus ex uxore, non ex patris voluntate ducta, susceperit. Atque

a l. filius. 25. D. de ritu nuptiar. & l. in conjunctione. C. de nupt. l. filius.

b l. viduæ.

c in glos. d.

que adeo, ad bonorum quoque poſſeſſionem avi, cujus teſtamento præteriti ſunt, eos patre mortuo admitti, Ulpianus ſcribit *a*. *Non enim*, ait, *per reſciſſionem, qui filius juſtus eſt, efficitur non filius, cum reſciſſio, quo magis admittatur, non quo minus, adhibeatur.* Quæ verba obſcurum ſenſum habent. & licet iis facem jam eruditiſſimi aliquot viri prætulerint, quia tamen, ut eſt in proverbio, οὐ πρὶς πὶ καλὰ, decieſque repetita placent, non pigebit familiarem eorum verborum interpretationem facere. Sciendum eſt igitur, prætorem, qui juris civilis cuſtodiendi magis, quam convellendi atque infringendi cauſa, conſtitutus erat, ne aperte contra juris civilis auctoritatem emancipatis præteritis ſubvenire videretur (quibus tamen naturali ratione ſuccurri æquum erat) eorum capitis diminutionem reſcindere conſueviſſe *b*; ut, eo facto quaſi poteſtati patris redditi, contra tabulas bonorum poſſeſſionem peterent. Hac ratione, dixiſſet aliquis, nepotem, quem emancipatus ex matrimonio citra conſenſum patris contracto ſuſtulit, avitum teſtamentum per bonorum poſſeſſionem expugnare non poſſe: quoniam, ut ad bonorum

a l. 3. §. ſi emancipatus. D. de bon. poſſ. contra tab. *b* l. ſed cum patrono. §. ult. D. de bon. poſſeſſionibus.

norum poſſeſſionem admittatur, reſcindi patris ejus emancipationem neceſſe ſit; qua reſciſſa, videbitur non ex juſtis nuptiis nepos hic conceptus, quæ parentis conſenſu (in cujus poteſtatem, per reſciſſionem emancipationis, patrem ejus redigimus) non fuerint firmatæ. Huic tacitæ objectioni Ulpianus occurrens, reſciſſionem emancipationis (ſic enim interpretari convenit), quæ à prætore fit, eo comparatam eſſe ſcribit, ut aditum ad bonorum poſſeſſionem emancipatis patefaciat. Proinde, quæ admittendorum eorum cauſa inducta eſt, excludere & repellere eos non debet; ne, quod pro eis favorabiliter conſtitutum eſt, in eorum incommodum atque odium retorqueatur. Ut enim ſcite Quintilianus in Declamationibus argumentatur, Quæ pro aliquo ſcripta eſt lex, contra eum valere non debet. Itaque reſciſſio hæc, quominus juſtus patris filius nepos intelligatur, non efficit; ſed contra, viam ſternit ad bonorum poſſeſſionem petendam. Nam etiamſi, ut ſubjicit Ulpianus, tam turpem & ignominioſam uxorem duxiſſet filius, ut toti familiæ, ejus adfinitas dedecori eſſet, nihilominus tamen ex ea natus filius ad bonorum poſſeſſionem admitteretur. Potuit enim avus in eum ſuo jure uti, & eum pro imperio exheredare. Parentibus

rentibus ſiquidem liberos exheredare licet *a*; quos & occidere licebat. Quodſi eum exheredaſſet, de inofficioſo teſtamento queri nepos hic neceſſe habuiſſet. In quo judicio & patris delicta, & nepotis merita, centumviri examinaſſent; perpendiſſentque, an ob patris vitium nepotem plecti, alienumque à ſubſtantia avita fieri; & contra, an liberos vili, abjecta, famoſaque nuru ſuſceptos, ad bona avi, cujus familia labe hac aſpergitur, admitti æquum eſſet. Hæc per tranſennam interlocutum me non pœnitet, cum locus hic, adhibita noſtra interpretatione, planior poſthac legentibus futurus, occurret.

Ut autem eo redeat, unde exiit, oratio, admonendi ſumus, non idem filiabus, quod filiis emancipatis, juris eſſe. Filiæ namque emancipatæ, quoad viceſimum quintum annum attigerint, non modo primas, ſed ne ſecundas quidem nuptias ſine patris voluntate recte contrahunt *b*. Quinetiam morte patris, ſui juris factæ, donec ad legitimam ætatem pervenerint, matris, & propinquorum, & curatoris, ſub cujus poteſtate conſtitutæ ſunt, ſententiam explorare neceſſe habent *c*. Quodſi inter tutorem, matrem,

a l. in ſuis. 11, in fin. D. de lib. & poſt. *b* l. viduæ. 18. & l. in conjunctione. 20. C. de nuptiis.
c l. 1. & d. l. in conjunctione. C. de nupt.

trem, & propinquos, de electione futuri mariti minus conveniat, ad arbitrium magistratus erit recurrendum *a*. Hujusmodi quondam discordiam inter matrem & tutores, M. Geganio Macerino, iterum, & T. Quinctio Capitolino, V. Coss., ortam Livius memorat *b*. Virginem siquidem, maxime forma notam, tum temporis duo juvenes petiere. Unus plebeii generis, tutoribus fretus; qui & ipsi ejusdem ordinis erant: nobilis alter, nulla re præterquam forma captus; cui mater, splendidissimis nuptiis jungi filiam cupiens, favebat. Quod certamen cum domi & intra privatos parietes componi nequisset, ventum in jus est: postulatuque matris & tutorum utrimque audito, magistratus secundum matris arbitrium jus nuptiarum dedêre. At quæ vicesimum quintum annum egressæ sunt filiæ, inconsultis parentibus impune pro arbitrio nubunt, nec pœnam exheredationis ob eam rem timent *c*. An vero abducendæ filiæ, quæ sine ejus voluntate nupsisset, jus patri olim competeret, quæri potest. Ulpianus quidem, certe bene, concordantia matrimonia jure patriæ potestatis turbari non posse; patrique, interdicto sibi filiam exhi-

a l. 1. C. de nuptiis. *b* lib. 4. ab U. C. *c* §. causas. Nov. ut cum de appellat. cognoscitur.

exhiberi desideranti, persuadendum, ne acerbe patriam exerceat potestatem, scribit *a*. Imo vero, de uxore exhibenda, ac ducenda, patrem, etiam qui in potestate eam habeat, à marito recte conveniri posse, Venuleius auctor est *b*. Interdicto quoque succurri marito, cujus uxor invita à parentibus detinetur, Impp. rescripsere *c*. Ex illo vero generali Ulpiani axiomate, quo bene concordantia matrimonia jure patriæ potestatis non esse turbanda definit, interpretationem, meo quidem judicio, accipit, quod Paulus *in lib. Sententiarum* scribit *d*, Eorum, qui in patris potestate sunt, sine voluntate ejus matrimonia jure non contrahi, sed contracta non solvi.

Porro duas eodem tempore uxores habere, Romæ non licuit *e*. Binarum vero eodem tempore contractarum nuptiarum crimen, infamiæ pœna vindicatum, notum est. Edicto enim prætoris, qui vel binas sponsalia eodem tempore constituta habebat, infamia notabatur *f*. Unde Impp. Valerian. & Galien., *Eum*, inquiunt *g*, *qui duas simul habuit uxores, sine dubitatione*

a l. 1. §. ult. D. de liber. exhib. *b* l. 2. D. de lib. exhib. *c* l. si invita. 11. C. de nupt. l. 3. C. de lib. exhib. *d* lib. 2. tit. 19. *e* §. adfinitatis. Instit. de nupt. *f* l. 1. in fin. l. quid ergo. 13. §. 1. D. de his qui not. infam. *g* l. eum qui. 18. C. ad l. Jul. de adulter.

tione comitatur infamia. In ea namque re non juris effectus, quo cives nostri plura contrahere matrimonia prohibentur, sed animi destinatio cogitatur. Quibus postremis verbis, ut eorum vim potestatemque breviter explanemus, tacitæ objectioni respondet. Dixisset enim aliquis, non posse quem duas uxores habere: nam, manente prioris non repudiatæ conjugio, alteram additam conjugem, uxorem esse non posse. Sed voluntatem contrahendi matrimonii, non juris effectum & conjunctionis validitatem, spectari debere, Impp. aiunt: quemadmodum & Ulpianus factum notari tradit *a*. Ideoque, si vel cum ea quis nuptias faciat, vel sponsalia constituat, quam uxorem ducere non liceat, infamiam non eo tamen effugere. Illius vero Galieni & Valeriani constitutionis ultimam partem, ut hoc obiter admoneam, Tribonianus *in tit. De donationib. ante nuptias*, junctis & additis aliquot, prout sensus desiderabat, verbis, retulit *b*. Impp. etiam Diocletian. & Maximianus *c*, *Neminem*, inquiunt, *qui sub ditione sit Romani nominis, binas uxores habere posse, vulgo patet: cum etiam in edicto prætoris hujusmodi viri infamia notati sint.*

Quam

a d. l. quid ergo. §. cum autem factum. D. de his qui not. infam. *b* l. ea quæ. C. de donationib. ante nupt. *c* l. 2. C. de incest. nupt.

Quam rem competens judex inultam esse non patietur. Utique enim, stupri crimen in posteriorem uxorem committi, non dubium est. Ex quo sequitur, capitalem pœnam ei, qui tale facinus admiserit, ex Constantini constitutionibus, quæ stupra & adulteria capite plectunt, imminere: quod & Constantini quædam constitutio non obscure indicat, qua capitali pœnæ non esse obnoxias eas mulieres statuit *a*, quæ, vivis maritis militibus, nullo accepto de eorum sospitate nuncio, post quatuor annorum spatium alteri nupserint. Incidisse autem aliquando Romæ de duabus uxoribus simul ductis controversiam, Crassus, apud Ciceronem *lib.* 1. *de Oratore*, ita scribit: *Quid? quod usu memoria patrum venit, ut paterfamilias, qui ex Hispania Romam venisset, cum uxorem prægnantem in provincia reliquisset, Romæque alteram duxisset, neque nuncium priori remisisset, mortuusque esset intestato, & ex utraque filius natus esset; mediocrisne res in controversiam adducta est, cum quæreretur de duobus civium capitibus, & de puero qui ex posteriore natus erat, & de ejus matre? qua, si judicaretur, certis quibusdam verbis, non novis nuptiis, fieri cum superiore divortium, in concubinæ locum duceretur.* Ac neque hic omittendum censeo, Papyrii non minus lepidum

a l. uxor. C. de repudiis.

lepidum atque festivum, quam prudens figmentum, quo matrem, instantius percunctantem quid in senatu egissent patres, eluſit *a*. Actum enim in senatu dixit, utrum utilius videretur, magisque ex republica esse, unusne ut duas uxores haberet, an ut una apud duos nupta esset. Quod ubi illa audivit, domo trepidans egressa, ad ceteras matronas retulit; postridieque ad senatum copiosæ matrumfamilias catervæ confluxerunt, deprecantes, una potius ut duobus nupta fieret, quam uni duæ. Senatoribus vero, quæ illa mulierum intemperies, & quid sibi postulatio istæc vellet, mirantibus, &, non ut parvæ rei prodigium, illam verecundi sexus impudicam insaniam pavescentibus, puer Papyrius publicum metum demit. Nam in medium curiæ progressus, quid ipsi mater audire instituisset, quid matri ipse simulasset, sicuti fuerat, enarravit. Nec clam me est, memoriæ proditum *b*, Helium Cæcinam, tribun. plebis, legem habuisse scriptam, paratamque, quam Julius Cæsar se absente ferre jussisset, ut uxores, liberorum quærendorum causa, quas & quot vellent, ducere Quiritibus liceret. Sed ea lex promulgata non fuit: primumque ex Romanis Antonium

a *Gell.* lib. 10. noct. Attic. cap. 23. *Macrob.* lib. 1. cap. 6. *b* *Sueton.* in Julio, cap. 52.

nium duas in matrimonio mulieres habuiſſe, Plutarchus ſcriptum reliquit, *in collatione Demetrii & Antonii*, his verbis: Ἀντώνιος δὲ πρῶτον μὲν ὁμοῦ δύο γυναῖκας ἠγάγετο, πρᾶγμα μηδενὶ Ῥωμαίων πεπλημμέλημένον. Valentinianus quoque, Severæ conjugis prædicatione in Juſtinæ amorem pellectus, cum neque ſubnixum jam liberis matrimonium ſolvere, & uxori, ex qua Gratianum ſuſceperat, repudium mittere ſuſtineret, neque frenis amorem, quo puellam tantopere ſibi laudatam deperibat, cohibere poſſet, alteram Severæ Juſtinam uxorem ſuperduxit, ex qua Valentinianum juniorem ſuſtulit. Ac, ut facti ejus turpitudinem amoliretur, lege ſanxit, ut cuilibet duas ſimul uxores habere liceret: quemadmodum Socrates *a*, Paul. Diacon. *b* & Nicephorus *c* ſcribunt. Sed nec ea lex accepta fuit. Nam & Judæos, qui forte hoc colore, quod primis generis humani ſatoribus polygamia propagandæ ac multiplicandæ ſobolis neceſſitate permiſſa fuiſſet, quaſi majorum veſtigiis inſiſtentes, plures ſibi uxores habere licere exiſtimabant, Impp. Theodoſius, Arcad. & Honorius, prohibuere in diverſa ſub uno tempore con-

jugia

a lib. 4. hiſt. eccleſiaſtic. cap. 30. *b* lib. 11. append. ad Eutrop. *c* lib. 11. hiſtor. eccleſiaſt. cap. 33.

jugia convenire *a*. Necnon Juſtinianus, *Novella* 79, quæ de naturalibus liberis tractat, Εἴ τις, ait, νομίμῳ συνοικοῦσι γυναικὶ, ἄλλας ἐπεισάγειν οὐκ ἂν δύναιτο, ἢ συνοικεσίᾳ συνεχῶς, καὶ ἐξ αὐτῶν νομίμως παιδοποιεῖσθαι.

An autem concubina uxori jure Quiritium adjungi poſſet, dubitari ſcio. Hoc certe nec jura antiqua, nec ſua, concedere Juſtinianus ſcribit *b*. Nam, nec prudentes hoc probaſſe, indicio eſt quod Ulpianus ait *c*, Si patronus, qui libertam duxerat, ei concubinam adhibuiſſet, inde conjecturam capi, nolle eam nuptam habere; quoniam cum uxore concubina haberi non poſſet. Idem ipſum Conſtantini magni conſtitutio prohibuit, quæ ita habet *d* : *Nemini licentia concedatur, conſtante matrimonio, concubinam penes ſe habere.* Quamobrem Gellius, eam, quæ juncta conſuetaque eſſet cum eo, in cujus manu mancipioque alia matrimonii cauſa foret, probroſam habitam lege Numæ, oſtendit *e*; ejuſmodique mulieres, quæ cum eo, cui uxor eſſet, corpus miſcerent, *pellices* appellatas, ibidem tradit. Quod & Caium Flaccum, *lib.* *de*

a l. nemo. 7. C. de Judæis. *b* l. ult. C. commun. de manumiſſionibus. *c* l. ult. in fin. D. de divort. *d* l. un. C. de concub. *e* lib. 4. cap. 3.

de jure Papyriano, ſcripſiſſe, Paulus *lib.* 10. *ad l. Iuliam. & Pap.* notaverat *a*.

Ceterum, ſunt & illæ injuſtæ nuptiæ, quæ à mulieribus intra luctus tempus contrahuntur. Luctus autem tempus, regia lege definitum, decem menſium erat: per quos mulier abſtinere à nuptiis jubebatur: duplici, ut Harmenopulus explicat *b*, ratione: Ἀφ' τὸ μὴ σύγχυσιν γίνεσθ τ γενῆς, κ) ἀφ' τῳ ὀφειλομένῳ αἰδῶ κ) τιμὴν τῷ ἀνδρί. Cujus rei Plutarchus *in Numa* teſtis eſt: Ἀλλὰ τὸ, τ μακροτάτ πένθ χρόνον εἶναι δεκαμηναῖον, ἐφ' ὅσον κ) χηρεύσιν αἱ τ ἀποθανόντων γυναῖκες, ἢ ὃ πρότερον γαμηθεῖσα, βᾶν ἐγκύμονα κατέθυσεν, ἐκείνῳ νομοθετήσαντ@. Ovid. lib. 1. Faſtorum:

Quod ſatis eſt, utero matris dum prodeat infans,
Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis.
Per totidem menſes à funere conjugis uxor
Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo.

Idem lib. 3:

Annus erat, decimum cum Luna receperat orbem:
Hic numerus magno tunc in honore fuit.

Et mox:

Aſſuetos igitur numeros ſervavit in anno.
Hoc luget ſpatio femina mœſta virum.

L Quam-

a in l. Maſſurius. 144. D. de verb. ſign.
b lib. 4. tit. 6.

Quamobrem, cum, federis inter Octavium Cæsarem & Antonium sanciendi causa, Octaviam illius sororem huic nuptum dari placuisset, & ea legibus prohiberetur nuptias contrahere, quod M. Marcellum paulo ante mortuum lugeret, necdum decem menses à viri morte effluxissent, per senatum legibus solvi eam, gratiamque ei legitimi luctus temporis fieri, necesse fuit; ut Plutarch. *in Antonio* his verbis narrat: Ὡς οὖν ἔδοξεν ἀμφοτέροις, ἀναβάντες εἰς Ῥώμην, ἐπετέλουν τὰ Ὀκταβίας γάμου. ἦν δὲ ἐῶντος μὲν νόμος τῇ δέκα μηνῶν ἀνδρὸς τελευτήσαντι γαμεῖσθαι, τῆς δὲ Οὐιργιλίου δόγμασι τὸν χρόνον ἐκείνης ἀνείσης, & quæ sequuntur. Itaque, quod apud Senecam, *epist.* 65. *ad Lucilium*, legitur, annum feminis ad lugendum constituisse majores, de anno utique Romuli, qui decem duntaxat mensibus constabat, ut fuse à Macrobio *a* tractatur, non de anni suis temporibus ordinata dimensione, accipiendum est. Eodemque modo legitimum luctus tempus in jureconsultorum scriptis interpretandum adfirmo. Primi namque Gratianus, Valentinianus, & Theodosius Impp., luctus tempus, duobus mensibus auctum, anno definiere; ut ex eorum Constitutione, in C. Theodos. relata, constat. quæ ita habet *b*: *Si qua ex feminis, perdito*

a lib. 2. cap. 12. *b* l. 1. de secund. nupt. Cod. Theod. l. 2. C. de sec. nupt.

perdito marito, intra anni ſpatium alteri feſtinarit nubere (parum enim temporis poſt decem menſes ſervandum adjicimus), tametſi id exiguum putemus, probroſis inuſta notis, honeſtioris nobiliſque perſonæ & decore & jure privetur, &c. Indeque colligi poteſt, Apuleium *a*, qui annui luctus temporis mentionem faciat, aut poſt eorum imperatorum ætatem, aut eorum ſeculo vixiſſe. Apud eum enim Charite Lepolemum, nuptias ejus ambientem, hac excuſatione repellit, quod nondum annum luctus compleviſſet. At Caligula die ſuo natali, quo & Auguſti templum conſecravit, ut ad ſpectacula, quæ edebat, omnes convenirent, luctus inhibuiſſe, & præterea viduis, intra conſtitutum legitimum tempus, nubere, niſi prægnantes eſſent, conceſſiſſe fertur. Verba Dionis *b*, quæ hoc comprobant, hæc ſunt : Καὶ τὰ πένθη πάνυ ἐπέσχεν, ὥστε καὶ παῖς γυναικὶ, παῖς τ' ἀνδρῶν ἐστερημένος, γαμεῖσθαι, καὶ τοὺς ἐν καθήκοντι χρόνου, ἂν γε μὴ ἐν γαστρὶ ἔχωσιν, ἐξεῖναι. Plane Helioga-balus, quemadmodum Xiphilin. narrat, Pomponio Baſſo è vivis ſublato, quem vel ea præcipue de cauſa reum poſtulari curavit, ut ab uxore, cujus ipſe amore flagrabat, divelleret, eam protinus duxit, nullo ad lugendum virum ſpatio dato.

a lib. 8. de aſino aur. *b* lib. 59.

Eadem obſervatione ſpreta, Ariadna, Zenonis Iſaurici uxor, quadrageſimo à viri obitu die Anaſtaſio nupſit, ut à Zonara *a* refertur. Qua autem ratione intra annum luctus nubere mulier prohibebatur, eadem, poſt miſſum ex juſta cauſa repudium, alii nubendi poteſtatem, ex Impp. Theodoſ. & Valentin. conſtitutione, non habebat *b*: ne, ut ipſi aiunt, de prole dubitandi occaſio daretur. Idemque tempus, etiam bona gratia & communi conſenſu diſſoluto matrimonio, exſpectandum mulieri eſſe, antequam in alterius manum conveniret, Imp. Anaſtaſius conſtituit *c*. Cum vero ſine probabili ac legitima cauſa mulier à viro diverterat, connubium ei cum alio ante tranſactum quinquennium non erat *d*.

Illud conſequenter tractandum occurrit, an cum ea, quæ ex alio prægnans & gravida eſſet, matrimonium jure contrahi potuerit. Quam quæſtionem ex facto olim accidiſſe, memini me apud Dionem *e* legere. Nam cum ardenti Liviæ ducendæ amore flagraret Auguſtus, ejuſque deſiderio mora inde afferri videretur, quod ea ex Nerone ſextum jam menſem gravida eſſet; pontifices conſuluiſſe dicitur, an fas eſſet, prægnantem

tem

a in Anaſtaſio. *b* l. conſenſu. 8. §. 4. verſ. ſi vero cauſam. C. de repud. *c* l. ſi conſtante. C. eod. tit. *d* d. l. conſenſu. §. hæc niſi. *e* lib. 48.

tem ducere. Quod illi hac distinctione dissolverunt: ut, siquidem, ex quo gravida foret, dubium atque incertum esset, nuptiæ differendæ essent: sin autem constaret, ex quo concepisset, nihil prohibere quin duceretur. Itaque, licere sibi quod libebat, Augustus videns, Liviam protinus duxit. Id quod etiam Suetonius ita paucis narrat *a*: *Cum Scribonia divortium fecit, pertæsus morum perversitatem ejus; ac statim Liviam Drusillam matrimonio Tiberii Neronis, & quidem prægnantem, abduxit, dilexitque ac probavit unice & perseveranter.* Idem *in Tiberio b*, de ejus patre agens: *Vxorem Liviam Drusillam, & tunc gravidam, & jam apud se Tiberium enixam, petenti Augusto concessit.* Non abs re igitur festinatas has Liviæ nuptias, quæ nec maxima suspicione carerent *c*, Antonius probri loco Augusto objecit *d*. Quas etiam eleganter Prudentius ita exagitat, libr. 1. contra Symmachum:

Adjecere sacrum, fieret quo Livia Iuno,
Non minus infamis thalami sortita cubile,
Quam quum fraterno caluit Saturnia lecto.
Nondum maternam partu vacuaverat alvũ,
Conceptamque viri sobolem paritura gerebat
Pronuba; jam gravidæ fulcrum geniale para-
tur;

a in Augusto. cap. 62. *b* cap. 4. *c Sueton.* in Claud. cap. 1. *d Suet.* in Aug. cap. 69.

Iam ſponſus, ſaliente utero nubentis, amicos
Advocat, haud ſterilem certus fore jam ſibi
pactam.
Vitricus ante venit tardum præfervidus ortum
Privigni nondum geniti: mox editur inter
Feſcennina novo proles aliena marito.
Idque deûm ſortes & Apollinis antra dederunt
Conſilium: nunquam melius nam cedere tædas
Reſponſum eſt, quam cum prægnans nova nupta jugatur.

Quinetiam Octaviam, Auguſti ſororem, poſt Marcelli, viri ejus, mortem, adhuc gravidam, ventreque pleno, Antonio deſponſam, Dio, *lib.* 48, ita ſcribit: Καὶ τὴν Ὀκταβίαν, τὴν τοῦ καίσαρος ἀδελφὴν γυναῖκα, τῷ Ἀντωνίῳ, ἐπειδὴ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς ἐτετελευτήκει, καὶ κύουσαν, ὡς μηνοειδὲς σάφωμοι, τοσαύτῃ μεταβολῇ ἐχρήσαντο. Martiam quoque uxorem; tum ex ſe gravidam, petenti Q. Hortenſio Catonem Uticenſem conceſſiſſe, Plutarchus refert *a*. Ceterum Livia, apud Auguſtum, Claudium Druſum Neronem intra trium menſium ſpatium peperit. Quem natum Auguſtus patri Tiberio reddidit. Ea res joci materiam, ut Dio auctor eſt *b*, præbuit; indeque pervulgatus fuit ſenarius

a in Catone Uticenſi. *b* lib. 48.

ſenarius Græcus, quo ſignificatur, fortunatis vel trimeſtres naſci liberos. Quod deinde in vulgi ſermone tritum proverbium abiit. Qua de re, pro Græcis Dionis, Suetonii Latina verba ſubjungam *a*. *Patrem*, ait, *Claudii Cæſaris, Druſum, olim Decimum, mox Neronem prænomine, Livia, cum Auguſto gravida nupſiſſet, intra menſem tertium peperit: fuitque ſuſpicio, ex vitrico per adulterii conſuetudinem procreatum. Statim certe vulgatus eſt verſus,*

Τοῖς δ' ὑπὸ χθόνι τρίμηνα παιδία.

At vel triceſimo die pater fieri ex uxore, Caligula glorioſum duxit. Eaque gratia Miloniam Cæſoniam, adulterio ſibi ante cognitam, & jam tum partui propinquam, duxiſſe eum Dio narrat *b*. Qua de re ita Suetonius *c*: *Cæſoniam neque facie inſigni, neque ætate integra, matremque jam ex alio viro trium filiarum, ſed luxuriæ ac laſciviæ perditæ, & ardentius & conſtantius amavit: ut ſæpe chlamyde peltaque & galea armatam, & juxta adequitantem, militibus oſtenderit: amicis vero etiam nudam. Quam enixam uxorio nomine dignatus eſt: uno atque eodem die profeſſus, & maritum ſe ejus, & patrem infantis ex ea natæ.* Auguſtum porro ex Livia liberorum nihil quicquam ſuſtuliſſe, in-

 fantem-

a in Claud. cap. 1. *b* lib. 59. *c* in Calig. cap. 25.

fantemque unicum, qui conceptus fuerat, abortivum & immaturum editum, Suetonius teſtis eſt *a*. Ex quo interpretandum eſt, quod ait Plinius *b*: *Eſt quædam privatim diſſociatio corporum, & inter ſe ſterilis; at, ubi cum aliis junxere, gignunt: ſicut Auguſtus & Livia.* Nam Auguſtus ex priore uxore Scribonia liberos ſuſcepit: viciſſim & Livia ex priore viro Druſo. Juncti tamen inter ſe nihil liberorum procrearunt.

Jam, non niſi inceſtas ac nefarias nuptias cum virginibus Veſtalibus contrahi potuiſſe, certiſſimum eſt. Heliogabalum tamen, humani generis portentum, Aquiliam Severam, Veſtalem, duxiſſe, narrat Xiphilinus *in Heliogabalo*: Εἶπα, inquiens, τῷ Παύλων, ὡς ἡ χιλίδα πνὰ σὲ τὸ σῶμα ἔχουσιν, ἀποπέμψας, Ἀκυλίᾳ Σεβήρᾳ συνῴκησεν, ἐμφανέσθαι σφόδρα ἐθελήσας. ἱερωμένῳ δὲ αὐτῷ τῇ ἑστίᾳ ἀπεβέσθαι ἤσχυνε. Quod ita perſtrinxit Lampridius in ejus vita: *In virginem Veſtalem inceſtum admiſit.* Atque hæc habui, quæ de legitimis inceſtiſque Quiritium conjugiis dicerem. quæ, ut ſunt, utinam brevia videantur!

a in Auguſto. cap. 63. *b* lib. 7. cap. 13.

FINIS.

ANTONII
HOTMANI, J.C.,

De
VETERI RITU NUPTIARUM
OBSERVATIO.

ANTONII HOTMANI, J.C.,

DE

VETERI RITU NUPTIARUM

OBSERVATIO.

CAPUT I.

De ſperata, pacta, & ſponſa.

IN Matrimoniis contrahendis juriſconſultos duo præcipue, ad ritus pertinentia, vocabula uſurpaſſe conſtat : Sponſalia & Nuptias. Sponſaliorum nomine non tantum ſtipulationum ſponſionumque contractum intelligi, ſignificat Florent. *in l.* 1. *D. de ſponſal.* Nam & ſponſalia futurarum nuptiarum mentionem fuiſſe ſcribit : ut nimirum ad ſponſaliorum ritus pertinerent etiam præcedentes apparatus, quibus conditiones expediuntur, ut eſt *in l. ult. ejuſd. tit.* At hoc proprie non ſponſalia, ſed ſpes nuptiarum dicitur. Cujus rei meminit Ulp. *in l.* 6. *eod. t. Non fuffecturum*,

inquit, *putarem ad dissolvendam sponsaliorum spem hunc nuncium.* Sic *in l. si uxor, D. ad l. Iul. de adulter. l.* 11. *C. de repud.* Philo Judæus adpellat πὶ ϖροτέλια τ γάμων· Ἐλπίδα κὴ ϖ φύσειν τὰς γάμους ϖροσχεῖσα. *lib.* Περὶ τ εἰς πὶ ϖροτ. συνόδ. D. Dionysius Areop. hoc vocabulo usus est *epist.* 7. ubi Maximus Scholiastes sic adnotavit: Προτελείας μὴ ἐκάλουν Ἀθηναῖοι πὰς τ γάμων μ τ φυσίων δ' χάς. τ γ γάμων πίλ ἐκάλουν, ὡς τελεῖν πὰ πὸς τ βίον τ ἀνθρώπων. Μυρήριον γ ἦν εἶχον τὸν γάμον. Ἔλεγον δὲ ϖροτελίζειν κὴ τὸ ϖρομυεῖν, κὴ ὁσονεὶ ϖροκαθαίρειν εἰς ἑτοιμασίαν μυρηρίων. Itaque *sperata nuptia* dicebantur. *l. mulier,* C. *de sponsal. & l. si legibus,* C. *de episc. aud.* & *puella sperata* dicebatur, quod hoc versu significasse Plautum, retulit Varr. lib. 5. de ling. Lat. *Sequor hercle quidem: nam libenter te, mea sperata, consequor.* Et Afranius, in Fratriis: *Speratam non odi tuam.* Is etiam dicebatur *speratus*, ut eodem loco Afranius indicat: *Curre, & nuncia venire, & mecum speratam adducere videat puellam.*

Hi versus apud Nonium exstant. Inter hos autem disceptabatur, cujus quis esset juris, conditionis, gentis: & potissimum de bonis erat quæstio. Quum vero conventa esset conditio, ut est apud Festum, id est, inter se convenissent, pacta quædam nuda inter-

intervenire ſolebant, puellaque non jam ſperata, ſed *pacta* dicebatur. *l. 2. C. de ſponſal. l. ſi cum ante, C. de donat. ant. nupt.* Virgil.

——— *Et gremiis abducere pactas.*

Inde etiam Lavinia *pacta* Turno dicebatur à Livio lib. 1. *pactaque nuptia.* Tacit. lib. 12. *pactum inter Claudium & Agrippinam matrimonium.* Symmach. epiſt. 40. lib. 9: *Nolo exiſtimes, culpabiliter ad me delatum, quod pactas filia tua nuptias ſuſpendas.* Tum demum ſponſalia fiebant, incipiebatque *ſponſa* nuncupari. *l. 3. D. de ſponſal.* Quod Nonius his verbis adfirmat: *Inter ſperatam, dictam, & pactam, hoc intereſt; quod virgo, priuſquam petitur, ſperata dicitur: debinc promiſſa, vel pacta, vel ſponſa dici poteſt.* Quapropter alludit hoc modo Arnobius lib. 4. contra gentes: *Habent ſperatas, habent pactas, habent interpoſitis ſtipulationibus ſponſas.*

CAPUT II.

De proxenetis, auſpicibus, & pronubis.

AD hanc rem perſonas interponi ſolitum fuiſſe, apparet ex Ulpiano, *in l. ult. D. de ſponſ.* Qui *proxenetæ* dicebantur, id eſt, conciliatores, interpretes, & internuncii: non tamen quod ſponſores aut fide-

jussores essent. Ait enim Jurisconsultus: *Si proxeneta intervenerit faciendi nominis causa, ut multi solent, videamus an possit quasi mandator teneri. Et non puto teneri, quia hic magis monstrat nomen quam mandat.* l. 2. D. de proxen. Hos etiam *auspices* dictos fuisse puto. Quum enim auspices adeundi mos desiisset qui auspicia peterent, hi proxenetæ veteris consuetudinis vestigia ipso nomine usurparunt. quemadmodum licet colligere ex Valer. *lib.* 2. *cap.* 1. Hinc etiam scribit Cic. lib. 2. de divin. *Nihil fere quondam majoris rei, nisi auspicato, nec privatim quidem, gerebatur. quod etiam nunc auspices nuptiarum declarant, qui re omissa nomen tantum tenent.* Notum est istud Ciceronis pro Cluent. *Nubit genero socrus, nullis auspicibus, nullis auctoribus.* Qui igitur ad hanc rem adhibebantur proxenetæ, Latine *pronubi*, & καταρχητικῶς *auspices* dicebantur, incipientes & felici omine inchoantes. Qua de causa in veteri Glossario, nuper in publicum edito, auspices, *pronubi*, παράνυμφοι, adpellantur. & hi, quod conventum erat, ut rite fieret, tabulisque mandaretur, curabant. Juvenal.

—— Veniet cum signatoribus auspex.

Lucan. de nuptiis Catonis & Martiæ:

Iunguntur taciti, contentique auspice Bruto.

Tum unus horum, quod erat conventum,

profere-

proferebat, ceteris audientibus, &, ut ita fieret, poſtulantibus. Cujus conſuetudinis hoc Martianus Capella *lib.* 2. *in fin.* reliquit veſtigium: *Tunc exurgens*, inquit, *virginis mater poſcit de Iove, ſuperiſque cunctis, uti ſub adſpectu omnium, quidquid ſponſalium nomine præparaverat Majugena, traderetur, ac demum dos à virgine non deeſſet: tuncque tabulas ac Papiam Poppæam legem ſinerent recitari.* Ideo Tacitus de Meſſalina ſcribit, *atque illam audiiſſe auſpicum verba.* Quod confirmat Servius, *lib.* 4. *Æneid.* Si quæ vero feminæ ad nuptias conciliandas adhibebantur, non *auſpices* quidem, cum hoc ſit muneris virilis, ſed *pronubæ* tantum dicebantur. Ovidius, epiſt. 6:

Non ego ſum furtim tibi cognita: pronuba Iunō
Adfuit. —

Hæcque pronuba univira eſſe debebat, ut ait Tertullianus *in exhortatione ad caſtitatem.* Catullus:

Vos unis ſenibus bona cognita.

CAPUT III.

De matrimoniis contrahendis liberorum cauſa.

AUSPICUM etiam curæ erat, nubentes profiteri, ſe liberorum procreandorum cauſa convenire. Quem morem notat Tacitus,

citus, his verbis: *Cum uxore principis prædicta die, adhibitis, qui obsignarent, se velut suscipiendorum liberorum causa convenire.* Idque confirmat Ulpianus, *tit.* 4. *regul.* dicens, Latinum libertum jus consequi liberis, cum lege Junia uxorem ducebat testatione interposita, quod liberorum quærendorum causa uxorem duxerit. Nam, matrimonia contraxisse Romanos quærendorum liberorum causa, vulgare est. *l. si vicinis, C. de nupt.* adeo ut id esset in ore mulierc ularum: ut ait Ennius hoc versu, quem prodidit Festus in verbo *Quæso*: (*gratia.*

Ducit me uxorem sibi liberûm quærendûm

Huc etiam pertinet, quod ex Varrone retulit Macrob. lib. 1. sat. cap. 16. *Mundus cum patet, deorum tristium atque inferûm quasi janua patet: propterea, uxorem liberorum quærendorum causa ducere, religiosum est.* Et Plautus in Capt. (*data est.*

Liberorum quærendorum causa ei, credo, uxor

Atque id notat D. Augustinus, *lib.* 3. *contra Iulianum, & serm.* 324. *& lib.* 1. *de Nuptiis, ad Valerium Comitem.* Legimusque, Augustum ideo testamentum improbasse cujusdam, cujus non procreandorum liberorum causa conjugium intercesserat: Valer. Max. lib. 7. cap. 7. *Est enim*, inquit Quintilianus, declam. 2., *uxor, quam jungit, quam diducit utilitas: cujus hæc reverentia est,*

est, quod videtur inventa causa liberorum. Ὁ ἓν γαμικὸς Μένανδρος, inquit Clem. Alex. *lib.* 2. *Strom.* Παίδων, φασὶ, σπόρῳ τὰ γνήσια δίδωμί σοί γε τὴν ἐμαυτοῦ θυγατέρα. His intelligitur, quod ait Callistratus, *l. liberorum, D. de verbor. significat.* parentes pios liberorum quærendorum causa uxores ducere.

Caput IV.

De dote.

Apud auspices etiam de dote conventiones fiebant, ut maritus aliquid haberet ab uxore ad sustinenda onera matrimonii. *l.* 7. *D. de jur. dot.* quamvis (ut apud Martianum Capellam *lib.* 9. prisci juris adsertor Arcanus respondit) regulariter, etiam matrimonio copulato, dotem dicere femina, nullis legibus prohibeatur. l, cum multæ, C. de donat. ante nupt. *Eaque dos,* ait Ulp. tit. 7. regular., *aut dabatur, aut dicebatur, aut promittebatur.* Dabatur, cum præsens erat dos. non quod ea statim traderetur viro, quamvis & hoc fieri potuisse constet, *l.* 1. *D. pro dote*; sed pridie nuptiarum, aut circiter, apud auspices deponebatur, ut in crastinum nuptiarum viro solveretur: quod in Messalinæ cum filio nuptiis Suetonius, Tacitus & Juvenalis factum fuisse commemorant. at, si

dos

dos præsens non fuisset, ea, ut eodem loco scribit Ulpianus, aut dicebatur, aut promittebatur.

CAPUT V.

Quid sit, dicere *aut* promittere dotem.

DICERE, est ultro aliquid polliceri. Plautus, in Pseudolo: *Quin tibi hanc operam dico*, id est, ultro polliceor. *Dictum* enim accipimus, quod verbo tenus pronunciatum est. *l. sciendum*, 19. *D. de ædil. edict.* Inde dicimus, *dicere dotem* eum, qui nulla stipulatione pollicetur. Cicero, pro Flacco: *Doti omnem suam pecuniam dixerat.* Et Afranius, in Fratriis, ut refert Nonius: *Dat rustico nescio cui, vicino suo pauperi, cui dicat dotis paululum.* Jus autem erat ut mulier, ejusque debitor aut parens, dicerent dotem, eodemque modo obligaretur acsi conceptis verbis promisisset. *Hæ tres personæ*, inquit Caius lib. 2. Instit. tit. 9, *nulla interrogatione præcedente possunt dictione dotis legitime obligari.* Promittere vero dotem omnes possunt; & ex stipulatu ab eis peti potest. *l. promittendo*, 41. *D. de jur. dot.* Licet enim promissio & pollicitatio eandem plerumque vim habeant, tamen pollicitatio majoris est adseverationis, inquit Donatus in Andriam Terentii.

Polliceri

Polliceri enim significat ultro promittere, deducto vocabulo à verbo *liceor*, quo utuntur qui in auctione facienda ultro pretium suum deferunt. *l.* 3. *D. de pollic.* At *promittere* sæpius ad stipulationem. quod notat Donat. in Heautont. Terent. *Pollicemur*, inquit, *magis sponte, promittimus rogati.* Ideo scribit Ulpianus, *Promissum potest referri, & ad nudam promissionem sive pollicitationem, vel ad sponsionem: secundum quod incipiet is, qui de hujusmodi causa stipulari spopondit, ex stipulatu posse conveniri.* l. sciendum, 15. D. de ædil. edict.

CAPUT VI.

De donatione propter nuptias.

HUIC vero doti solebat antiquitus pignus vel hypotheca subjungi. *l.* 1. *D. qui pot. in pign. hab.* Hoc Græci ἀπόλιμμα vocabant. ut est apud Hesychium & Pollucem: Αἱ πρὸς ταὶς φερναὶς ὑποθῆκαι. Nam, ut Harpocration scribit, εἰώθεσαν ἢ οἱ τότε, εἰ γυναικὶ γαμουμένῃ σφῖσι διδοῖεν οἱ σφετήροντες, αἰτεῖν ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς ὥσπερ ἐνέχυρόν τι τοῦ σφετέρου, οἷον οἰκίαν ἢ χωρίον. Et, quia successu temporis pacta sæpe interveniebant, ut mulier ex illo pignore aliquid lucraretur; factum est, ut illud pignus nomen donationis adsumeret, dicereturque *donatio propter nuptias*, quæ à viro dabatur ad prospicien-

dum

dum uxori de dote consequenda, si forte matrimonium dirimeretur. *l. ex morte*, 9. *C. de pact. conv.* indeque ἀνταφέρνη dicta est: à Latinis autem prius *antenuptialis donatio*, (quod ante efficiebatur, & nunquam post nuptias.) sed postea, quia constitutum est, ut etiam post nuptias fierent tales donationes, voluit Justinianus, eas, *donationes propter nuptias*, adpellari. *l. cum multa*, C. *de donat. ante nupt.* Ut facile appareat, hanc donationem propter nuptias, præter illam hypothecam, quæ jam Justiniani constitutione in omnibus mariti bonis tacite inest, nihil aliud esse, quam cautionem diuturni conjugii, vel donationem sub conditione, si vel dos à marito consumta sit, vel sine causa matrimonium diremtum fuerit. Ejus enim hic est tantum usus, ut dos mulieris sit tutior: & ut, quemadmodum mulier, sine causa divertens, dote; sic etiam maritus rebus donatis multetur: aut ut pactis conventis morte viri mulier aliquid lucretur; aliter nimirum nec proprietas, nec ususfructus ad uxorem pertinet. Itaque (ut ex Synopsi Βασιλικῶν didicimus) erat quasi dotis compensatio, ἀντηχωσις. quam Scholiastes tacite semper contrahi asserit: Φησὶ γὰρ ὁ κανών· Τῇ γοῦν ἰκὶ σωφρονῶς ἢ καὶ χάριν δωρεὰ ἔπεται. Cæs. lib. 6. de bell. Gall. *Viri, quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine*

mine acceperunt, tantas ex ſuis bonis æſtimatione facta cum dotibus communicant. hujus omnis pecuniæ conjunctim ratio habetur, fructuſque ſervantur: uter eorum vita ſuperarit, ad eum pars utriuſque cum fructibus ſuperiorum temporum pervenit.

CAPUT VII.

De Hypobolo.

DONATIONEM vero propter nuptias ὑπόβολον à Græcis adpellatam fuiſſe ut exiſtimem, moveor auctoritate Harmenopuli, qui, *lib.* 4. *cap.* 4, ita ſcriptum reliquit: Ἐπὶ τῇ τοῦ γάμου δωρεᾷ ἤτοι τὸ ὑπόβολον. nimirum videlicet, quia doti ſubjungitur ac ſupponitur. Nec me movet, quod ait, *ejuſdem libri capite* 10, aliquid eſſe minus ipſa dote. Nam ſolum Juſtiniani tempore obſervatum eſt, ut æquales eſſent donationes propter nuptias & dotes. Quod nec Accurſium latuit *in Auth. æqualitas, C. de pact. conv.* Exſtatque hac de re expreſſa conſtitutio Leonis imperatoris qui dictus eſt Philoſophus, *Novell.* 20. qua ſancivit, ut major donatione propter nuptias dos eſſet. Sicque interpretatus eſt Theodorus Balſamo, Græci juris non ignarus, *titul.* 13. *Nomoc. Photii, cap.* 6. & ad illa verba *Novellæ Juſtiniani* 117: Καὶ ὑπὲρ τοιαύτης ὕβρεως τρίτου

τρίτον μέρος τῆς ἀξιμήσεως ἣν ἡ γυνὴ γαμετὴ ποιεῖ δωρεά. Scholiastes, *in Synop. Basil. lib. 39. tit. 2.*, addit: Σημειῶσαι, ὅτι λαμβάνει ἡ γυνὴ καὶ τὸ τρίτον τῆς ὑποβόλου ἀπὸ ὑβρεως ἐδίας. id est, ut interpretatur Julianus Patricius, *Mulier tertiam partem æstimationis, quam propter nuptias donatio facit, ex alia mariti substantia capere potest.* Et paulo ante sic scribit: Οὐκ ἀπαιτεῖται ἡ πρὸ γάμου δωρεὰ τὸ γυναικὸς ὑπόβολον, καὶ, οἶμαι, αἰνίσσεται. Sane enim, id quod modo dicebam à Græcis ἀπολείμμα vocari, id videmus etiam ὑπόβολον nuncupari. Unde apud Pollucem ὑπόχρεων χωρίον & ὑπόβολον pro eodem ponuntur, *libro tertio*, *capite* 10. Eustath. Ὀδ. α. citat Pherecratis versum: Οὐκ ἐρᾷς τὴν οἰκίαν τὴν Πολυκλέον᾽ κειμήλιον ὑπόβολον; Multa tamen de jure hypoboli fuisse à Græcis Impp. immutata, in confesso est. veluti, ut ex bonis mariti, quæ hypoboli nomine doti subjecta sunt, tantum retineatur, quantum pacto conventum fuerit: aut, si nulla de eo pactio facta sit, triens retineatur: imo, sæpissime συνεκδοχικῶς trientem illum adpellari hypobolum, satis constat ex Harmenopulo, ceterisque similibus probatis auctoribus: quod etiam testatur Balsamo. deinde hypoboli nomine nihil retentum fuisse, si nihil conventum esset. Videturque fuisse portio dotis, quæ additamenti causa

causa data dicebatur. *in l. inter socerum*, 26. §. *cum inter*, 2. *D. de pact. dot. l. etiamsi non dotem*, C. *de jur. dot.* sicque hodie in Gallia Lugdunensi vulgo loquuntur. Hoc à Longobardis, & Neapolitanis, *doarium*, *dotarium*, & *dotalitium* nuncupatur. *lib.* 2. *de feud. tit.* 8. §. *ult. lib.* 3. *Const. Neapol. tit.* 13. 16. & 17. *cap. plerumque*, *de donat. inter vir. & uxor*. Hæc sunt quæ de dote ejusque cautione dicenda videbantur.

CAPUT VIII.

De bonis paraphernis & receptitiis: tum de theoretro.

CETERA bona mulieris dicebantur παράφερνα. *l. si ego*, 9. §. 3. *D. de jur. dot.* Latine *receptitia*, id est, extra dotem. *l. maritus*, *D. ad leg. Falcid.* Græci posteriores adpellarunt ἐξώπροικα, quod extra dotem essent usibus puellæ tradita, *l. donationes*, 31. §. *species*, *D. de donat.* ad sustentationem mulieris instrumento dotali recepta, quasique peculium. *l. ult. C. de pact. convent. l.* 3. *C. ne uxor pro mar. d. l. si ego.* In his bonis, invita muliere, nullum jus erat marito se immiscendi, quia quæ præter jus dotis excipiebantur, ea *receptitia* adpellabant. Unde *servus receptitius* apud Nonium Marcellum, & Agellium, *libro* 17. *cap.* 6. & *receptitia dos* apud

apud Ulpianum, *tit. de dote*, quam ſibi ſoluto matrimonio extraneus contra communis juris regulam reddi ſtipulatur. *l. mortis cauſa*, 31. §. 2. *verſ. ſed & dos*, D. *de mort. cauſa donat.* Erant & alia quædam munera quæ novæ nuptæ à parentibus & amicis offerebantur die ſponſaliorum, aut poſtea, ut eſt *in l. die ſponſaliorum*, 25. D. *depoſiti. l. ſi, cum ante nuptias munera darentur*, C. *de donat. ante nupt.* tum etiam craſtino die nuptiarum, cum primum depoſito flammeo vi ſendam ſe præbebat, ut ait Harmenopul. quæ ideo παώρητρα vocat Harpocration. Suid. vero ἀνακαλυπτήρια & ἐπαύλια. Jul. Pollux, ὀπτήρια ἢ ἐπιφθεγκτήρια veteres adpellaſſe, ait. Dicuntur in jure Munera nuptialia. *l. tutor ſecundum*, 13. §. *ult.* D. *de adminiſt. tut. l.* 1. §. *præterea*, D. *de tutel. & rat. diſtr.* Sed hæc munera non ſunt ſolennia, ut ibidem dicitur. nam ea tantum ſolennia ſunt quæ ad ritus pertinent.

CAPUT IX.

De ſponſalibus.

SPONSALIA autem fiebant aut inter præſentes, aut inter abſentes. Nam, ut ait Ulpianus, *l. fin.* D. *de ſponſal.*, parvi refert an per ſe, an coram, an per internuncium, vel per epiſtolam, an per alium, hoc factum ſit.

Hic

Hic autem erat ſponſaliorum ritus: Adoleſcens (aut ejus nomine pater) filiam pactam ſtipulabatur à patre, vel ab eo in cujus erat tutela: vel, ſi illa ſui juris fuiſſet, à quocunque alio. Ejuſque ſtipulationis hæc erat formula, quam tradit Plautus in Aulularia:

M. *Quid nunc? etiam mihi deſpondes filiam?*
E. *Illis legibus,*
Cum illa dote quam tibi dixi. M. *Sponden ergo?* E. *Spondeo.*

Indeque *ſponſa* dicebatur, non quod ſponderet, ſed quod, ut ait Servius, *lib.* 10. *Æneidos*, ſponderetur, à patre videlicet, vel à quocunque alio: veluti tutore. &, ſi tutor furioſus eſſet, aut abſens, alter dabatur in ejus locum tutor, non curator, ad nuptias contrahendas, dotemque dicendam. Ulp. *tit. regul.* 11. Lege enim cautum fuerat, ne quis uxorem duceret, priuſquam aliquis eam ſibi deſpondiſſet. Quod ex Dione licet probare, qui *lib.* 58. ita ſcribit: Ἔγημε Λολλίαν Παυλίναν, αὐτὸν τὸν ἄνδρα αὐτῆς Μέμμιον Ῥήγυλον ἐξωνῆσαί οἱ τὴν γυναῖκα ἀναγκάσας, μὴ καὶ ἀνέλοιτο αὐτὴν ὡς καὶ τοὺς νόμους λάβῃ. Ex eodemque auctore refert Xiphilinus, Neronem Sporum, quem exſecari juſſerat, veluti uxorem duxiſſe, ἐκδόντα αὐτὸν δή γε Τιγελλίνου, ὥσπερ ὁ νόμος ἐκέλευε. Unde Agellius, *lib.* 4. *c.* 4. ex Servii Sulpicii verbis, ait,

obſervatum fuiſſe, ut, qui uxorem ducturus erat, ab eo, unde ducenda erat, ſtipularetur, eam in matrimonium ductum iri: qui daturus erat, item ſpondebat. iſque contractus ſtipulationum ſponſionumque, dicebatur *ſponſalia*: & quæ promiſſa erat, *ſponſa* adpellabatur: qui ſtipulabatur ducendam, *ſponſus*. Hactenus ille. Quibus conſentiunt juriſconſulti, *in l.* 1. 2. *&* 3. *D. de ſponſal.* Indeque apparet, non ſatis verum eſſe quod Donatus & Servius aſſerunt, ſponſam non ſpondere, ſed à patre deſponderi. Quorum ſententiæ conſcriptæ ſunt *in Andria Terent. act.* 1. *ſcen.* 1. *Heaut. act.* 4. *ſc.* 5. *Ad. act.* 4. *ſc.* 7. *In Virg. lib.* 10. *Æneid.* ubi Servius addit, ante uſum tabularum cautiones ſibi invicem emiſiſſe, in quibus ſpondebant, ſe conſentire in jura matrimonii; & fidejuſſores dediſſe. Tabularum vero, quas Servius ait interveniſſe, mentio fit in Apuleii Metamorph. lib. 4. *Tabulis*, inquit, *maritus nuncupatus ad nuptias*. Et in Apolog. 2. *Habes, Æmiliane, cauſam totam cur tabulæ nuptiales inter me & Pudentillam non in oppido ſint, ſed in villa urbana conſignatæ.* nam eæ conſignabantur. Suetonius: *Illud omnem fidem excedit, quod nuptiis, quas Meſſalina cum adultero filio fecerat, tabellas dotis & ipſe conſignaverat.* Tamen nihil oberat, quominus juſtum matrimo-

trimonium esset, si signatæ tabulæ non essent. *l.* 4. *D. de fid. instrum.* Quod & auctoritate Quintiliani, *lib.* 5. *cap.* 11., & jurisconsultorum, patet. *l. donationes, D. de donat. l.* 1. *l.* 7. *D. de sponsal.*

CAPUT X.

De arrhis & sponsalitiis largitatibus.

HIs ita peractis, solebant arrhæ quædam intervenire, quæ à sponso sponsæ dabantur, in testimonium, & quasi pignus, de futuris inter eos nuptiis, factæ sponsionis: eæque aut sponsæ dabantur, aut apud proxenetas deponebantur: quo fiebat, ut hoc modo *proxenetica*, illo vero *sponsalitia* nuncuparentur. *C. de sponsal. & arrhis sponsal. & proxenet.* Fiebant etiam donationes quædam à sponso; vel etiam, sed raro, à sponsa sponso: quæ ideo *largitates* adpellabantur, quia gratuito conferebantur. *l. cum veterum, & seq. C. de donat. ante nupt. l.* 1. *C. si adverſ. donat.* Arrhæ autem nomine sæpius non nummi, sed pronubus anulus dabatur. Juven. satyr. 6:

— Et digito pignus fortasse dedisti.

Eum vero anulum ferreum fuisse, refert Plin. lib. 33. capite 1. *Qui legationem acceperant*, inquit, *aureo anulo tantum utebantur; intra domos, ferreis: quo argumento etiam*

nunc ſponſæ anulus ferreus mittitur, iſque ſine gemma. Aureos tamen anulos etiam dediſſe, feminaſque domi geſtaſſe, ſatis conſtat ex Tertulliani apologet. ſic enim ſcriptum eſt: *Circa feminas illa majorum inſtituta cecide-runt, quæ modeſtiæ, quæ ſocietati patrocina-bantur: quum aurum nulla membra norant, præter unicum digitum, quem ſponſus oppi-gneraſſet pronubo anulo.* Clem. Alex. *lib.* 3. *pædag. cap.* 11: Δίδωσιν ὧν αὐ ταῖς δακτύλιον ἐκ χρυσίου, ὃ δὲ τοῦτον εἰς κόσμον, ἀλλ' εἰς τὸ ἀποσημαίνεσθαι τὰ οἴκοι φυλακῆς ἄξια, ἀφ' ὧν τὴν ἐπιμέλειαν τῆς οἰκουρίας. Aitque Iſidorus, *lib.* 20. *etym.*, mulieres binos aureos anulos in digitis habuiſſe, ac præſertim in quarto digito, quod in eo vena quædam ſanguinis ad cor uſque proveniat, ut idem auctor ſcribit, *lib.* 2. *de div. offic.*, *ex Agellii lib.* 10. *cap.* 10. *& Macrobii lib.* 7. *c.* 13. Solere & alia multa arrhæ nomine dari, indicat hic locus Capitolini de Maximino juniore: *Deſponſa illi erat Iunia Fadilla, proneptis Antonini, quam poſtea accepit Toxotius, ejuſdem familiæ ſenator. manſerunt autem apud eam arrhæ regiæ; quæ tales fuerunt: monolium de albis novem, reticulum de praſinis decem, dextrocherium cum caſtula de hyacinthis quatuor, præter veſtes auratas & omnes regias, ceteraque inſignia ſponſaliorum.* Sed &, claves domus uxori tradi, ſolenne fuiſſe,

Feſtus

Festus ait: ad significandam partus facilitatem. licet verisimilius sit, has communionem denotasse. scribit enim Tertul. *lib. de exhort. ad castit.* ad claves custodiendas uxores plerosque domum duxisse. &, has in divortiis adimi, Ciceronis Philip. 2., & B. Ambrosii epist. 65. ad Syagrium, auctoritates vulgares sunt. Solinus, cap. 16. de Thracum moribus: *Nupturas, quæ præ aliis specie valent, subarrhari volunt.* alii, *subhastari.* Ubi M. Ant. scribit, *subarrhandi* verbum apud antiquos auctores se non legisse. Julianus Pontifex: *Si quis desponsaverit uxorem, vel subarrhaverit.* Innoc. 3. in cap. 16. de despons. impub. *Subarrhavit eandem.* & cap. 14. & 34. leg. Burgund. Xenophon, *lib.* 3. ἀνάβ., ait, Thraces solitos uxores futuras emere.

Caput XI.

De osculo.

Accedebat & plerumque osculum. Quod religionis erat. l. si à sponso, 16. C. de donat. ant. nupt. *Osculum*, inquit Servius, Æneide, *religionis erat*; *suavium, voluptatis.* Et Donatus *in Eunuchum Ter.* sic scribit: *Oscula, officiorum sunt; basia, pudicorum adfectuum; suavia, libidinum vel amorum.* Neque vero tam frequens erat apud antiquos, quam est apud nos, osculum.

Nam, ut apud Perſas teſtantur Xenophon *lib.* 1. *pæd.* & Herodot. *lib.* 1.; ſic apud Romanos nulli jus erat præter cognatos cognatasque oſculari, ut eſt in problemate Plutarchi. Cujus rei erga feminas rationem reddit Plinius, ex Catone, *lib.* 14. *cap.* 13.; ut ſcirent, an temetum bibiſſent. Aliam recitat Plutarchus, *in Romulo.* Eucher. Lugd. epiſc. lib. 3. in Geneſ. cap. 29: *Oſculatus eſt Iacob Rachel. conſuetudinis fuit in illa ſimplicitate antiquorum, ut propinqui propinquas ſuas oſcularentur. Et hoc hodie fit in multis locis.* Adeoque rara erat ea communicatio, ut & Cato cenſor Manlium ſenatu ejecerit, quod coram filia ſua impenſe uxorem ſuam oſculatus eſſet, ut refert Plutarchus in ejus vita. Scribit etiam Valerius, *lib.* 6. *cap.* 1., P. Mævium in libertum (quamvis gratum admodum ſibi) animadvertiſſe, quia eum nubilis jam ætatis filiæ ſuæ oſculum dediſſe cognoverat; præſertim cum non libidine, ſed errore lapſus videri poſſet. Ceterum, amaritudine pœnæ, teneris adhuc puellæ ſenſibus, caſtitatis diſciplinam ingenerari, magni æſtimavit; eique tam triſti exemplo præcepit, ut non ſolum virginitatem illibatam, ſed etiam oſcula ad virum perferret. Qua de cauſa non ſine ratione quæſitum eſt à noſtris doctoribus, utrum ea, quæ oſculum præbuit,

buit, dotem amittat. Bald. *in cap. tua, de procurat.*

Ἔστι καὶ ἐν κενοῖσι φιλήμασιν αἰδεῖα τέρψις, ut ait Theocritus *id. xi.* Unde illud Plauti in Curculione:

Qui è nuce nucleum esse vult, frangit nucem:
Qui vult cubare, pangit saltem suavium.

Ovid. lib. 1. amor.

Oscula qui sumsit, si non & cetera sumsit,
Hoc quoque, quod sumsit, perdere dignus erat.

Erant tamen quædam venustatis blanditiæ, quæ quidem fiebant osculo, sed non eo modo. Nam alii dextram ad osculum referebant, totumque corpus circumagebant, ut scribit Plinius *lib.* 28. *cap.* 2. vel caput submittebant: quod in adorando frequentissimum fuisse probat Petrus Pithœus, vir singularis doctrinæ ac præstantissimi ingenii. Labiorum etenim ad solis ortum projectionem cum manus deosculatione fieri hic, locus Luciani ἐκ ἀρχῆς confirmat: Καὶ ἀνδρὶ, ἐπειδὰν ἕωθεν ἀναστάντες προσεύχωνται τὸν ἥλιον, οὐχ ὥσπερ ἡμεῖς τὴν χεῖρα κύσαντες ἡγούμεθα ἀντελῆ ἡμῶν εἶναι τὴν ὄψιν, ἀλλ' ἐκεῖνοι &c. Eodemque modo alludit Apuleius, lib. 4. μεταμορφ. *Et admoventes oribus suis dextram priorem, digito in erectum pollicem residente, ut ipsam prorsus deam Venerem, religiosis adorationibus*

venerabantur. Alii non ſuam, ſed ejus, quem ſalutabant, manum deoſculabantur. quod Priamum feciſſe, Achillem ſalutando, ait Homerus, Ι'λ. ω.

Τὰς ἢ λάθ' εἰσελθὼν Πρίαμος μέγας, ἄγχι δὲ ἆρα
Χερσὶν Ἀχιλλῆος λάβε γούναθ', ἢ κύσε χεῖρας
Δεινὰς ἀνδροφόνους, αἳ οἱ πολέας κτάνον υἱας.

Plutarchus, *in Catone Vticenſi*: Τ' πολιήτων πολὺ μᾶλλα, ἢ καταφιλόντων τὰς χεῖρας. Cornelius Tacitus, lib. 15: *Et dextram oſculis fatigare*. Item, lib. 17: *Exoſculari Othonis manum*. Ad illaque pertinent hæc verba Macrobii, Saturnal. 1: *Invenies dominum ſpe lucri oſcula alienorum ſervorum manibus infigentem*. Seneca, epiſt. 47: *Hos ego eoſdem deprehendam alienorum ſervorum oſculantes manum*. Et Apul. apol. 2: *Pontianus ante pedes noſtros advolutus, flens, & manus noſtras oſculabundus*. Suetonius, in Tiberio: *Chariclem medicum, quod è convivio egrediens manum ſibi oſculandi cauſa adprehendiſſet*, &c. Alii, ut eſt apud Arrianum, *de Epicteto, lib*. 1. *cap*. 19., oculos deoſculabantur, alii collum ceteraſque corporis partes, quas phyſici conſecratas numinibus prædicabant, ut aurem memoriæ, frontem genio, dextram fidei, genua miſericordiæ, quemadmodum notat Serv. *lib*. 3. *Æneidos*. Plautus, in Pœnulo:

Sine

Sine te exorem, ſine te prendam auriculis, ſine dem ſuavium.

Mentum etiam miſericordiæ gratia oſculari, aſſerit Plinius, *lib.* 11. *cap.* 45. Et hæc ſolita oſcula & quotidiana, ut vocat Sueto-nius *in Octavio*, perfunctorias ſalutationes adpellavit Optatus Millevitanus, *libro* 4. *contra Donatiſtas.* Quinetiam genua, ac interdum pedes, exoſculari moris erat. quod de Caio Cæſare notat Seneca, lib. 2. de benefic. cap. 12. *Invenit*, inquit, *aliquid infra genua, quo libertatem detruderet.* Et, hoc edictis vetuiſſe C. Caligulam & Diocletianum, teſtatur Pomp. Lætus. Julius Capitolin. de Maximino juniore ita ſcribit: *In ſalutationibus ſuperbiſſimus, adeo ut manum porrigeret, & genua ſibi pateretur oſculari, nonnunquam etiam pedes.* quod nunquam paſſus eſt ſenior Maximinus. qui dicebat, *Dii prohibeant, ut quiſquam ingenuorum pedibus meis oſculum figat.* Hæ ſalutationes erant quotidianæ. Labellis vero labella jungere, φιλεῖν τῷ στόματι, aut impudicum erat, aut ſane religioſum. Nec omittenda ſunt verba epiſtolæ Salviani Tra-pio conſcriptæ: *Oſculare ſaltem obſecratione pedes parentum tuorum quaſi ancilla, manus quaſi alumna, ora quaſi filia.* Tunc itaque aliquid neceſſitatis interveniſſe putabant, cum ſponſi, non contenti ſtri-

ctiſſima ſtipulationis formula, utrimque oſculo delibato ad omnem comitatem amicitiamque procliviores ſe reddebant: & ideo ſponſas velari dixit Tertullianus, lib. de veland. virgin. *Atquin*, inquit, *apud ethnicos velatæ ad virum ducuntur.* Sic autem ad deſponſationem velantur, quia & corpore, & ſpiritu, maſculo mixtæ ſunt per oſculum & dexteras, per quæ primum reſignarunt pudorem: ſpiritu, per commune conſcientiæ pignus, quo totam condixerunt confuſionem. Quintil. declamat. 279: *Nec ſatis eſt, maritum tantum oſculo putari.*

CAPUT XII.

De multa repudii.

QUOD ſi à pactione ſponſus & ſponſa diſcederent, repudiumque fieret, (eſt enim hoc verbum huic rei proprium, *l. inter divortium*, 119. *l. inter ſtuprum*, 101. §. 1. *D. de verb. ſignif.*) multabatur is qui cauſam præbuerat: ſi ſponſa, arrhas in duplum reddere debebat: ſi ſponſus, non repetebat. *l. pen. C. de ſponſ.* Antiquitus, in id quod intererat, condemnationem fieri, retulit Agell. *lib.* 4. *cap.* 4. Quod ſi neuter præbuiſſet cauſam diſſolvendorum ſponſaliorum, ceſſabat hujuſmodi pœna. ut, ſi mors interveniſſet, *l.* 3. *C. de ſponſal.* aut aliud impedimen-

pedimentum. *l.* 5. *C. eod. tit.* niſi oſculum interveniſſet. Sponſalitias enim largitates in partem tunc tantum ſponſus repetebat. *l. ſi à ſponſo, C. de donat. ant. nupt.* Cujus juris ratio eſt, ſingularis mulierum favor, quæ ſæpiſſime ſpe futuri conjugii, ſolitæ ſuæ verecundiæ tantillum terminos egreſſæ, aliquid de ſua pudicitia delibaſſe videntur.

Caput XIII.

De die nuptiarum.

SI vero promiſſis ſtaretur, dies nuptiis dici ſolebat. Pacuvius apud Nonium, cap. de doct. indag. *Gnatam deſpondit, nuptiis hanc dicit diem.* Et Terent. in Andria: *Hic nuptiis dictus eſt dies.* Προτεσμίαν τ' γάμων adpellat Baſilius, ὁμιλ. ὲν λιμῷ κὴ αὐχμῷ. Eratque diligentiſſime obſervandum, quis is futurus eſſet dies. Neque enim menſe Maio fiebant; quemadmodum teſtatur Ovid. *lib.* 6. *Faſt.* & Plutarch. *in probl.* Nec menſis Februarii iis diebus quibus parentalia celebrabantur; ut idem Ovid. refert *lib.* 2. *Faſt.* Ac, ex ejuſdem auctoris lib. 3., Martii triduum, quo Saliorum feſta celebrabantur, infauſtum fuiſſe conſtat, donec nimirum eſſent recondita arma in templo Martis. Ex omnibus autem men-

sibus Junium aptissimum fuisse, ex ejusdem lib. 7. monemur. Macrobius etiam, *lib.* 1. *Saturn. cap.* 15, ait, calendas, nonas, idus, omnesque ferias, præterquam viduis, religiosas fuisse. Cujus rei diversas rationes reddit Plutarch. *in prol!.* Eoque pertinet illud Varronis à Macrobio ex Augurum libris relatum, lib. 1. Saturn. cap. 16: *Viros vocare feriis non oportet.* Denique cavebatur, ne ullus esset motus cæli, aut terræ, neve turbatiore cælo fedus inirent. quam ad rem antiqui auspices adhibebant.

CAPUT XIV.

De tribus diebus nuptiarum.

AT, non unum tantum, sed tres dies, in nuptiis peragendis rituales fuisse, sciendum est, ut recte intelligatur Scævolæ responsum, *in l. pen. D. de donat. int. vir. & uxor.* dum ait: *Vxori, cum in separata dieta ab eo esset, die nuptiarum, priusquam ad eam transiret,* &c. Nam primo die sponsus visitabat sponsam apud ejus patrem. Et hic dies ἀποαύλια dicebatur. Diem intelligo non naturalem, sed civilem; ut is incipiat à media nocte. *l. more, D. de feriis.* Serv. 6. *lib. Æneid.* Nocte vero sequente apud socerum manebat sponsus. Quo fit, ut dies secundus ἐπαύλια dictus sit: quia eo die pernoctaverat

noctaverat ſponſus apud ſocerum. Non tamen ſponſæ conditione uſus erat, ſed in ſeparata diæta fuerat. Luce itaque oriente, circiter primam aut ſecundam horam diei, (hæ enim horæ, inquit Feſtus, ſponſalibus dedicatæ erant,) ſponſa domo patris egrediebatur. Et hic proprie nuptiarum dies dictus eſt. Tertius vero dies, quia vir maritus factus erat, ἐπαύλια nuncupabatur, & *poſtridie nuptiarum* dicebatur. Sic Nonnus interpretari videtur cap. 2. D. Joan. *Et die tertia nuptiæ factæ ſunt:*

— Ἀλλ' ὅτε πέτρας
Πορφυρέας τριτάτη ϑαλαμηπόλος ἔγραφεν ἠώς.

i. *tertia nuptiarum aurora.* Jul. Pollux: Προαύλια, ἡ πρὸ τῶ γάμων ἡμέρα. ἐπαύλια ἦ, ἡ μετ' αὐτὸν, intelligo, τῶ γάμων ἡμέραν. ἀπαύλια ἦ, ἐν ἧ ὁ νυμφίος εἰς ἴδιον πενθερὸν ἀπὸ τῶ νύμφης ἀπαυλίζεται. Et, quam Heſychius notat ἀναγαλυπτήριον ἡμέραν vocari, ea eſt ἡ αὔριον μετὰ τοὺς γάμους, *craſtinus dies nuptiarum*: quo, teſte Feſto, repotia fiebant. Erat enim dies ille in quo primum ſponſa in ædibus ſponſi pernoctaverat. Euſtath. Γ'λ. ω. ſic refert ex Pauſania: Καθ' ὃν ἐν τῇ τῶ νυμφίου οἰκίᾳ ἡ νύμφη πρῶτον ἐπηύλιαζε. Neque vero prætereundum eſt, tertio die, qui poſtridie nuptiarum ſive craſtinus erat, novam nuptam ad patris domum redire: ubi repotia fiebant, & dona ab amicis offerebantur, quæ ἀναγαλυπτήρια

ελα, ὀπτήρια, καὶ θεώρητρα, diximus adpellari. Suidas: Καλεῖται δ' ἐπαύλια καὶ μετὰ τὰ ἐγκλήσια ἡμέραν τῶν γάμων, ᾧ δὴ ᾠδὴ, ὁ νύμφης πατρὸς δῶρα φερόμενα τῇ νυμφίῳ καὶ τῇ νύμφῃ ἐν πομπῇ σχήματι. Παῖς ἄρ' ἡγεῖται, χλανίδα λαμπρὰν ἔχων, καὶ λαμπάδα καιομένην. ἔπειτα μετὰ τοῦτον καννηφόρος. εἶθ' αἱ λοιπαὶ ἀκολουθοῦσιν ἐφεξῆς τῇ νυμφίῳ, φέρουσαι χρυσία, λουκανίδας, σκήπτρα. &c. καὶ τὰ θεῖα ἅμα τῇ νυμφίῳ φέρουσιν. quæ verba Pausaniæ sunt, ut ea protulit eadem Eustath. Ἰλ. ω, & Apostolius *in paræm.*

CAPUT XV.

De nuptiis, connubio, & matrimonio.

His igitur diebus nuptiæ celebrabantur. Dicendum autem est, quid sint nuptiæ. Nam plerumque matrimonii & nuptiarum vocabula confunduntur. ut *in l. heres, D. de negotiis gest.* Itaque inquit Justinianus, *Nuptiæ, sive matrimonium, est viri & mulieris conjunctio.* Longe tamen aliud est matrimonium, aliud nuptiæ, aliud connubium. *Connubium* enim, ut definit Ulpianus, tit. 6. regul., *est uxoris jure ducendæ facultas.* Et Servius ait, lib. 1. Æneid. *Connubium est jus legitimi matrimonii.* Matrimonium vero est individua illa consuetudo vivendi, quæ, ut ait Columella

lib. 12.

lib. 12. *cap.* 1., ita à natura inſtituta eſt, ut non ſolum jucundiſſima, verum etiam utiliſſima vitæ ſocietas iniretur. At nuptiæ proprie ſunt illæ celebritates, quæ in copulandis nuptiis obſervantur. Clemens Alex. *lib.* 2. *ſtrom.* Γάμος ἔν ἐστι σύνοδος ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἡ πρώτη κατὰ νόμον ἐπὶ γνησίων τέκνων σπορᾷ. Quintil. declam. 3 : *Vis*, inquit, *ſcire quid ſint nuptiæ ? Aſpice illam virginem, quam pater tradidit, euntem die celebri, comitante populo.* Quod vero Modeſtinus definit nuptias, maris & feminæ communicationem, *l.* 1. *D. de rit. nupt.* magis ad matrimonium pertinet. Sed, ut ſolent juriſconſulti, non proprietatem verborum ſecutus, animi deſtinationem ſignificare voluit. Ex eo autem, quod cooperta & velata ſponſa erat flammeo, *nuptiæ* dicuntur adpellatæ. *Nubere* enim apud priſcos, *operire* & *tegere* ſignificat. Unde & *nubes* dictas Varro aſſerit, quod cælum tegant. Sic etiam *nuptias*, quod ſponſa flammeo operiatur. Ejuſdem fuit ſententiæ Feſtus : quamvis etiam putet, *nuptias* dictas eſſe à verbo νύμφη, contrario nimirum ſenſu : ait enim Cornutus in Neptuno, Τὰς γαμετὰς νύμφας καλεῖσιν ἀπὸ τοῦ νεῦ πρῶτον φαίνεσθαι κρυπτομένας πέπλους.

CAPUT XVI.

De pompa nuptiali.

QUis vero fuerit ſponſæ ornatus, obiter quædam adnotabo: quia de eo fit mentio *in l.* 5. §. *interdum*, *D. commodat.* Ubi dicitur, uxori maritum commodare, quo honeſtius culta ad ſe deduceretur. Igitur ſparſis capillis, ſeniſque crinibus ornabatur. tum corona de floribus herbiſque, ut ait Feſtus, & gemmis flammeoque, teſte Plinio, *lib.* 21. *cap.* 8., tegebatur: veſte lanea induebatur, ut idem Plinius teſtatur, *lib.* 8. *cap.* 48.; cinguloque præcingebatur, quod erat factum ex lana ovis, Herculeanoque nodo vinciebatur, quemadmodum ſcribit Feſtus; quem ſolvere maritus debebat: quo fiebat, ut *zonam* dicerentur virgines *ſolviſſe*, quæ virorum coitum admiſerant, ut ex Homero, Catullo, Pauſania, & Suida, ceteriſque, patet; tum etiam eæ, quæ primum pepererant, quod explicat Commentarius Græcus, *lib.* 1. *Argon.* Nec intereſſe puto in his celebritatibus, an Græcorum, an Latinorum nitar auctoritate. Hæc enim ab omnibus etiam aliis gentibus obſervabantur. Velatam item fuiſſe, ſatis notum eſt, maxime Tertulliani teſtimoniis, *lib. de veland. virginib.* Domoque patris egrediebatur,

diebatur, ducente eam matre ac ceteris parentibus & amicis. Et quædam vehebatur, cujus conductor παρόχος dicebatur: quædam pedibus iter peragebat, & qui eam comitabatur, χαμαίπους adpellabatur. utroſque communi nomine νυμφαγωγὸς Jul. Pollux, *lib.* 3, nominat, οἱ περὶ νύμφην ἐκ τοῦ πατρὸς οἰκίας ἡγοῦν. Eam vero frequenti adfinium & amicorum officio ſtipatam præcedebant tibicines: & alius qui Thalaſſium invocabat; cujus nominis varias recenſet cauſas Plutarch. *in probl.* Inter eos celebres pueri erant patrimi & matrimi, ut refert Feſtus, qui ſponſam ducebant: tum & tertius, qui anteibat, facem præferens ex ſpina vel ſpinu alba confectam, de qua Feſtus & plerique auctores meminerunt. Puer enim ingenuus eam ferebat, quod Nonius ex Varrone probat. Quinque & aliis facibus, quæ omnino cereæ erant, utebantur; teſte Plutarcho *in probl.*: atque, has præferre faces ominoſum fuiſſe, ex Plauti Caſina doctiſſimus Muretus putat; ubi Chalino conſervo ſuo Olympio minitatur his verbis:

Primum omnium huic lucebis nova nuptæ facem.
Poſt illa, ut ſemper improbus nihilique ſis.

Servis itaque has faces præferendas dari, ſuſpicari quis poterit ex Ennii verſu,

quem

quem obiter citat Festus in verbo *Prodinunt*:

Prodinunt famuli, tum candida lumina lucent.

Præferebat & alius puer vas quoddam opertum, quod *cumeram* Festus nominat, in quo erant nubentis utensilia: tum colum onustam lana, quemadmodum refert Plutarchus *in Romulo*, ut significarent, uxoris officium esse nere: qua ratione etiam vinculum laneum debebat esse ad utrumque postem januæ, per quem sponsa colum gestans transiret, ut scriptum reliquit Donatus *in Hecyram Terentii*: atque ideo, die nuptiarum in pelle lanata sedere nuptam debere, testatur Festus. Cum vero nova nupta domum viri accederet, maritus, aut alius ejus nomine, (vir enim absens, inquit Paulus, uxorem ducere potest, *lib. 2. sentent. tit. 19.*) in limine domus stabat, eam ad se vocans. Catullus:

Ac domum dominam voca.

Quæ vero virgines comitabantur, more Græcorum canere solebant, *Hymen, ô hymenæe.* Catul.

Vosque item simul integræ
Virgines, quibus advenit
Par dies, agite in modum.
Dicite, O hymenæe, hymen:
Hymen, ô hymenæe.

Quod

Quod etiam describit Homerus, I'λ. ρ. & Statius, *in epith. Stellæ, lib.* 1. *Sylv.* Propius vero accedens (inquit ille qui reliquias decimi libri Valerii Maximi collegit), ante januam mariti interrogata quænam esset, Caiam se dicebat: ac, ut testis est Plutarchus *in Probl.*, clamare alta voce solebat, *Cai Cæcili*: viro interim clamante, *Caia Cæcilia*: quia cum viro ita paciscitur, ut omnia communia sint, & pariter imperent: acsi dicerent, Ubi tu dominus ac familiæ princeps, ego quoque domina & hera: si tu dives, ego dives: omnis denique tuæ fortunæ particeps. *Nihil*, inquit Ulp., *tam humanum est, quam, fortuitis casibus, mulieris maritum, & uxorem viri, participem esse.* l. si cum dotem, §. si maritus, D. solut. matrim. Idque fiebat in memoriam Caiæ Cæciliæ, honestæ feminæ, quæ uni ex Tarquinii liberis collocata erat, ut testantur Plinius *lib.* 8, *cap.* 48, & Festus: cujus rei etiam meminit Cicero *in orat. pro Muræna*, & Velius Longus. Ideoque *assem Caianum* dictum existimavit doctissimus Adrian. Turneb. *in Adverss.* quem sic notatum oc fuisse, argumento est hic Quintiliani locus lib. 1. Inst. cap. 12. *Nam & Caius C litera notatur; quæ inversa mulierem declarat: quia tam Caios esse vocitatos quam Caias, etiam ex nuptialibus sacris apparet.* Quum vero proximi essent,

essent, more Sabinorum, ridicula quædam dicteria depromi solebant à circumstantibus. Lucanus:

Non soliti luse re sales, nec more Sabino
Excepit tristis convitia festa maritus.

Ad hanc rem Fescenninos versus proprios fuisse, Festus narrat. Idque à pueris fieri, argumento est locus Varronis, quem citat Nonius: *Pueri obscœnis verbis novæ nuptæ aures reddurant.* Quod quia depositis prætextis fiebat, ideo *prætextatus sermo* dicebatur, ut inquit Festus. Indeque factum est, ut prætextatus sermo pro obscœnis verbis acciperetur. Suet. in Vesp. *Erat*, inquit, *dicacitatis plurimæ, & sic scurrilis ac sordidæ, ut nec prætextatis verbis abstineret.*

CAPUT XVII.

De coma tonsa.

ORnatus autem sponsi in eo præcipue notabatur, quod tonderetur. Juvenal. Satyr. 6:

— Iamque à tonsore magistro
Pectteris. —

Quod etiam à ceteris àdstantibus observatum fuisse suspicor, præsertim ab iis qui ad celebrationem nuptiarum adhibebantur. Ausonius:

Et juvenes quatuor, totidem innuptæque puellæ.

Omnibus

Omnibus in morem tonſa eſt coma: pectine ſummo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.

Nam id fiebat ornatus cauſa, non quod capilli omnino amoverentur, ſed comebantur potius, ac, qui ſuperflui erant, tondebantur. *Quid*, inquit Seneca, lib. de brev. vitæ, *illos otioſos vocas, quibus apud tonſorem multa hora tranſmittuntur, dum decerpitur, ſi quid proxima nocte ſuccreverit, dum de ſingulis capillis in conſilium itur*, &c. Ac liberorum hominum erat, eſſe comatos, id eſt, comam adornare; & his ſolis cæſariem habere licebat. *cæſaries* enim dicta eſt à *cædendo*, ut notat Servius, *lib.* 1. *Æneid.* id eſt, ferro ſæpius adornando. quia coma vulgo ferro colitur. Et *lib.* 10. admonet, antiquo more viros, ſicut mulieres, compoſuiſſe capillos. quod verum eſſe, ſtatuæ antiquorum docent, & perſonæ, quas tragœdiis videmus eſſe ſimiles in utroque ſexu, quantum ad ornatum pertinet. Græci βόστρυχον & πλόκαμον hujuſmodi cæſariem adpellabant. Qualem Euphorbum geſtaſſe cecinit Homerus, auro videlicet religatam, Γ'λ. ρ.

Πλόκαμοι θ' οἱ χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ ἐστεφάνωντο.

Et ita liber habere dicebatur cæſariem, τὴν κεκοσμημένος τῇ συνηθείᾳ τῶν νόμων, ut ait Joſeph. *l.* 14. *antiq. c.* 17 ſervi vero non tondebantur. horum enim dicebatur Græce ἀνδραποδι-

ποδώδης θρὶξ, teſte Suida, *ſervilis & abjectiſſimus pilus ſive tonſura.* Quo fit, ut apud Ariſtophanem, *in avibus*, objiciatur poetæ, qui ſe θεοφόντα dixerat, Δῆλος ὢν, κόμην ἔχεις. Et hic procul dubio eſt ſenſus hujus loci, quem plerique adſecuti non ſunt. Cum vero ſervi manumitterentur, hunc vilem capillum abjiciebant, & non modo tondebantur, ſed etiam radebantur. Cujus moris hanc fuiſſe rationem ſcribit Nonius, quod tempeſtatem ſervitutis tunc ſervi effugiſſe viderentur, quaſi naufragio liberati. Sane enim teſtis eſt Petronius Arbiter, non licuiſſe cuiquam mortalium in nave neque ungues neque capillos deponere, niſi cum pelago ventus iraſcitur. Cujus conſuetudinis meminit etiam Artemidorus, *lib.* 1. *cap.* 13. Ναυαγήσαντες μὲν γὰρ, ἢ ἐκ μεγάλης σωθέντες νόσου, ξυρῶνται οἱ ἄνθρωποι. Alludit itaque Lucianus hoc modo, *in fine Hermotini*: Δοκῶ δέ μοι τὸν ἀλόγως ἂν κὴ ξυρήσασθαι τὴν κεφαλὴν, ὥσπερ οἱ ἐκ τῆ ναυαγίων ἀποσωθέντες ἐλεύθεροι, εἴτε κὴ σωτήρια τήμερον ἄξειν. Sidonius Apollinaris, illius antiqui ritus memor, ſic ſcribit ad Fauſtum, lib. 9. ep. 9: *Philoſophia, quæ violenter è numero ſacrilegarum artium exemta, raſo capillo ſuperfluæ religionis ac ſupercilio ſcientiæ ſecularis, amputatiſque pervenuſtarum veſtium rugis, myſtico amplexu, jam defacata,*

facata, tecum conjunxit. Sed hæc alterius erunt otii. Redeo unde diverteram: modo tamen hoc addidero, his, quibus aliquid acciderat quo triſtiores fierent, aut radi ſolitum fuiſſe, ut notat Plutarch. *de ſuperſt.*, & Senec. *lib.* 5. *de benef. cap.* 6: dicebaturque *tonſura lugubris*, quaſi ἐν χρῷ κεφ. aut vero crinem ſubmittere, ſordidoque capillo & promiſſo ſive demiſſo prodire, ut narrat Plinius *lib.* 7. *cap.* 27. Unde Seneca, in Troa. act. 1:

Solvite crinem,
Per colla fluant
Mœſta capilli.

Hoc pluribus exemplis, quæ paſſim leguntur, probare, facile eſt. Maritus itaque, & qui cum eo erant, ornatus cauſa tondebantur: quo pertinet illud Martialis, lib. 11:

Tondebit pueros jam nova nupta tuos.

Quod à Catone neglectum fuiſſe, notavit Lucanus his verſibus:

Intonſas rigidam in frontem deſcendere comas
Paſſus erat, mœſtamque genis increſcere barbam.

Caput XVIII.

De oleo, aqua, & igne.

Cum vero in mariti domum pervenerant, poſtes domus inveniebant ornatos

tos laneis vittis, & oleo unctos: & ideo *uxores*, inquit Servius, *lib.* 5. *Æneid.*, dictæ sunt, quasi *unxores*. Hujus rei meminit Donat. in Terentii Hecyram: *Vxor vel ab ungendis postibus & figenda lana. id est, quod, cum puella nuberent, maritorum postes ungebant, ibique lanam figebant. vel quod maritos ipsa ungebant.* Cujus rei testem adfert Ennium:

Exin Tarquinium bona femina lavit & unxit.

Quamvis Servius, *lib.* 6. *Æneid.*, hunc versum ad funus referat. Quem imitatus est Virgilius, dicens,

—Corpusque lavant frigentis, & ungunt.

Aquam item & ignem in limine adpositum utrimque tangebant; quasi eo federe inexplicabili & mutuo nexu forent copulati.

His nova fit conjunx. hæc duo magna putant.

inquit Ovid. *lib.* 4. *Fast.* Hæ enim duæ res, aiunt Festus, in verbo *Aqua*, & Lactantius *lib.* 2. *cap.* 18., humanam maxime vitam continent. Alterum enim quasi masculinum elementum est, alterum quasi femininum. Alterum activum, alterum patibile. Ideoque ab ipsis institutum erat, ut sacramento ignis & aquæ nuptiarum federa sanciren-
tur, quod fetus animantium calore & humore corporentur atque animentur ad vi-
tam;

tam; ſive, ut deinde ait Feſtus in verbo *Facem*, ut caſta puraque ad virum perveniret. Nævius apud Nonium, in verbo *Puriter*: *Sequere me; puriter volo facias*. id eſt, ſacrifices. *igni & aqua volo hunc accipere*. Ignis enim, quemadmodum ait Plutarchus *in probl.*, purgat; aqua vero luſtrat. τὸ πῦρ καθαίρει, καὶ τὸ ὕδωρ ἁγνίζει. Et refert Servius, *lib.* 4. *Æneid.*, hac aqua nubentium pedes lavari ſolitum fuiſſe. Quod & in Græcia ſignificavit Euripides, *in Phœniſſis*:

Ἐγὼ δ' ὅτι σοι πυρὸς αἰνῆψα φῶς νόμιμον,
Ἐν γάμοις ὡς πρέπει μαντεῖ μαντείᾳ,
Ἀν' ὑμέναια δ' Ἰσμηνὸς σκηδοῦχη λευκοφόρῳ
χλιδᾷ.

Hoc Harpocration explicat in verbo λευκοφόρος. Ἔθος ἦν τοῖς γαμοῦσι, λεύκα μεταπέμπεσθαι ἑαυταῖς καὶ τῷ ἀνδρὶ τὸν ἐκγύτατα γένους παῖδα ἄρρενα. καὶ ὅτι ἐλευκοφόρουν. Hiſque poſſunt intelligi verba Scævol. in l. pen. D. de donat. inter vir. & ux. *Et priuſquam*, inquit, *igni & aqua acciperetur*, id eſt, nuptiæ celebrarentur. Qui mos fuit loquendi, omnium rerum communicationem ſignificare volentibus. Dionyſius Halicarnaſſeus, *lib.* 11. de Romulo erga Sabinas ſic ſcribit: Ἐπὶ κοινωνίᾳ πυρὸς καὶ ὕδατος ἐκδυῶν τὰς γάμους. Sane enim ſæpiſſime ignem pro domo, ſicut & hodie moris eſt, accipi, notat Porphy-

rius, *lib.* Ζητημάτων Ὁμηρικῶν, τί Ὅσαι μὲν Τρώων πυρὸς ἐσχάραι δηλοῖ; Ὅσαι μὲν Τρώων ἐσχάραι, δηλοῖ, Ὅσαι ἑστίαι, τόσοι Τρώων ἐφέσιοι ἢ πολίται. Eurip. *in Oreſt.* Ἔδοξε δ' Ἄργει τῷδε, μηδὲ ἡμᾶς σέβαις, μηδὲ πυρὶ λέχεσι, μήτε σωφρονεῖν πνα.

CAPUT XIX.

De ingreſſu ſponſæ in domum mariti.

SPonſa ſolebat in limine domus quaſi obſtinata ſtare, ut ſignificaret, ſe invitam duci in eum locum, ubi virginitatem perditura eſſet. Catullus:

Tardat ingenuus pudor,
Quod tamen, magis audiens,
Flet, quod ire neceſſe ſit.

Alia etiam additur ratio, quod hoc modo ſponſam ſuperſtitem fore putabant. Sic enim ſcribit Plaut. in Caſina:

Senſim ſuperadtolle pedem, nova nupta: ſoſpes
Iter incipe hoc, ac viro tuo ſemper ſis ſuperſtes.

Itaque ſponſi amici eam in altum ferebant, in memoriam Sabinarum, quæ raptæ ſunt, ut ſcribit Plutarch. *in Romulo.* Cujus rei meminit Optatus, lib. 7: *Non in altum tollitur*, &c. Hocque fieri dicunt nonnulli, ne ſponſæ tererent limen pedibus. Id enim prohibebant matronæ, quia illud contra majeſtatem Veſtæ eſſe exiſtimabatur. Lucanus:

Turrita-

Turritaque premens frontem matrona corona,
Tranſlata vitat contingere limina planta.

Deinde rapi ſolebat fax nuptialis, qua præ-lucente nova nupta deducta fuerat ab utriſ-que amicis, ut ait Feſtus, ne aut uxor ſub lecto viri, aut vir in ſepulcro comburendam curaret. quo utroque mors propinqua alte-rius captari putabatur. Poſtea matri ſpon-ſam tradebant, aut alicui ex proxima ne-ceſſitudine, à qua, Feſtus ait, vi maritum debere evellere, in memoriam Sabinarum: quia hic raptus ſummi boni cauſa fuerat, ut refert Plutarch. *in probl.* Unde Virg. lib. 10. Æneid.

Qui ſocios legere, & gremiis abducere pactas.

Illico autem, quo ſponſa ingreſſa ſic eſſet domum ſponſi, uxor dicebatur, & vir mari-tus. *l. cum te, C. de donat. ant. nupt. l. gene-ra, D. de rit. nupt.* & ex eo dicitur uxor duci. *l. cum fuerit, D. de condition. & demonſtrat.* & is dicitur uxorem habere qui eam duxerit in domum. *l. aufertur, D. de his quæ ut in-dign. l. hæc conditio, D. de condit. & demonſtr.* Plaut. in Aulularia:

Poſt mediam ætatem qui uxorem duxit do-mum.

Hoc explicatius declarat Sid. Apoll. epiſt. quinta, lib. 1. *Iam quidem*, inquit, *virgo tradita eſt, & nondum tamen cuncta thala-morum pompa defremuit, quia nondum ad*

mariti domum nova nupta migravit. Aliud vero erat si vir deductus fuisset in domum mulieris. quia, ut ait Pomponius, deductione opus erat in mariti, non uxoris, domum, quasi domicilium matrimonii. *l. mulierem, 5. D. de rit. nupt.* Si tamen in villa fierent nuptiæ, nihil intererat. Apul. apol. 2: *Lex Iulia de maritand. ordinib.*, inquit, *nunquam scilicet ad hunc modum interdixit, Vxorem in villa ne ducito.* Quod ita intelligendum est, si ibi dicis causa maritus domicilium figat, (domicilium enim etiam in villa esse potest, *l. 1. §. 2. D. de lib. adgnosc.*) non ut clam & contra jus duceret. quo fit, ut Apuleius sic finxerit, *lib. 6. Metam.*, Venerem conquerentem impuberes nuptias, & præterea in villa sine testibus & patre non consentiente factas. quæ legitimæ non possunt videri.

CAPUT XX.

De nuptiis quæ farre contrahebantur.

JAM vero, sic ducta uxore, discrimen erat, quo jure eam maritus acciperet. Nam tribus modis Romani uxores habebant; farre, coemtione, & usu: quemadmodum, post Arnobium *libro 4. contra gentes*, meminit Boethius *in Topicis.* Confarreatio fiebat, cum, certis verbis, & decem testibus præ-

præsentibus, solenniqne sacrificio facto, in quo panis farreus adhibebatur, mulier in manum viri conveniebat: ut asserit Ulp. *tit. 9. regul.* Profertur hac de re Servii auctoritas ex libro manuscripto *lib.* 1. *Georg.* His verbis farre nuptiæ fiebant per pontificem maximum & dialem flaminem: per fruges & molam salsam conjungebantur; unde confarreatio adpellatur. ex quibus patrimi & matrimi nascebantur. Et hic modus in sponsalibus religiosissimus fuit. In cujus signum præferebatur far tostum. quod sacrificiis sæpe adhibebatur. inde enim panis farreus prohibebatur sceleratis. Indeque *nefarios* dictos fuisse, asserit Nonius. Et ait Dionys. Halicarnass. *lib.* 3, priscos legitima sacraque matrimonia, Romana adpellatione, *farreacea* dixisse, à communione *farris*, quod Græci ζέαν vocant. Plinius tamen, *lib.* 18. *cap.* 8., far, quod à farina deducit, aliud esse vult quam ζέαν. Ex eo autem confarreandi modo, *confarreari matrimonium*, dicebant. Apul. lib. 10. Metam.: *Talis mulieris matrimonium confarreaturus.* Inde etiam in veteri glossario, *confarreatus*, dicitur συμβιώσεως χάριν ζυγθείς. Et, quæ hoc modo nubebant, statim è patris potestate in viri manum transibant. Quod his verbis indicat Tacitus, lib. 4: *Et quando exiret è patrio jure, qui in flaminium adsciscetur,*

retur, quæque in manum flaminis conveniret. Sed hic modus confarreationis in desuetudinem abiit. Tiberius enim Cæsar, apud Tacitum, *lib.* 4., de flamine diali in locum Servii Maluginensis defuncti legendo, ita disseruit: *Nam patricios, confarreatis parentibus genitos, tres simul numerari: ex quibus unus legeretur, vetusto more: neque adesse, ut olim, eam copiam, omissa confarreandi assuetudine, aut inter paucos retenta. Plureſque ejus causas adferebat; potissimum, penes incuriam virorum feminarumque. Accedere ipsius cerimoniæ difficultates, quæ consulto vitarentur.* Et infra: *Sed lata lex, quæ flaminica dialis, sacrorum causa, in potestate viri, cetera promiscuo feminarum jure ageret.*

CAPUT XXI.

De coemtione.

QUOD ad alios modos attinet, scribit Cic. in Topicis: *Vxoris duæ sunt formæ: una matrumfamilias; altera earum, quæ tantum usu uxores habentur. Matresfamilias*, inquit Boethius, *erant, quæ ducebantur per coemtionem: quæ vero usu, minime. Coemtio fiebat, cum seſe in communicando* (vel, si mavis, *coemendo*) *invicem interrogabant: Vir, an sibi materfamilias esse*

esse vellet; ubi illa respondebat, Velle: item mulier, an vir sibi paterfam. esse vellet; ille respondebat, Velle. Itaque sic mulier viri conveniebat in manum: & vocabantur hæ nuptiæ per coemtionem. quod, ut Varro scriptum reliquit, (ejus verba Nonio referente, *cap. de doct. ind.*) nubens mulier tres ad virum asses ferebat: atque unum quidem, quem in manu tenebat, tanquam emendi causa, marito dare solebat; alium, quem in pede habebat, in foco larium familiarium ponere; tertium, in sacciperio, cum condidisset, resignare solebat: & ita dicebatur matrimonium *per æs & libram* contractum. Sed abs re non est, hic addere, coemtionem non in nuptiis tantum celebrari, sed in omnibus legis actionibus, in quibus mancipatio interveniebat: videlicet, ut, præter jus naturale, jus Quiritium accederet: ut cum Ulp. ait, quosdam præponi frumento coemendo; *l. cuicunque, 5. §. 1. D. de inst. act.* & Pomponius, venales novicios coemendo. *l. si negotia, D. de negot. gest.* Symmachus, epist. 80. lib. 5: *Ad equorum coemtionem cum pretiis commeabunt.* Theodosius, l. 2. C. de frum. urb. Const.: *Auri statuta quantitas ad coemtionem frumenti.* Cic. in quadam Verrina: *Non modo non vendebant, sed etiam coemebant.* Horat. Od 29. lib. 1:

Quin tu coemtos undique nobiles
Libros Panæti, Socraticam & domum, &c.

Et poſtea, lib. 2. Od. 3:

Cedes coemtis ſaltibus, & domo.

CAPUT XXII.

De uſu, ac legis Miſcellæ interpretatione.

USu uxor habebatur, cum mulier ita collocabatur viro, ut is nullum jus præter uſum in eam haberet. Quemadmodum ſervus jure Quiritium domini non erat, ſed tantum in ejus bonis, id eſt, in uſu, ſi is neque mancipatus eſſet, neque in jure ceſſus, neque ipſo anno poſſeſſus, ut Theoph. *tit. de libert.* poſt Ulp. *tit.* 2. *regul.* interpretatur. Sic etiam, ſi nulla mancipatio in nuptiarum celebratione interveniſſet, mulier ſane jure Quiritium uxor non erat, nec materfamilias, ſed tantum jure naturali uxor. Et ideo Boethius ait, eas quæ uſu ducebantur, non fuiſſe matresfamilias. Nulla etenim in re jus Quiritium inerat, niſi fictitia venditio, quæ mancipatio dicebatur, acceſſiſſet. Aliter vero uſus tantum in re haberi dicebatur. Cic. lib. 7. epiſt. *Cujus quando proprium te eſſe dicis mancipio & nexu, meum autem uſu.* Et Lucretius, lib. 3:

Vitaque mancipio nulli datur, omnibus uſu.

Et is, qui rem jure gentium tantum habebat,

bat, non proprie dominus dici poterat, ſed poſſeſſor : & res ipſa, non dominium, ſed uſus vel poſſeſſio nuncupabatur. Ut quando ait Feſtus, *Poſſeſſiones adpellantur agri late patentes, publici privatique, qui non mancipatione, ſed uſu, tenentur.* Quo pertinent & illa Javoleni, l. quæſtio, 115. D. de verb. ſign. *Quod ad nos non pertinet, aut non poteſt pertinere, hoc poſſeſſionem adpellamus. poſſeſſio igitur uſus eſt.* &c. Loquitur ibi de fundis qui extra Italicum ſolum erant, & ideo mancipari non poterant. Sic etiam mulier in uſu tantum eſſe dicebatur, ſi nulla mancipatio facta fuiſſet. Non quod pellex eſſet, aut concubina, ut quidam voluerunt, *ex l. Maſurius*, 144. *D. de verb. ſign.* Intererat enim, quo animo eam apud ſe vir haberet, uxoris, an concubinæ loco. Solo enim delectu concubina ab uxore ſeparatur, inquit Paulus, *lib. 2. ſent.* Et Ulpianus ait, concubinam ſola animi deſtinatione æſtimari : *l. pen. D. de concub.* cum teſtatione tamen, non uxoris, ſed concubinæ loco eſſe : *l. in concubinatu, eod. tit.* aliter enim uxor dicebatur ; præſertim ſi eſſet ingenua mulier, & honeſtæ vitæ, pleno ac maritali honore dilecta : *l. cum tabulis*, §. *quoniam*, *de his quæ ut indign.* cum dignitate, *l. item legato*, §. *parvi, de legat.* 3. vicinis aut aliis ſcientibus eam liberorum procreandorum cauſa domi

habitam fuisse: *l. si vicinis, C. de nuptiis*, & sine mendacio, *l. Titiæ, D. de aur. & arg. leg.* non consortio sororiæ adpellationis decolorata. *l. eum qui, C. de Episcop. & Cler.* Nam, ut Hieronymus ad Rusticum monachum testis est, plerique sub nominibus pietatis quærunt suspecta consortia, ac ficto matrum nomine erumpunt in licentiam maritalem. Ideo Papinianus inspiciendum ait, an maritalis honor & adfectio pridem præcesserit, personis comparatis, vitæ conjunctione considerata: *l. donationes*, 31. *D. de donat.* Concubina igitur nunquam usucapiebatur, uxor sæpissime. illa pellex dicebatur, hæc uxor. in illis concubinatus, in his nuptiæ esse dicebantur. *l. in liberæ, D. de rit. nupt.* Itaque uxor, quæ usu tantum habebatur, differebat ab ea quæ materfamilias erat, quod hæc in mariti potestatem & familiam transibat, eratque illi loco filiæ; hæc vero ad usum, & liberorum tantum quærendorum causa, ducebatur. ut, quando viduæ, cui maritus viduitatem indixerat, per legem Juliam Miscellam licebat nihilominus nubere, modo sobolis tantum gratia ad secundas nuptias migrare se adfirmaret, & cautionem Mutianam præstaret, non etiam coemtionem faceret. Hoc enim modo minus videbatur defunctus lædi, cum mulier nec confarreatione nec coemtione, in alte-

rius

rius familiam non transiens, bona, quæ tanquam sua heres ab primo marito acceperat, in secundum non transferret, nec suis liberis spem succedendi auferret. Atque hanc legis Miscellæ veram existimo interpretationem. Nam, ut prius dictum est, solenne quidem erat, in omnibus nuptiis adjícere, se liberorum quærendorum causa nuptias contrahere. Sed hoc in his nuptiis erat singulare, quando mulier usu tantum ducebatur. ut adjecta particula, *tantum*, designaret, se non nubere ut esset secundo marito loco filiæ: ne videretur domum primi mariti in partes distrahere; quod Agrippinam in Liviæ secundo matrimonio metuisse scribit Tacitus *libro* 4. Quorsum enim hoc jussisset lex Miscella, cum idem fuisset si mulieri simpliciter nubere permisisset? Et hoc modo quæ nupserat, non tam firmo vinculo haberi dicebatur. Itaque Julius Cæsar, inquit Suetonius, paratam legem habebat, ut uxores liberorum quærendorum causa, & quas, & quot ducere vellent, liceret. Et moris fuisse refert Strab. *lib.* 11. Romanos uxores suas aliis viris elocare, cum duos tresve filios ex eis suscepissent. Cujus rei vulgatissimum est Catonis minoris exemplum (quod male vulgo intelligi suspicor) à Plutarcho relatum. Non enim, ut adultera esset, sed ut uxor haberetur,

Martiam desponsit Hortensio Philippus pater, præsente Catone, & sponsalia comprobante. Ideo tamen hoc improbatum est à Christianis, quod vivente marito non possit uxor alteri nubere. August. *lib. de bon. conjug.* & Salvian. *lib.* 8. *de jud. Dei.* De hoc genere uxorum mihi videor non absurde hunc locum interpretari. Ac de Romanorum connubio verecundius judicandum existimo, quam à plerisque audio, Strabonis, Appiani, & Plutarchi auctoritate, fieri. Athenienses hujusmodi uxoribus utebantur; cum, ut ait Laert. in Socrate, licebat eis γαμεῖν μὲν αὐτὴν μίαν, παιδοποιεῖσθαι δὲ καὶ ἐξ ἑτέρας. Hanc enim Philostr., *in Sclopiano*, ἡμίγαμον καὶ νόμους nuncupat. De utraque, Socratis & Catonis, uxore sic meminit Tertullianus in Apologet. *Ex illa, credo, majorum & sapientissimorum disciplina Graci, & Romani Catonis; qui uxores suas amicis concedebant, quas in matrimonium duxerant liberorum causa.* Sed plerumque, eodem modo, quo servus, qui in bonis tantum erat, si per annum possessus esset, in dominio esse dicebatur; sic mulier, quæ usu tantum habebatur, materfamilias fiebat, si, usu illo per annum sine usurpatione continuato, usucapta esset. quod & in omnibus possessionibus, quæ usu tenebantur, eveniebat, in quorum adquisitione nullus nexus intervenerat.

venerat. Nam, ut cum Horatio juris noſtri regulas complectar, lib. 2. epiſt. 2.,

Si proprium eſt quod quis libra mercatur & ære.

Quædam, ſi credis conſultis, mancipat uſus.

Illoque uſu in manum convenire dicebatur, materque familias fiebat, nimirum uſucapta. Cic. pro Flacco: *In manum*, inquit, *convenerat. Nunc audio. Sed quæro, utrum uſu, an coemtione.* Valdeque mihi ſuſpectus eſt locus Servii, qui nuper ex libro manuſcripto prodiit, ubi nuptiæ fieri dicuntur uſu, ſi mulier anno uno cum viro, licet ſine legibus, fuiſſet. Nam & ante annum uxor & nuptiæ fuerant. Sed uxor fiebat uſu materfamilias, ſi mulier anno uno cum viro fuiſſet tanquam uſucapta. Quodſi uſus ille ab uxore intra annum trinoctio interrumperetur, illa uſucapi non poterat. Eratque hac de re lex 12 tab. lata, quam refert Agellius, *lib.* 3. *cap.* 2. ut mulier, quæ ſui juris eſſet, ſi annum unum apud virum matrimonii cauſa fuiſſet, ni trinoctium uſurpatum iſſet, pro uſucaptâ haberetur.

CAPUT XXIII.

An uxor ſit in poteſtate mariti.

EST autem exagitanda quæſtio, an uxor ſit in poteſtate mariti. Et non erit in-

conveniens, hic conſcribere verba Philonis *lib.* 2. *alog.* de Adamo, qui, uxorem accuſans, dicebat, *Mulier, quam mecum eſſe conceſſiſti*; non, *quam mihi dediſti.* Εὖ τὸ μὴ φάναι, Ἣ γυνὴ ἣν ἔδωκας ἐμοὶ, ἀλλὰ, μετ' ἐμοῦ. ὁ γὰρ ἐμοὶ, ὡς κτῆμα, τοῦτο αὐθήσιν ἔδωκας, ἀλλὰ κὴ αὐτοῦτο ἀφῆκας ἄνεσθαι κὴ ἐλευθέρων. Conſtat tamen, receptæ reverentiæ eſſe, quemadmodum ait Ulpianus, ſi mulier viro ſubſit. *l. alia, D. ſolut. matr.* Mart. lib. 8:

Inferior matrona ſuo ſit, Priſce, marito:
Non aliter fiunt femina virque pares.

Eleganter itaque Plaut. in Sticho:

——Pudicitia eſt, pater,
Eos magnificare, qui nos ſocias ſumſerunt ſibi.

Et Sophocles, *in Antigone*:

Ἀλλ' ξυνοιεῖν χρὴ τοῦτο μὴν, γυναῖχ' ὅπη
Ἔφυμεν ὡς κρεῖσσ' ἄνδρας ἐς μαχὰς ἁμάρτανειν,
Εἰ δ' οὖν ἐρεθίζοιμεν ἢ λόγοις ἢ πράγμασιν.

Quam ob cauſam Medea Euripidis ſic conquerebatur:

Πάντων δ' ὅσ' ἐστὶ ἔμψυχα, κὴ γνώμην ἔχει,
Γυναῖκές ἐσμεν, ἀθλιώτατον φυτόν,
Ἃς πρῶτα μὲν δεῖ χρημάτων ὑπερβολῇ
Πόσιν πρίασθαι, δεσπότην τε σώματος λαβεῖν.

Quod Latine ſic expreſſit Ambroſius, in exhortatione ad virgines: *Quoniam*, inquit, *quæ nupſerit, ad ſervitutem pecunia ſua venditur:*

ditur: meliori conditione mancipia, quam conjugia, comparantur. in illis meritum ſervitutis emitur, in iſtis pretium ad ſervitutem additur. Apud Romanos tamen aliter. Et quidem de confarreati matrimonii jure hactenus dictum ſit. De duobus vero reliquis hæc erat differentia. Nam, ſi uxor eſſet tantum uſu ducta; omnes conſentiunt, non fuiſſe in dominio mariti: ſi vero coemtione; aiunt, fuiſſe in dominio viri, quia in ejus manum convenit. Quid ergo? Si mancipatione jus dominii ſibi adquirebat maritus, cur non etiam mulieri idem jus erat in virum, quem eadem mancipatione ſibi patremfam. coemebat? cui in limine domus dicere ſolebat, *Si tu Caius, ego Caia.* id eſt, Si tu dominus, ego domina. Si ideo putamus uxores viros ſuos adpellaſſe dominos, quod hæ in eorum dominio eſſent, ut videtur aſſeruiſſe Servius, *lib. 4. Æneid.*, & pleriſque in jure locis confirmatur, *l. ea quæ*, 57. *D. de donat. int. vir. & uxor. l. Lucius*, §. *quæ marito*, *D. de legat.* 2.; cur non idem conjicimus de marito, quem videmus etiam aliquando uxorem ſuam dominam adpellaſſe? *l. uxorem*, *D. de legat.* 2. *l. Titia*, §. *marito*, *D. de ann. leg. l. final.* §. *uxori*, *D. de aur. & argent. leg.* cum & ipſemet Virgilius, *lib. 6. Æneidos*, dicat,

Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.

Catul-

Catullus: *Ac domum dominam voca.* Salvianus, *lib.* 7., habuisse ait Romæ matresfamilias jus suum, & dominarum honorem potestatemque habuisse. Verum est: habuerunt quidem multæ integrum jus dominii; sed nulla fertur impollutum jus matrimonii. Quid etiam voluit Verrius Flaccus, juris Pontificii peritissimus, quem Macrobius, *lib.* 5. *Sat. cap.* 16., refert dixisse, mulierem postera die nuptiarum libertatem auspicari uxoriam, & ad hanc rem sacra celebrare? Hoc Servius, *lib.* 6. *Æneid.*, ait, Græcorum more fieri, qui uxorem δέσποιναν dicunt. Epictetus vero mitiori vocabulo κυρίαν dicit adpellari mulierem quæ duodecim annos adepta erat. Aristotel. *lib.* 2. *Rhetor. cap.* 24: Οἷον ὅτι δικαίως Ἀλέξανδρος ἔλαβε τὴν Ἑλένην· αἵρεσις γὰρ αὐτῇ ἐδόθη ὑπὸ τοῦ πατρός. ὃ γὰρ ἀεὶ ἴσως, ἀλλα τὸ πρῶτον. καὶ γὰρ ὁ πατὴρ μέχρι τούτου κύριος. Hanc historiam accurate narrat Euripid. *in Iphigen. Aulide.* Catullus:

Qui genero sua jura simul cum dote dederunt.

Rectius tamen dicemus, mulierem, quæ propter sexus imbecillitatem antiquitus erat in perpetua tutela, (ideo quod coemtione recedebat à tutoris potestate) in viri potestatem recedere, & ei esse loco filiæ, auctore Boethio: qui ideo asserit, priorem statum mutari,

mutari, & esse capite deminutam. Cujus etiam juris testimonium exstat apud Ulpianum, *tit.* 21. *regul.* Sic enim scriptum est: *Minima capitis deminutio est, per quam, libertate & civitate salva, status duntaxat hominis mutatur. quod fit adoptione & in manum conventione.* Non tamen ea erat potestas qualis apud Barbaros, inquit Spartian. *in Carac.* apud quos feminæ & servi eodem gradu habentur. Neque enim in eam maritus jus vitæ & necis habebat; quamvis ex prisco instituto referat Cornelius Tacitus, *lib.* 13, Pomponiam Græcinam, superstitionis externæ ream, Plautii mariti judicio permissam, ut coram propinquis de capite famaque conjugis cognosceret. Cujus veteris instituti his verbis meminit Dionys. Halicar. *in Romulo*: Ἁμαρτάνεσθαι δέ π, δίκας λὴν τ ἀδικήμων ἐλάμβανε, κὴ ᾧ μεγέθες τ πμωρίας κύριον. Ταῦτα ἢ οἱ συγγενεῖς μετ ᾧ ἀνδρὸς ἐδίκαζον. Idque perspicuum est indicare voluisse Valerium, de Sacello deæ Viriplacæ scribentem, *lib.* 2. *cap.* 1. Non tamen habebat jus vitæ & necis maritus, sed nihilominus dominus dicebatur. Cicero, lib. 4. de Rep. *Nec vero mulieribus præfectus reponatur, qui apud Græcos creari solet; sed sit censor, qui viros doceat moderari uxoribus.* Nonius: *Nec enim semper dominii vocabulum ad eam rem, qua pleno jure ad*

nos pertinet, refertur. at etiam domini adpellantur qui cuicunque rei quomodocunque præsunt, ut & δεσπότου & κύριον significet. Inter quæ nomina hanc differentiam refert Philo Judæus, *lib.* Τίς ὁ τῶ θείων κλῆρος; Καὶ· Τί τὸ, Συνώνυμα τοῦτα λέγεται, κύριος καὶ δεσπότης; Ἀλλ' εἰ καὶ τὸ ὑποκείμενον ἓν καὶ ταυτόν ἐστιν, ἐπινοίας αἱ κλήσεις διαφέρουσι. κύριος μὲν γὰρ ὀνομάζεται τὸ κῦρος, ὃ δὴ βέβαιόν ἐστιν, εἴρηται, καὶ ἐναντιότητα ἀβεβαίᾳ καὶ ἀκύρῳ· δεσπότης δέ, ὀνομάζεται τὸ δεσμὸν, ἀφ' οὗ δή, ὡς οἶμαι, ὥστε τὸν δεσπότην κύριον εἶναι. Maritus itaque decentiori ac mitiori vocabulo κύριος adpellabitur, quam δεσπότης. Sane enim, ut est in Livio à Valerio dictum, *Et vos in manu & tutela, non in servitio, debetis habere eas; & malle patres vos, & viros, quam dominos, dici.* Bruti verba, *ex libro de Officiis*, citat Priscianus, *lib.* 6. quæ sunt hujusmodi: *Itaque patresfamiliæ domini sumus.* Seneca, epist. 47: *Ne illud quidem videtis, quam omnem invidiam majores nostri dominis, omnem contumeliam servis, detraxerint; dominum patremfamilias adpellaverint; servos (quod etiam in mimis adhuc durat) familiares.* De qua differentia amplissime disputat Lactantius, *lib.* 4. *div. inst.* Atque, ut est in prædicto Servii loco manuscripto, *lib.* 4. *Æneid.*, mulier sustinet conditionem liberæ servitutis, quod videlicet tantum jure Quiritium

tium in dominio mariti esset, jure vero gentium dominium non transferebatur: & sic (ut utar Theophili supra dicta distinctione) non erat maritus pleno jure dominus, sed tantum jure Quiritium. Quemadmodum enim prius dictum est, hæc mancipatio eo tantum interveniebat, ut esset matrimonium jure Quiritium contractum, atque ideo stabilior & sanctior societas. tam enim vir in mulieris, quam mulier in viri manum convenerat. sed receptæ reverentiæ est, mulierem esse in viri potestate, aut ejus in cujus esset potestate maritus, ut docet Agellius, *lib.* 18. nam, ut ait Festus, ea quæ in manum viri convenerat, materfamilias non erat proprie, antequam maritus sui juris factus fuisset.

CAPUT XXIV.

An coemtione filia è patris potestate sit emancipata.

SED quæritur, an hoc modo filia patris potestate soluta esset, si illa, antequam nupsisset, in potestate patris erat. Et sane Labeo asserit, uxorem in mariti familiam transgredi: ut tradit Agellius, *lib.* 13. *cap.* 10. Et Ulpianus scribit, viri & uxoris commixtam familiam esse, & unam domum: *l.* 1. §. *si vir*, 15. *D. ad Senatusc. Syllan.*

Et

Et Quintil., *declam.* 239, ait: *Vt virgo pertinebat ad patrem, ita nupta pertinet ad maritum.* Sed hoc primum objicio: Cur non idem jus putatur in uxore quæ uſu tantum habetur, cum hi auctores indefinite de omnibus uxoribus mentionem faciant? Tum etiam mirum eſt, quid ſibi velint apud Plautum filiæ Antiphonis. quarum altera in Sticho ita ſororem alloquitur:

Neque eſt cur nunc ſtudeam has nuptias mutarier.

Verum poſtremo in patris poteſtate eſt ſitum.

Faciendum id nobis quod parentes imperant.

Et poſtea:

Pati nos oportet quod ille faciat cujus poteſtas plus poteſt.

Eas enim in manum virorum coemtione conveniſſe, hæc verba, ſtatim ſubjecta, argumento ſunt:

Nunquam enim nimis curare poſſunt ſuum parentem filiæ,

Quem æquius eſt, nos potiorem habere quam te, poſtea

Viros noſtros, quibus voluiſti nos eſſe matres-familias.

Deinde, nullo auctore, qui quidem exſtet, aut ſaltem in publicum exierit, poteſt aliquis probare, patriam poteſtatem matrimonio ſolvi: cum etiam Hermogenianus, *l.* 2. *D. de liber.*

liber. exh., det viro interdictum de uxore deducenda & exhibenda, non etiam dominium, quod patris esse fatetur; & infinitis auctoritatibus probari possit, mulierem, quæ alteri nupsit, esse in potestate patris: *l.* 1. *C. de bon. quæ liber. l.* 4. *C. solut. matrimon.* ita ut eam occidere possit, si in adulterio deprehenderit: *l. patris, D. ad l. Iul. de adult.* modo moderata esset ea patris potestas, ne, inquit Ulp., bene concordantia matrimonia jure potestatis turbentur. *l.* 1. *D. de lib. exhib.* quod constitutum fuisse à Numa, refert Dionys. Halicar. *lib.* 2. His, dum ab alio meliora adferentur, responderi posse puto, raro nuptias fuisse coemtione contractas; & ideo jurisconsultos, generaliter de uxoribus respondentes, ad eas tantum prospexisse, quæ jure gentium, id est, usu tantum, erant uxores. Quod videtur notatum à Tacito, *l.* 4. *Ann.*, dicente, Flaminicam dialem sacrorum causa in potestate viri tantum fuisse, cetera promiscuo feminarum jure agere. Cum & verum sit, pleraque jurisconsultorum responsa, aliquid sæpe addendo, sæpe etiam detrahendo, Tribonianum suo tempori adcommodasse. Nam & illo fragmento, nuper à doctissimo P. Pithœo edito *sub titulo De adulteriis*, apparet, distinctius Papinianum & Paulum respondisse, occidendi facultatem legem

patri

patri tribuisse, eam, quam in potestate haberet, & eam, quæ eo auctore in manum convenerat. Qua distinctione plane constat, eam, quæ patre auctore in manum viri convenerat, non fuisse in patris potestate. Quod vero ad Plauti verba pertinet, longa virorum absentia, qui triennio jam aberant, divortii legitimam causam præstitisse videbatur. Et sane verisimile est, ante Constantinum non quadriennium mulieres exspectasse. *l. vel senectutem, D. de donat. int. vir. & ux. & l. ult. C. de divort.* At quid moror? Non est tanta comicis fides habenda, ut eos putemus juris civilis regulas ἀκριβῶς observasse. Sed ad rem. Fieri non poterat, ut, quæ per æs & libram in viri manum patris consensu convenerat, in ejus esset potestate. Consequeretur enim, ut una eademque mulier esset materf. & filiafamilias: & ita fieret, ut esset duarum familiarum mulier. quod juris regulis adversari nemo dubitat, *§. at hi, Inst. de hered. qua al intest.*

CAPUT XXV.

De communione sacrorum inter virum & uxorem.

VIR & uxor divini & humani juris communicationem habere dicebantur. *l. 1. D. de*

D. de rit. nupt. l. adverſus, C. de crim. expil. hered. Ob eamque cauſam tradi anulos & claves uxoribus, ſolenne fuiſſe, ſuperius dictum eſt, & igni & aqua illam accipere. Communicatio ſacrorum, inquam, non quidem publicorum, ſed privatorum erat; quæ, ut ait Feſtus, pro ſingulis familiis gentibuſque fiebant. quæ jura (inquit Cicero, *lib.* 2. *de leg.*) pontificum auctoritatem conſecuta ſunt, ut ne morte patrisf. ſacrorum memoria occideret, & iis eſſent ea adjuncta, ad quos ejuſdem morte pecunia venerit. Itaque ait, non tantum heredes ſacris adſtringi, ſed & legatarios, qui tantundem caperent, quantum omnes heredes, aut iis deficientibus omnes quicunque ex bonis defuncti locupletiores erant. Juriſconſultos vero inveniſſe rationem, cur pecunia ſacrorum moleſtia liberaretur. Primo, ſi is, cui tantum legatum erat quantum uni ex heredibus, minus centum cepiſſet quam legatum erat. Secundo, ſi ſtipularetur is, cui teſtamento relictum erat, id ipſum quod relictum eſt; ut non ex teſtamento, ſed ex ſtipulatione deberetur. Et hunc modum putarem Ciceronem intellexiſſe *in Oratione pro Murana*; cum ait, juriſconſultorum ingenio ſenes ad coemtiones faciendas, interimendorum ſacrorum cauſa, repertos fuiſſe. Nam antiquiori juriſprudentia, cum teſtamen-

teſtamentum per æs & libram fiebat, is tantum heres erat, qui familiæ emtor adhibebatur, ut teſtatur Theophilus *Inſtit. de teſt.* Et dicebatur *heres teſtamenti per æs & libram* à Cicerone eodem loco, licet ſæpiſſime id fieret νόμου χάριν, vel dicis cauſa: cum plerumque nihil aut parum apud eum de bonis defuncti remaneret. ceteris enim quod relinquebatur, non inſtituendi, ſed aut dandi, aut legandi modo, relinquebatur. Ait enim Ulpianus, *titul.* 20. *reg.*, his teſtamentis duas res tantum agi, familiæ mancipationem, & nuncupationem. nuncupationem vero in hunc modum fieri: *Ita hæc, uti in his tabulis cerisve ſcripta ſunt, ita do, ita lego, ita teſtor: vos, Quirites, teſtimonium prebitote.* Itaque quod Plutarchus *de ſera numinis vindicta* ait: Ῥωμαῖοι, ὅταν ἀθήκας χράφωσιν, ἑτέρους μὲν ἀπολείπουσιν κληρονόμους, ἕτεροι δὲ πωλοῦσι τὰς οὐσίας· aut ex media juriſprudentia intelligendum eſt, quam explicat Theophilus, aut diverſa teſtamentorum genera notat: quandoque enim heredes inſtituebant, quandoque vero tantum familiæ emtores: aut etiam improprie κληρονόμους adpellavit, etiam eos, ad quos morte alicujus pecunia jure pervenerat, licet legata eſſet. Teſtator itaque, cum nollet, eum, ad quem ejus pecunia perveniebat, ſacris alligari; capularem ſenem, id eſt, inquit Servius *Æn.* 6.,

qui

qui capulo est vicinus, & proximus morti, hominem nihili, capite censum, nedum proletarium, sed nullius ob ætatem senilem spei, adhibebat familiæ emtorem, à quo is, cui relicta pecunia erat, post testatoris mortem stipularetur, ut hæc pecunia non ex testamento, sed ex stipulatione, deberetur. Nam, nec restituta hereditate jura sepulcrorum apud heredem remansisse, Paulus refert: *l. quia perinde, ad S.C. Tertull.* Sunt enim hæc jura in heredibus perpetua: adeo, ut, si ab eo bona tanquam indigno auferantur, tamen jura sepulcrorum retineret: *l. si quis fuit*, 33. *D. de relig.* excepto crimine perduellionis. *l.* 1. §. *interdum*, 3. *D. de suis & legit.* Et ita fiebat, ut, herede illo sene coemtionali mortuo, etiam sacra interirent. Qua de causa, qui vilissimæ conditionis erant, usurpata loquendi formula dicebantur *senes coemtionales*. Plaut. in Bacch.

Nunc Priamo nostro, si est quis emtor, coemtionalem senem
Vendam ego, venalem quem habeo. —

Et quia fortasse illi otiosi, & inertiæ dediti, solebant in illo adstare lapide, ubi res mancipi venire solebant, si forte quem invenirent, cui nomen suum adcommodarent; quasi in proverbium abiit, ut diceretur, *inter senes coemtionales mancipationem fieri.*

ut Curius ad Ciceronem: *Quod quidem si inter ſenes coemtionales venale proſcripſerit, egerit non multum.* Conſules etiam Scaptium plebeium, coemtionalem ſenem, ad contumeliæ notam, adpellaſſe, Livius, ut eſt nuper reſtitutus, indicat, *lib.* 3. licet & in prædictis locis, bona venia virorum doctorum dixerim, non male fortaſſis *ſenes comitiales* legeretur. quales ſunt illi de quibus ſic Plautus in Pœnulo:

Non potuiſti adducere homines magis ad hanc rem idoneos.
Nam iſtorum nullus nefaſtu'ſt. comitiales ſunt meri.
Ibi habitant, ibi eos conſpicias, quam prætorem, ſæpius.

Quemadmodum itaque, qui adoptabatur, particeps ſacrorum & bonorum fiebat; ſic etiam mulier, in familiam mariti transiens, fiebat ſacrorum particeps. Quod à Romulo inſtitutum fuiſſe, his verbis teſtatur Dionyſ. Hal. *lib.* 2: Γυναῖκα γαμετὴν καὶ νόμους ἱεροὺς συνελθοῦσαν ἀνδρὶ, κοινωνὸν αἱ πάντων εἶναι, καὶ ἡμάτων τε, καὶ ἱερῶν.

Caput XXVI.

De communione bonorum inter virum & uxorem.

Sed humani juris communicatio non facile perſpicua eſt: cum mulier ſeparata à marito bona haberet, quæ rei uxoriæ nomine continebantur: cum plerumque non omnia, ſed ea tantum, quæ doti dicta erant, ad maritum tranſirent; cetera eſſent παραφέρνα, quorum ne quidem adminiſtrationem haberet maritus: *l. hac lege, C. de pact. conv.* cum quæ debebantur mulieri, maritus exigere non poſſet: *l. cum marito*, 11. *C. de ſolut.* earum etiam rerum, quæ dotis nomine præſtabantur, maritus plenum dominium non haberet; ſed ea in bonis ejus tantum eſſe dicerentur, *l. quamvis, C. de jur. dot.* in dominio vero mulieris: *l. in reb. eod. titul.* cum etiam ſuos homines familiamque domeſticam haberet mulier. *l. ſed ſi vir*, 31. §. *ult. D. de don. int. vir. & ux.* Denique, quare mulier dicebat bona ſua in dotem viro, ſi ad eum ſolo matrimonii jure tranſirent? Solet ſic diſtingui. Aut coemtione, aut farre ducta eſt mulier: & tunc, teſte Cicerone, *in Topicis*, omnia quæ mulieris fuerant, viri fiebant dotis nomine. Adluditque ad hoc jus Lucianus, *in dialo-*

go, qui Ρ'ητόρων διδάσκαλ@ inſcribitur, his verbis: Περόσ ἦ σὺ, ὁ ἐρασ ης ὲ, ἐπιθυμεῶν δηλαδὴ ὅπ πάχισα γενέαλ ἐπὶ τ ἄνερας, ὡς γαμήζειας τε αὐτὼ, ἀνελθὼν, ἢ ἵνα ἢ πάνζα σὰ εῖνα ἔχεις, τὸν ωλεῖ τον, τὼ δόξαν, τὰς ἐπαίνας. νόμῳ γὸ ἅπανζα γίγνεται ζ γαμητήρ@. Macarius, homil. 32: Ὥωερ γὸ γυνὴ, μεμνῆς θυμῷ ἀνδρὶ, πάντα τὰ ὑω άρχονζα αὐτῆς ἢ ὅλλω τὼ ωρεῖπα ἀποφέρ. ὰ πολλῆς ἀγάπης εἰς τὰς χεῖρας ῥίψασα ζ ἀνδρὸς, ἢ τ το λέγ, Ἐμὸν ὅδὲν ἔχω, τὰ ἐμὰ ὑω άρχονζα σά ἐσι, ἢ ἡ ωρὶξ σή ἐσι, ἢ ἡ ἐμὴ ψυχὴ, ἢ τὸ σῶμα τὸ ἐμὸν, σόν ἐσιν· ὅ τω &c. Cic. lib. 1. Offic. *Prima ſocietas in ipſo conjugio eſt: proxima in liberis: deinde una domus, communia omnia.* Aut erat uſu tantum ducta: & tunc eorum fiebat tantum dominus bonitarius maritus, quæ doti dicta erant; ceterorum minime: nec rerum quidem uxoris uſum habebat, niſi promiſcuus eſſet uſus, veluti habitationis cauſa: *l. ſi mulieri, D. quemadmod. uſusfruct. amitt.* ne ei carendum matrimonio aliter foret: *l. 4. D. de uſu & habit. l. ſed neque, D. eod. tit.* ut & ceterarum rerum, quarum uſus promiſcuus eſſe debet. *l. ceterarum, D. eod. tit.* Columell. *lib.* 12. Nihil conſpiciebatur in domo dividuum, nihil quod aut maritus aut femina proprium eſſe diceret; ſed in commune conſecrabatur ab utroque, ut cum forenſibus negotiis matronalis

nalis ſedulitas induſtriæ rationem parem faceret. At ſi non eſſet promiſcuus uſus, nulla fit communicatio marito. *l. Lucius Titius*, §. *filiam*, *D. ad Senat. Trebell.* Materfamilias itaque ſola, non etiam uxor ſimplex, erat humani juris particeps. Sane enim huic legi, quæ à Romulo lata eſt de hujuſmodi ſocietate, additum eſt, cum fuit in duodecim tabulas relata, ſi in manum viri conveniſſet, ut refert Dionyſ. Halicarn. *lib.* 2. At, num ea ſocietas leonina dicetur, quæ maritum, coemtione facta, non etiam mulierem, dominam facit? Ego vero, etiam mulierem dominam bonorum mariti fuiſſe, dico. Ait enim Macrobius, *lib.* 1. *Saturn. cap.* 15. *ex Verrio Flacco*, poſtera die nuptiarum mulierem dominium rerum mariti incipere adipiſci. Et exiſtimavit Plutarchus, *libro de præceptis connubialibus*, ideo donationes inter virum & uxorem prohibitas fuiſſe à Romanis, quod omnia communia judicarent: ob eamque cauſam anulos & claves domus ab initio tradi, ex ſupradictis notum eſt. Sed in eo hæc erat differentia, quod maritus, tanquam pater, adminiſtrationem habebat: mulier vero, quæ loco filiæ erat, non niſi κατὰ ἐλπίδα dominium adipiſcebatur, ut poſt mortem viri in ejus familia jus bonorum haberet, & in ſui heredis locum veniret. ut aſſerit Agellius

lib. 18. *cap.* 6. Quod Paulus, *in l.* 1. *D. rer. amotar.*, sic notat : Quia societas vitæ quodammodo dominam eam faceret. ideo furtum tantum facere, sicuti filia patri faciat. quia, inquit Caius, *lib.* 3. *Inst.*, marito filiæ, filio vero sororis loco erat. & est illis in consanguineorum numero. adgnascitur enim heres suus, in manum conveniendo, ut ait Ulp. *tit.* 22. *&* 23. *reg.* ita ut in illis evidentius appareat continuatio dominii. *l. in suis, D. de lib. & post.* Et id eleganter ex Romulo retulit Dion. Hal. Σωφρονοῦσα μὲν γὰρ, καὶ πάντα τῷ γεγαμηκότι πειθομένη γυνὴ, κυρία ἦν τὸν αὐτὸν τρόπον ἴσως, ὅνπερ καὶ ὁ ἀνὴρ, καὶ τελευτήσαντος μὲν ἀνδρὸς κληρονόμος ἐγίνετο τῶν χρημάτων, ὡς θυγάτηρ πατρὸς, εἰ ἄπαις τε καὶ ἄνευ μηδενὸς ἀδελφοῦ ἀποθάνοι, πάντων ὅσα κύρια τῶν ἀπολειφθέντων. εἰ δὲ γε- νεὰν ἔχοι, τοῖς παισὶν ἰσόμοιρος γινομένη. Sic è contrario, si prior decederet mulier, habebat maritus, tanquam pater, jus successionis. quemadmodum innuit Cicero *pro Flacco*: argumento sumto à contrario sensu: cum ait, jure Flaccum hereditatem Valeriæ petere, quamvis in manum Sextilii conveniisset; quia ea conventio, & dotis dictio sine ejus, qui tutor erat, auctoritate facta erat. Itaque non est Boethius reprehendendus, cum asserit, uxore, quæ in manum viri convenerat, defuncta, bona ad virum pertinere.

Verum

Verum eſt tamen, ſucceſſu temporis patres ſibi caviſſe, ac filias ſpondendo contraxiſſe fiduciam, §. *ult. Inſt. de leg. adgn. ſucceſſ.* ut, ſi ſine liberis eæ morerentur, ad eos rediret hereditas, *l.* 3. *C. Th. de leg. hered.* aliter enim maritus erat heres, ut notat Servius, *lib.* 7. *Æneid.* ad hæc verba:

— *Externuſque in regnum quæritur heres.*

De Iure, inquit, *traxit, ut non generum, ſed heredem diceret. nam per coemtionem facto matrimonio ſibi invicem ſuccedebant.* Sed non puto, *ex l. nulla, D. de ſuis & legit.* induci poſſe, poſteriori juriſprudentia hoc jus ſucceſſionis mutatum fuiſſe: imo, ſucceſſiones, quæ ex S.C. Tertulliano & Orficiano deferebantur, ad eas tantum, quæ uſu ductæ erant, pertinuiſſe, exiſtimo.

Caput XXVII.

Qualis eſſet communio cum uxore uſu ducta.

Quodsi uſu tantum eſſet ducta uxor; nullam fuiſſe inter eos ſocietatem, veriſimile eſt; niſi in quantum inter eos conventum erat. Itaque mulier doti dicebat, vel omnia ſua bona, vel eorum tantum partem, prout libitum erat: *l. nulla lege, C. de jur. dot. l. mulier bona, D. eod. tit.* Dotis vero hæc erat natura, qualis pacto conventa eſſet. Pacta enim dotalia, quæ dotis con-

ditionem deteriorem non reddunt, ſervanda conſtituerunt. *l.* 1. *D. de pact. dot.* Quodſi pacto nihil conventum fuiſſet, jura dotium conſtituta erant. Quæ, ut in pauca conferam, talia erant, ut nimirum dos proprium patrimonium ſit uxoris, *l.* 3. §. *ego etiam, D. de minorib.* & ea dote maritus utatur ad onera matrimonii ſuſtinenda. Aliter enim, dote non præſtita, inter virum & uxorem de alimentis pactio fiebat. *l. fin. D. de in rem verſ. l. creditor*, §. *ſi inter*, *D. mandat.* idque conſtante matrimonio. Quamvis enim dotis cauſa perpetua eſſet, & cum voto ejus, qui dabat, ita contraheretur, ut ſemper apud maritum eſſet; *l.* 1. *D. de jur. dot.* tamen, ut ait Cic. *in Topicis*, maritus ea bona dotis nomine, id eſt, in bonis ſuis ea tantum habebat. *l. quamvis, D. de jur. dot.* Nam licet dos à veteribus inter donationum ſpecies adnumeretur; *l. ult. C. de donat.* tamen verius eſt, eſſe contractum. *l. contractus*, 23. *D. de regul. jur.* Et ideo ſervum dotalem, heredem inſtitutum, poteſt quidem maritus jubere, ut is vel adeat vel repudiet, modo nihil deminuat ex dote: eaque in re conſultum erat, uxorem coram teſtibus interrogari. *l. ſervus dotalis*, 58. *D. ſol. matrim.* Soluto itaque matrimonio intererat, an mulier eſſet ſui juris, an in patris poteſtate, ſi divortio ſolveretur matrimonium:

trimonium: quia mulier, nisi causam divortio præbuisset, ea, quæ sui juris erat, repetebat dotem, sive adventitia esset dos, sive profectitia. Ulp. *tit. 6. regul. l. qui hominem*, 34. §. *si gener*, *D. de solut. l. si alienam*, *C. solut. matrim.* Si vero in patris esset potestate, pater agere poterat, adjuncta tamen filiæ persona. *l.* 2. 3. *&* 4. *D. sol. matr.* Idemque jus erat, si morte mariti dissolveretur matrimonium. *l. ult. C. de jur. dot. l. ult. C. solut. matr.* Si vero uxor prior mortua fuisset, nihil intererat, an filiaf. uxor, an sui juris decessisset. Quamvis aliter posset colligi ex rescripto Alexandri Imp. *in l.* 4. *C. solut. matr.* Sed differentia erat, an esset dos profectitia, an adventitia. Profectitia ad patrem redibat, vel ad ejus heredes: *l.* 4. *C. de falsa. caus. adject.* quintis in singulos filios in infinitum penes virum relictis. Ulp. *tit.* 6. Posteriori tamen jure aliter liberis prospectum fuisse, constat *ex l. unica*, §. *accedit*, *C. de rei uxor. act.* Dos vero adventitia semper, inquit *prædicto titul.* Ulp., apud maritum remanebat; nisi is, qui eam dederat, stipulatus fuisset eam sibi reddi. *l. mortis causa*, 31. §. 2. *vers. sed & dos*, *D. de donat. mort. caus.* Liberis tamen deinde etiam aliter prospectum est. *C. de bon. quæ lib.*

CAPUT XXVIII.

Quis uxoris usurariæ tutor esset.

SED cum mulier sui juris in perpetua tutela esset, dubitatur quis ei mulieri usu ductæ tutor esset, an extraneus, an maritus. Loquimur de cessico tutore. Nam de pupillæ tutore, quæ nubere non poterat, nulla potest esse dubitatio. Et, cum ille cessicus tutor idem ac curator esset, maritum non fuisse, verisimile est, cum curator esse non posset. *l. 2. C. qui dari tutor. l. virum, D. de curat. fur. l. 4. C. de excusat. tut.* Sed & nec mariti pater, ne labem pudoris contrahat. *l. licet, C. de excus. tut.* Nam & Ulp. *tit. 22. regul.* ait, ex l. Julia de maritandis ordinibus, ei mulieri, quam ex hac lege nubere oportet, tutorem dari, si legitimum tutorem non habeat, ad dotem dandam, dicendam, promittendamve. Sed & non tantum ad dotem dandam nupturæ, verum etiam ei quoque quæ jam nupta est: sed & ad dotem augendam datur, & mutandæ quoque dotis gratia curator dari potest. *l. non tantum, D. de tut. & curat. dat.* Et hic dicebatur specialis curator. *l. mulier, C. de jur. dot. ut & in l. sive generali, D. de jur. dot.* Imo & furiosæ uxori non maritus, sed alter datur. *l. si cum dotem, §. sin autem, D. sol. matrim.*

l. 2. C.

l.2. C. ſi ſæp. in integr. Et tutor ejus, quæ nupſit, admonetur, ut ei curatorem petat, quo maturius poſſit rationem reddere adminiſtrationis. *l. admone, 7. C. qui pet. tut. vel curat.* At poſſet objici his verbis Ulpiani, tutorem dari ad dotis conſtitutionem, ne maritus in rem ſuam auctoritatem præberet; non etiam ad cetera bona adminiſtranda, cum nupſerit. quo fit, ut, cum mulier ſui juris ſine tutore eſſe non poſſet, maritus videatur ei tutoris, vel, poſterioribus temporibus, curatoris loco fuiſſe: cum etiam Juſt. *in §. pen. Inſt. de excuſat. tut.* dicat, *maritum, uxori ſuæ curatorem datum, excuſare ſe poſſe, licet ſe immiſceat.* Ego puto, tutorem quidem ceſſicum, ſive curatorem, maritum non fuiſſe; nihilominus tamen res uxoris adminiſtraſſe, niſi aliter conveniſſet. Quod ſignificare mihi videntur hæc verba Juſtiniani, *licet ſe immiſceat*: cum præſertim, qui tutor erat ceſſicus, ſive curator, non negotia gerere, ſed auctoritatem tantum mulieri jam adultæ præſtare debeat. Cic. in Top. *Non, quemadmodum, quod mulieri debeas, recte ipſi mulieri ſine tutore auctore ſolvas; ita, quod aut pupillæ aut pupillo debeas; recte poſſis eodem modo ſolvere.* Quibus verbis conſtat, longe alia ratione mulierem eſſe in tutoris poteſtate quam pupillum, ut ait Ulp. tit. 11. *Hi*, inquit

Cicero, pro Mur., *invenerunt genera tutorum, qui potestate mulierum continerentur.* Et sane, nisi in rebus, quæ περέφερνα dicebantur, tutoris nulla poterat esse auctoritas. At hæc vel viro sic dabantur, ut ejus essent quamdiu matrimonium duraret; vel horum custodia per libellum ei tradebatur, ut uxor ad sustentationem sui, quasique peculium, eo uteretur. *l. si ego Seia, D. de jur. dot. l. 3. C. ne ux. pro mar.* Quo casu etsi prohibente muliere nullum sit jus marito in his se immiscere: *l. hac lege, C. de pact. conv.* tamen verisimile est, non prohibente administrasse; *l. ult. C. de pact. conv. l. marius, C. de procurat. l. pen. D. ad l. Falcid.* aut saltem auctoritatem administranti mulieri præstitisse. Itaque videmus, apud maritum duplicis juris peculium plerumque fuisse. Utputa, si servus est dotalis, potest habere peculium, quod ad virum respicit, & quod ad mulierem. *l. hinc quæritur, §. 1. D. de pecul.* Et hoc eo cautius observandum erat, ne, si quid ad eam ex hujusmodi contractibus inscio marito perveniisset, turpis quæstus æstimaretur. *l. Quintus Mutius, D. de donat. int. vir. & ux.* Quod est elegan-
ter à Plauto dictum *in Casina*, his verbis:

— Nam peculi probam nihil habere addecet
Clam viro: & quod habet partum, ei haud
commodi est,

Quin

Quin viro aut ſubtrahat, aut ſtupro invenerit.

Et eſt quod Dion. Hal. *in proœmio* περὶ τῶν ἀρχαίων ῥητόρων μιμήσεως ait. Ἐν οἰκείαις μὲν ἐλευθέραν καὶ σώφρονα γαμετὴν κέκτηται, μηδενὸς ἧσσον τῆς αὐτῆς κυρία. ἑτέραν δέ τις ἄφρων, ἐπ' ὀλέθρῳ τῷ βίου παρῆσται, παίσης ἀξιοῖ τῆς οἰκίας ἄρχειν. Et tamen apertiſſimi juris eſt, uxorem, inſcio marito, & donare & hypothecam conſtituere potuiſſe. *l. velles, C. de revoc. don. l. ſi uxor, C. de pign.*

Caput XXIX.

De ſacrificiis nuptialibus.

NE quid vero eorum, quæ ad ritus nuptiales pertinent, prætermiſiſſe conqueri quis poſſit, pauca hic addere operæpretium viſum eſt, quæ ad jus noſtrum minus pertinere videntur: quæ ſi etiam eruditioni, judicio, ac doctrinæ B. Briſſonii omnes accepta referant, non invidebo. Nam & in iſtis, ut in ceteris, ſi quæ ſunt à nobis fortaſſis ſuperaddita, manum lucemque præbuiſſe profiteor. Sponſa igitur domum viri ingreſſa, tota dies nuptiarum in ſacrificiis, conviviis & ſaltationibus tranſigebatur. Quapropter ea die vir, & ea quæ nubebat, in jus vocari non poterat. *l. 2. D. de in jus voc.* Debebant enim hac die litibus ac

moleſtiis ſuperſedere. Sacrificia autem ſilentio prætermittenda non ſunt. Haud enim aliter fauſtum felixque matrimonium putabant Romani, niſi more ſolenni antea libaſſent. Sed, quia multa ſunt & varia, præcipua ſi enumeraverimus, huic nos operi ſatisfeciſſe, exiſtimabimus. Primum itaque, teſte Varr. *lib.* 2. *De re ruſtica*, porca immolabatur, quaſi eo ſacrificio, diis teſtibus, fedus matrimonii bene ceſſurum, & inviolabile futurum, promitterent conjuges. *Nam & mulieres*, inquit Varro, *maxime nutrices, naturam, qua femina ſunt, in virginibus adpellant porcam, & Graci* χοῖρον *ſignificantes, eſſe dignam nuptiarum.* Ariſtoph. itaque *in Acharn.* ſic ludit in ambiguo χοίρᾳ vocabulo: cum, pro porcis juvencis Magareus ſublatis puellæ veſtibus, oſtenſo pudendo, ait, ἢ δ' χοῖρος ἔσθ' ἅδε, Ἑλλάνων νόμῳ; Nam porca δέλφαξ dicebatur, inquit Athen. *lib.* 9: Αἱ ϑήλειαι ὅταν λεχθεῖεν ὦσι, αἱ δελφύας ἔχουσαι· ὅταν δὲ αἱ μήτρας καλῶνται. καὶ οἱ ἀδελφοὶ ἔνθεν ἐτυμολογοῦνται. Inde etiam Heſych. δελφάκιον pudendum muliebre eſſe ait. Quod, cum nondum pene adolevit, ſed eſt adhuc tenerum & delicatum, eſt tamen ὡραῖον γάμου, χοῖρον adpellant; ſignificantes, puellas dignas eſſe nuptiarum, licet nondum ſint δελφύας ἤγουν μήτρας ἔχουσαι, μηδὲ συμπεπηγυῖαι τοῖς σώμασι. Quod Euſtath.

ſtath. *in Hom.* Οδ. ξ. latius explicat. Ideo autem porca immolabatur, quod nullum ſit animal adeo libidini deditum. Euſtath. *in Hom. Iliad.* τ. Καὶ γὰρ ὁ χοῖρος καπωφερὴς εἰς ἀφροδίσια. ὅθεν καὶ κάπρωνα, γυνὴ ἡ ἐργῶσα πολὺς μίξεις. καὶ καπρᾶν, κυεῖσθαι, τὸ ὀρέγεσθαι κάπρου πλὴν ὑός. Sic *in Il.* λ. ait: Οὕθεν, ἡ γυνὴ καπρῶσα, ἡ αἰσελγὴς, δηλοῦσιν οἱ παλαιοί. διὸ καὶ τῇ Ἀφροδίτῃ ὗς ἐθύετο, καὶ μάλιστα παρ' Ἀργείοις. παρ' οἷς καὶ ἑορτὴ Ἀφροδίτης, τὰ ὑσητήρια. Ea item ratione fieri id ſacrificium Varro paulo ante declarat: *Ab ſuillo*, inquit, *pecoris genere immolandi initium primum ſumtum videtur: quod initiis Cereris porci immolarentur: & quod initiis pacis, fedus cum feritur, pecus occiditur: & quod nuptiarum initio antiqui reges ac ſublimes viri in Hetruria, in conjunctione nuptiali, nova nupta & novus maritus, primum porcam immolabant: priſci quoque Latini, & etiam Graci. In Italia idem factitatum videtur.* &c. His ego lubens addidero, fortaſſe porcam immolari initio nuptiarum, ut in ſuſcipiendis liberis adeo fecunda eſſet nupta, ut ſcropha quæ porcos triginta pepererat. Æneid. 8:

— *Ingens inventa ſub ilicibus ſus,*
Triginta capitum fetus enixa. —

Hinc enim *grundiles lares* dictos eſſe teſtantur, apud Diomedem Claudius *Annal. lib.* 15. & Caſſius *in ſecundo hiſtoriarum.* Junoni

noni etiam ſacrificabatur, cum cingulo nova nupta præcingebatur. Unde Juno dicta *Cinxia*. Virgil. lib. 4. Æneid.

Iunoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ.

Et Statius:

— *Dat Iuno verenda Vincula.* —

Dianæ etiam ſacrificaſſe virgines, eique zonam dedicaſſe, refert Suidas: quod primum parturientibus adtribuit Græcus commentarius, *lib.* 1. *Argon.* Deo item Eutino, aut, ſi mavis, Mutino, ſacrificabant. de quo facit mentionem Lactant. *lib.* 1. *cap.* 20. ferturque, eam, quæ nuptura erat, in ejus ſinu ſedere debuiſſe.

CAPUT XXX.

De ſacris nyctelius.

ERANT etiam antiquitus ſacra nyctelia, quæ nocte celebrabantur. Quæ tamen pop. Romanus, inquit Serv. *lib.* 4. *Æneid.*, excluſit, cauſa turpitudinis. Ea fortaſſis erant quæ ab Auguſtino enumerantur, *lib.* 6. *de Civ. Dei, cap.* 9. Quorum quatuor extra cubiculum, omnibus adſtantibus, peragi ſolebant. ſc. deo Jugatino; ut mas & femina conjungerentur: Domiduco; ut ſponſa domum ſine læſione duceretur: Domicio; ut ſponſus in domo libenter eſſet: deæ Maturnæ; ut cum viro libenter ſponſa maneret.

neret. In cubiculo autem quinque dii ſecreto, ne paranymphis quidem præſentibus, colebantur. Una erat Virginenſis dea; ut libenter ſupponeretur. tum Prema dea; ut ſubacta ſe non male moveret, & recte comprimeretur. tertia dea Pertunda; ut ſponſus concuteret, & penetraret. quarta dea Venus; ut utrique creandæ prolis fervor adeſſet. poſtremus erat Priapus; ut viri vena virilius inſurgeret: ſupra cujus ingens ſimulacrum, in ſublimi loco poſitum, ſponſa, priuſquam cubitum iret, ſedere jubebatur; ut illius virtutem jam tum in ſe reciperet. Et hi, *jugales dii* dicebantur. Symmach. epiſt. 24. lib. 3: *Cum tibi comperi jugales deos matremfam. copulaſſe.* Ergo iis & aliis modis dies nuptiarum tranſigebatur, adhibitis etiam ſaltationibus, compotationibus, & ceteris, quæ ex more, inquit Apul. *Apol.* 2., maritis obeunda erant. Sponſus enim, cum quibuſdam amicis (quos Fulgentius *de priſc. ſerm.* ait *ſimplones* vel *ſimpulones* adpellatos fuiſſe, à *ſimpulo*, id eſt, vaſe quo vinum porrigebatur, quemadmodum retulit Feſtus) per convivia ambulabant, ut convivis vinum porrigerent, venientes ſalutarent, ad cœnam invitarent, adventum gratularentur. ſane enim, licet multæ leges ſumtuariæ Romæ latæ fuerint, conſtat tamen ex Agellio, aliquid ultro his diebus conceſſum fuiſſe, *lib.* 2. *cap.* 24.

C A-

CAPUT XXXI.

De deductione in cubiculum mariti.

CUM igitur nox adveniſſet, in cubiculum mariti deducebatur; quemadmodum ex Varr. refert Servius *in* 8. *ecl. Virg.* Et hujus rei fit mentio *in l. cui fuerit*, *D. de cond. & dem.* Et hoc patrimorum munus fuiſſe, declarat Plutarch. *in Romulo.* ubi maritus, ejus comam haſtæ cuſpide diſtinguebat. Cujus rei cauſas varias, idem auctor, *in probl.*, & Feſt., referunt. Unde Ovid. in Faſt.

Comat virgineas haſta recurva comas.

Tum prætextati patrimi & matrimi eam dimittebant, & pronubæ in lecto collocabant. quod notat ſic Catullus:

Mitte brachiolum teres,
Pratextate, puellulæ.
Iam cubile adeat viri.
Vos unis ſenibus bonæ
Cognitæ bene feminæ
Collocate puellulam.

Lectus autem roſis contextus erat, *genialiſque* adpellabatur, *à generandis liberis*, inquit Servius, *lib. 6. Æneid.* & nuptiis ſternebatur in honorem Genii, ut eſt apud Feſtum, & Arnob. *lib. 4. contra gentes.* Ejuſque

que meminit Cicer. *pro Cluentio*, & Juven. *Sat.* 10. Cum vero nova nupta in lecto collocata esset, ac ad eam maritus accessisset; ut clamor, qui nonnunquam à virginibus in primo conflictu edi solet, exaudiri non posset, epithalamia à suis sociis virginibus canebantur. Quorum quidem duo erant genera: alterum enim accinere solebant vespere; quod κατακοιμητικὸν Græci vocabant: alterum vero sub aurora; quod ideo ἐγερτικὸν dicebatur, ut explicat scholiastes Theocr. *eid.* 3. In eumque usum etiam nuces pueris spargi solitum fuisse, testatur Festus; ut illis intenti tumultu ac strepitu omnia implerent. Varro tamen, *lib.* 1. *de ling. Lat.*, ait, spargendarum nucum hanc fuisse rationem, ut Jovis omine matrimonium celebraretur, ut nova nupta matrona sit sicut Juno. (quæ nunc sorore dulcior est, inquit Capella *lib.* 9.) nam nuces sunt in tutela Jovis. Unde *juglandes* vocantur, quasi *Iovis glandes*, inquit Serv. *ecl.* 8. Sed hæc mihi videtur probabilior ratio, quod videbatur maritus puerilia omnia relinquere. Virg. ecl. 8:

Sparge, marite, nuces.—

Et Catullus:

Da nuces pueris, iners
Concubine: satis diu
Lusisti nucibus: lubet

Iam

Iam ſervire Thalaſſio.

Concubine, nuces dato.

Hæc ſunt quæ putavi non omittenda in deſcribendis nuptiarum ritibus. Si quis plura ex Auſonii Feſcenninis verſibus, aut aliorum poetarum jocis, adjecerit, non invidebo. Interim liceat mihi cum Statio dicere:

Hic fuit ille dies: noctem canat ipſe maritus
Quantum noſſe licet. —

FINIS.

FRANCISCUS HOTMANUS, J.C.,

DE

SPONSALIBUS,

DE

VETERI RITU NUPTIARUM

ET

JURE MATRIMONIORUM,

ITEM

DE SPURIIS & LEGITIMATIONE.

DE SPONSALIBUS

ET

NUPTIARUM CELEBRATIONE

FRANCISCUS HOTMANUS, J.C.

DE

SPONSALIBUS.

CAPUT I.

Notatio nominis, & definitio ſponſaliorum, proponitur & explicatur.

SPONSALIA à *ſpondendo* dicta eſſe, video inter omnes convenire: propterea quod veteribus plerumque moris fuit, ſtipulari & ſpondere ſibi uxores futuras. Unde *ſponſorum* & *ſponſarum* nomina: ut ait *l.* 1. *l.* 2. *l.* 3. *D. h. t.* Quod idem Ser. Sulpicius tradit apud Agell. *lib.* 4. *cap.* 4. Ejuſque conſuetudinis exſtant exempla *in l. ſi ſtipuler*, 35. §. 1. *D. de verb. obl.* & apud Plautum in Pœnulo:

A. *Audin' tu patrue? dico, ne dictum neges,*
Tuam mihi majorem filiam deſpondeas.
P. *Pactam rem habeto.* A. *Spondeſne igitur?*
P. *Spondeo.*

A. Mi

A. *Mi patrue, salve. nam nunc es plane meus.*

Item in Trinummo:

Lys. *Sponden' ergo tuam gnatam uxorem mihi?*

Char. *Spondeo, & mille auri Philippûm doris.*

Lys. *Istac lege filiam tuam sponden' mihi uxorem dari?*

Char. *Spondeo.* Lys. *Et ego spondeo idem hoc.*

Dixi autem, *plerumque* interponi stipulationes. Nam interdum, etiam antiquissimis temporibus, sola pactione, & consensu nudo, ea conventio fiebat. Unde *pactæ* puellæ dicebantur. ut *l.* 2. *l.* 4. *C. h. t. l.* 4. *l.* 5. *l. ult. D. eod. l.* 7. *C. de donat. ant. nupt.* Tametsi nulla stipulatio sine præcedente pacto contrahatur. *l.* 1. §. *pen. D. de pact.* Qua de re posterius, ubi de sponsaliorum forma disseremus, planius exponetur. Definiuntur autem à Modestino Sponsalia hoc modo: *Mentio & repromissio futurarum nuptiarum. l.* 1 *D. eod.* Ubi jampridem docuimus, Græcum hominem *mentionem* dixisse, pro eo quod Græci dicunt μνησιὼ vel μνησείαν. Quod cum Orientales vel non viderent, vel fortasse ne idem per idem explicarent, locum illum sic converterunt: Μνησεία ἐστὶ μνήμη τῆς ἐπαγγελίας τῶν μελλόντων γάμων. Quod adversatur constitutioni Justiniani, qua sanxit,

xit, ne mentio, id est, commemoratio nuptiarum, sine matrimonio subsecuto ullius momenti habeatur. *l. sancimus*, 24. *C. de nupt.* non magis scilicet, quam mentio & collocutio de vendendo, vel locando, vel societate contrahenda. Quare, cum istarum collocutionum & (si loqui sic volumus) mentionum jus nullum sit; absurdum esset, quidquam illis obligationis tribuere. Definiri etiam possunt, *Mutua repromissio*: item, *Pactio vel conventio futurarum nuptiarum.* Ulpianus *spem matrimonii* adpellat, *in l. si uxor*, 13. §. 1. *D. ad leg. Iul. de adult. l. 6. D. h. tit.* Vetustissimo jure definiri poterunt, *contractus.* Atque ita nominatim adpellantur à Ser. Sulpicio, eo, quem diximus, loco: propterea quod civilis obligatio ex sponsione mutua contrahebatur: ex eaque actio ex sponsu antiqua lege (opinor 12 tabul.) comparata erat. Posteriore jure definiri contractus non possunt, quoniam efficax nulla ex iis contrahitur obligatio; tantaque perditis reip. temporibus repudiorum libertas inducta est, ut ne ex subjecta quidem pœnæ stipulatione actio concederetur: quemadmodum posterius suo loco demonstrabimus. Festus *conventam conditionem* adpellat. *Cum primus sermo*, inquit, *de nuptiis & earum conditione habetur.* Quod de mentione intelligi non potest, cujus nul-

lum, ut dixi, jus fuit: sed potius de pacto sponsaliorum. Nam in sponsalibus nuptiarum pactiones fiebant, & de dote, donationibus, & promissionibus, & conditionibus quibusdam conveniebat. Qua de causa passim *conditiones* vocantur. velut *in l. capite*, 19. *D. de rit. nupt. l. ult. D. h. tit. l.* 3. *D. de proxenet. l.* 2. *D. de repud.* Arnob. adverſ. gent. *Vxores dii habent, atque in conjugalia federa conditionibus veniunt ante quæsitis.* Ea denique de causa sponsaliorum nomine interdum donationes propter nuptias significantur. ut *in l.* 2. *C. de secund. nupt.* interdum arrhæ sponsalitiæ. de quibus posterius suo loco differetur. ut *in Rub. C. si rect. provinc. vel ad eum pertin. sponsalia dederint.* itemque *in l.* 6. *C. Th. dc sponsal. l.* 1. *C. Th. si nupt. ex rescript. pet.*

CAPUT II.

De personis quæ sponsalia contrahere possunt.

PORRO, cum unica sit sponsaliorum species, atque idcirco eorum nulla divisio sit; nunc jam ad partitionem, instituto nostro accedemus. Quam tripertitam esse oportet: ut primo loco de personis, inter quas sponsalia jure contrahuntur; secundo de forma sponsaliorum; ad extremum de eorundem

eorundem jure, disseramus. De personis regula hæc traditur: ut, cum qua nuptiæ contrahi non possunt, plerumque nec eam desponderi liceat. *l. si quis tutor*, 60. §. 5. *D. de rit. nupt.* Cur autem *plerumque* dictum sit, sub finem hujus capitis exponemus. Nam illi regulæ hæc subjicienda est: Cum sponsalia consensu constent, removeri ab illis eas personas, quarum consensus, voluntas, intellectus nullus est. Quo in numero primi referuntur *infantes*, hoc est, septem annis minores; qui, quod agitur, non intelligunt. *l. in sponsal.* 14. *D. h. tit.* Quod etiam Leo Philosophus confirmavit, *Novell.* 109. Post eam ætatem recte sponsalia, parentibus auctoribus, contrahuntur: ita tamen ut puberum factorum voluntas in contrahendis nuptiis accedat. *l.* 2. *D. de rit. nupt. l.* 134. *D. de V. O.* Ex quo intelligitur, non servatum jus ab Augusto Imperat. institutum. Nam, cum lege Papia Popæa maritis præmia constituta essent, nonnulli (ut Dio, *lib.* 54, scribit) infantes sibi puellas despondebant, ut illius legis præmiis fruerentur. Itaque Augustus, cum, immaturitate sponsarum, & matrimoniorum crebra mutatione, vim legis eludi sentiret; tempus sponsas habendi coarctavit. Vetuit enim, ne quam habere sponsam liceret, nisi quam biennio post uxorem habere per ætatem

liceret ; ut Sueton. teſtatur : hoc eſt, non niſi jam annos 10 natam. Quam Auguſti legem etiam Zonaras commemorat. Ad eundem numerum referendi quoque ſunt *furioſi* & mente capti ; qui plerumque, propter eandem conſenſus & voluntatis penuriam, infantibus comparantur. *l.* 1. §. *ult. D. de obl. & act. l. furor*, 8. *D. h. tit.* ubi, cum Paulus ait, furorem poſt ſponſalia ſupervenientem non infirmare ſponſalia, ſignificare videtur, jus ſponſaliorum durare : quaſi pœna, repudiis ſine cauſa factis impoſita, ſponſalia propter furoris cauſam repudianti infligatur : dum tamen dilucida intervalla furor habeat : quo tempore contrahi etiam ſponſalia atque alia negotia licere, ſatis conſtat *ex l.* 2. *C. de contr. emt.* Nunc de *liberis*, qui in poteſtate parentum ſunt, videamus. Ergo filii filiæque fa., neque ſine ſuo, neque ſine parentum conſenſu, obligari ſponſalibus poſſunt. De ſuo, hæc ratio eſt, quoniam etſi antiquo jure vendi emanciparique patris arbitratu poterant ; tamen, quoniam jus matrimoniorum non mere civile, ſed magna ex parte pontificium erat, & ſanctum habebatur (ut ſuo loco docebimus), propter ſanctitatem matrimonii, etiam filiorum filiarumque fa. conſenſus requiſitus eſt : adeo ut conſponſiones parentum ſine liberorum adſtipulatione, quamvis adjecta pœna fuiſſet,

fuiſſet, nullius momenti haberentur. *l. Titia*, 134. *D. de verb. obl. l. ſponſalia*, 11. *& l. filiof.* 13. *D. h. t. l.* 2. *D. de rit. nupt.* quamquam non tam requiritur ut conſentiant, quam ne juſta ex cauſa contradicant; veluti ſi turpem aut alioqui indignam adfinem pater elegerit. *l. ſed quæ*, 12. *D. h. tit.* qua de cauſa etiam liberorum taciturnitas hoc caſu pro conſenſu numeratur: *d. l. ſed quæ.* contra quam in procuratore conſtituendo. quod ſumme notandum eſt. *l. filius*, 8. §. *invitus*, *D. de procur.* De parentibus, civilis, civilis, inquam, non naturalis, hæc cauſa eſt; ne cui invito ſuus heres adgnaſcatur. *l. ſi ut proponis*, 5. *C. de nupt.* pontificalis, illa; ne ſacrorum ſocia patrifa. invito adſciſceretur. Nam propria & privata cujuſque familiæ ſacra fuerunt: uxor autem in ſacrorum viri communionem admittebatur. Mixta igitur hæc cauſa fuit, ne qua patrefa. invito in divini atque humani juris communionem admitteretur. *arg. l.* 1. *D. de rit. nupt.* Parentis igitur, cujus in poteſtate is, eave, cujus de ſponſalibus agitur, conſenſus requiritur, vel potius adprobatio, ſive expreſſa, ſive tacita. Nam & ratihabitio, & taciturnitas parentis, pro conſenſu habetur. *l.* 7. *in fin. D. h. t.* Atque hæc quidem de liberis, qui ſub parentum manu ac poteſtate ſunt. Nam emancipati, jure civili parentum auctoritatem

non desiderant. *l. in potestate*, 10. *D. h. t.* Qua de causa, ne matris quidem, aut ejus parentis, cujus in potestate non sunt, auctoritatem filii filiæve exspectant. *l.* 2. *l.* 25. *D. de rit. nupt.* Quamquam honestas, quæ in conciliandis nuptiis maxime spectatur, matris & propinquorum arbitrium desiderat. Quodsi inter illos non conveniat, præsidis arbitrium desideratur. *l.* 1. *C. de nupt.* Deinceps de iis, qui sub tutela sunt, videamus. De *pupillis* igitur hoc jus est, ut eorum consensus omnino requiratur, neque à tutoribus, nisi consentientes, obligari promissione nuptiarum futurarum possint: *l.* 6. *in fin. D. h. tit.* non magis quam ipsi sese inter se sine tutorum auctoritate obligare. ut paulo post intelligetur. Jam vero, tutorum auctoritatem in pupillorum sponsalibus requiri, vel hinc existimari potest, quod pupillus sine tutore auctore non modo civiliter obligari non potest, sed ne naturaliter quidem: *l. pupillus*, 59. *D. de oblig. & act. l. quod pupillus*, 41. *D. de condict. indeb.* præsertim si locupletior ea obligatione non fiat. *l. naturaliter*, 13. §. *ultim. & l. seq. D. d. tit.* Cum autem tutor, aut curator, auctor in rem suam esse non possit; sequitur, ut neque tutori neque curatori liceat sponsalia cum ea vel sibi vel filio suo contrahere, cujus tutelam curationemve gerit gessitve: ne rationum

tionum reddendarum obligatio conturbetur. *l. tutor*, 15. *in fin. D. h. t. l. si quis tutor*, 60. §. 5. *D. de rit. nupt. l.* 5. *C. de int. matr.* Cum autem bonis, non personæ, curatores dentur; consentaneum est, ne illorum in sponsalibus aut nuptiis contrahendis auctoritas requiratur, non magis quam propinquorum aut adfinium. *l. in copulandis*, 8. *C. de nupt. l. sciendum*, 20. *D. de rit. nupt.* Ad hunc locum pertinet earum personarum conditio, quæ in provinciis domicilium habent, & eorum potestati, qui officium aliquod in iis administrant, quodammodo subjectæ sunt. Ergo iis, qui officium gerunt, ita sibi despondere mulierem licet, ne tamen in ea provincia uxorem ducant; sed ut, deposito officio, cum potestate privati erunt, novus mulieris consensus requiratur. *l. si quis*, 38. *D. de rit. nupt.* Quin ne filio quidem suo uxorem ducenti consentire potest. *l. qui in provincia*, 57. *D. eod.* Quod etiam ad ipsorum propinquos & domesticos productum est. *l.* 1. *C. si rect. provinc. l.* 1. *C. si nupt. ex rescr. pet.* Quid? de filia quid juris? Sane illo jure collocare filias suas in matrimonium poterant. *d. l. si quis, in fin.* At Leo Philosophus etiam filiabus præsidum provinciæ à sponsalibus interdixit. *Novel.* 23. Ad eundem hunc de personis locum, illud pertinet edicti caput, quo vetitum est, ne

quis ſuo ejuſve nomine, quem quamve in poteſtate habet, bina eodem tempore ſponſalia habeat; aut qui filium filiamve conſtituere patitur, etiamſi nuptiæ injuſtæ aut nefariæ ac proinde nullæ futuræ eſſent. qui contra fecerit, infamia notetur. *l.* 1. *in fin. l. quid ergo*, 13. §. 1. *& ſeq. D. de his qui not. inf.* Supereſt tractatio de perſonis *abſentibus, mutis & ſurdis.* Ergo, ſiquidem ſtipulatio in ſponſalibus adhibeatur; certum eſt, & præſentiam & ſermonem requiri. *l.* 1. *D. de verb. obl.* ſin minus; æque per internuncium, aut per epiſtolam, aut nutum ac ſignificationem conſtitui ſponſalia, ut alii omnes contractus, poſſunt. *l.* 4. *l.* 5. *l. ult. D. h. tit. l. mutus*, 73. *D. de jur. dot.* Ex quibus, ita diſputatis, concludi poteſt, veriſſimam eſſe Pauli regulam, quam ſupra tradidimus, tantam eſſe inter ſponſalia & nuptias communionem, ut, cum qua perſona conſtitui nuptiæ poſſunt, etiam cum ea conſtitui ſponſalia liceat: viciſſimque, cum qua contrahere nuptias non licet, cum eadem contrahere ſponſalia plerumque non liceat. *l. ſi quis tutor*, 60. §. 5. *D. h. t. Plerumque* autem idcirco additum eſt, quia contrahi ſponſalia inter impuberes poſſunt, nuptiæ non poſſunt. *l. in ſponſalibus*, 14. *D. h. tit.* Qui officium in provincia gerit, contrahere ſponſalia poteſt, nuptias non poteſt: ut ſupra dictum

ctum est. Quæ virum eluget, nubere non potest, desponderi potest. *l. solet*, 10. §. 1. *D. de his qui not. infam.*

Caput III.

De septuplici sponsaliorum forma, ritu & solennitate.

Sequitur nunc, ut de sponsaliorum forma videamus: nam prima & potissima hæc videtur, ut ea conventio non clam, non furtim, & remotis arbitris, sed testatione adhibita fieret. *arg. l. 7. D. h. t. l. 3. D. de concub. & l. uxor, 7. C. de repud. l. instrumenta, 5. C. de probat.* Etsi autem legitimus testium numerus nusquam in libris nostris prodatur; tamen probabile est, non minus decem adhiberi solitos, cum etiam in divortiis septem adhiberentur. *l. nullam, 9. D. de divort.* Idque video D. Ambrosium non obscure significasse, *ad virg. lapsa. cap. 5.* Nam, *Si inter decem testes*, inquit, *confectis sponsalitiis, & nuptiis consummatis, quævis viro femina conjuncta mortali, non sine magno periculo adulterium perpetrat; quid putas fore*, &c. Quinetiam Romano more convivio amicorum hæc conventio celebrabatur; quod idcirco *sponsalia* dicebatur. Tull. ad Q. frat. lib. epist. 2: *Ad 8. idus April. sponsalia Crassipedi præbui. Huic convivio puer o-*

ptimus Quintus tuus, meusque, quod perleviter commotus erat, defuit. Quod eo magis notandum est, quia Decretalistæ concubitum, post verba de præsenti furtim pronunciata secutum, matrimonii jure censendum putant, *c.* 15. *c.* 30. *de sponsal. & matr. c.* 3. *c.* 5. *& seq. de condit. adpos.* Atque antiquissimo quidem more scriptura plerumque adhiberi solebat. Ut ex illo Juvenalis versu, quem mox proferemus, cognosci potest. Itemque ex illo Tertull. loco in lib. de virg. veland. *Hæ sunt tabellæ priores naturalium sponsaliorum & nuptiarum.* eæque à testibus obsignari solebant: ut apud Juvenal.,

——— *Veniet cum signatoribus auspex.*

Dixi autem, *plerumque*; quoniam interdum nullum ea de re instrumentum conficiebatur, & nuda testatio sufficiebat. *l.* 7. *D. h. t.* quippe cum ne in nuptiis quidem scriptura desideretur. *l.* 4. *D. de fid. instr.* Secundum in forma sponsaliorum locum obtinet stipulationis & sponsionis formula. Quod ut intelligatur, illud sciri oportet, moris apud Rom. fuisse, ut pactis conventisque stipulationem plerumque adhiberent. *l.* 7. §. *quod fere*, 12. *D. de pact. l. Titia*, 134. *D. de verb. obl.* eaque verborum formula, quasi ritu aut certo aliquo carmine, suas conventiones stiparent, id est, munirent, & confirmarent. *l.* 1. *D. de præt. stip.* §. 1. *Inst. de verb. obl.*

Primum

Primum igitur inter eos, de quorum nuptiis agebatur, de nuptiarum conditionibus & legibus conveniebat, hoc est, de dote, de donatione propter nuptias, & de arrhis sponsalitiis. Hæc conventio si sine stipulatione fiebat, modo *pacta*, modo *destinata* mulier dicebatur; sin eo amplius stipulatio addebatur, *sponsa*: quemadmodum ex illo Arnobii loco, supra à nobis citato, videre licet. Juvenal. Sat. 6:

Si tibi legitimis pactam junctamque tabellis
Non es amaturus. ——

Cicero ad Att. 5: *Nec dubitat Dejotarus, cujus filio pacta est Arthanasdis filia, quin Euphratem transiturus sit.* Quapropter haud scio, an vere Ser. Honoratus in illum Virg. locum, *Et gremiis abducere pactas*, ita scripserit, *Id est, sponsas*. melius dixisset, *destinatas*: quod verbum fuit in his conventionibus usitatissimum. Sueton. Julio: *Sibique filiam ejus in matrimonium petiit, Fausto Sullæ destinatam*. Quod apud eundem, & Vopiscum, Capitolinum, Spartianum, innumeris locis animadverti. Plin. epist. 3: *Iam destinata erat egregio juveni, jam electus nuptiarum dies*. Arnob. adverf. gent. *Rex Midas matrimonio ejus suam filiam destinat*. Item: *Alienas virgines, jam destinatas, jam desponsatas, rapuit*. Neque mihi absurdum videtur, existimare, verbum hoc ex coemtionum con-

ſuetudine manaſſe, cum arrhæ ſponſalitiæ dabantur. nam *deſtinare* video veteres dixiſſe, pro, *arrham dare*. Plautus, Rudente:

Minis triginta ſibi puellam deſtinat;
Datque arrhabonem.

Idem in Perſa:

— Dii deæque te agitant irati, ſcelus,
Qui hanc non properes deſtinare. —

Sed, ut in aliis compluribus, re ſublata, nomen tamen retinetur; *l. inſula*, 56. *in fin. D. de adq. rer. dom.* ſic coemtionum formulis ſublatis, *deſtinandi* tamen verbum retentum eſt, in iis potiſſimum, quæ jam pactæ fuerant. Quamquam Juriſconſulti ſubtilius etiam pactas à deſtinatis diſtinxerunt. Nam *deſtinatarum* verbum proprie ad eas, quæ non inter vivos pactæ, ſed teſtamento patris deſignatæ & nominatæ fuerunt, reſtrinxerunt. Veluti in l. non eſt, 66. D. de rit. nupt. *Non deſponſam à patre, nec teſtamento deſtinatam.* Cujus conſuetudinis exemplum exſtat *in l. ſi patris*, 6. *C. de interd. matr. & l. pater*, 101. *D. de cond. & demonſt.* Qua de cauſa credo equidem, gloſſematario accepto ferendum verbum *denominatam. in l. qui pupillam*, 7. *D. ad l. Iul. de adult. & l. tutor*, 36. *D. de rit. nupt.* cujus in fine non dubito, quin *conditionem nuptiarum* ſit reſtituendum. Quemadmodum autem deſtinatarum nomen, etiam poſt ſubla-

ſublatam coemtionum conſuetudinem in uſu manſit; eodem modo deſponſæ dici ſolitæ ſunt, etiam quæ nuda tantum conventione pactæ fuerant. poſtquam videlicet inſtitutum fuit, ut ſponſalia etiam ſine ſtipulatione, ac proinde etiam per internuncium aut epiſtolam, inter abſentes contraherentur. *l.* 4. *l.* 5. *l. ult. D. h. tit.* Itaque Imp. in l. 2. C. eod. *Qui puellam*, inquit, *ſuis nuptiis pactus eſt.* & l. 4: *Si pater pactum de filiæ nuptiis injecit.* Quodſi præter pactum addi ſtipulationem placeret, utrumque adhibebatur. ut Scr. Sulpicius apud Agell. demonſtrat, *lib.* 4. *cap.* 4. Terentius:

Sponden' tuam gnatam filio uxorem meo?

Et alio loco:

Vltro ad me venit, unicam gnatam ſuam
Cum dote ſumma filio uxorem ut daret.
Placuit, deſpondi: hic nuptiis dictus eſt dies.

Ubi Donatus, *Proprie*, inquit, *deſpondi. nam de ſponſo dicitur. quia ſpondet puellæ pater: deſpondet, adoleſcentis.* Et ſic in Adelph.:

Quin jam virginem deſpondi.

Ubi Micio ſponſi pater loquitur. Item Servius, lib. Æneid. 10: *Veteres ſpondebant, ſe conſentire in jura matrimonii, & fidejuſſores dabant: unde vir à ſpondendo ſponſus. Cetetum proprie ſponderi puellæ eſt. Ergo ſponſus, non quia promittitur, ſed quia ſpondet, & ſponſores dat.* Sed futilis hæc grammaticorum ob-

ſervatio eſt: nam *deſpondendi* verbum, videmus paſſim, promiſcue, tum in adoleſcentis, tum in puellæ patre, tum etiam matre & fratre, atque ipſo adoleſcente, uſurpari. Cic. ad Att. 2: *Tulliolam C. Piſoni Frugi deſpondimus.* Pro Cluent. *Tum illa deſpondit ei filiam ſuam.* Paulus, l. Titia, 134. D. de verb. obligat. *Tempore matrimonii conſenſerunt, ut filia C. Seii filio Titiæ deſponderetur.* Cicer. de Oratore: *Cum Ser. Galbæ Craſſi filiam Caio filio ſuo deſpondiſſet.* Plaut. Trinummo:

——— *Voſtrum herilem filium*
Lesbonicum ſuam ſororem deſpondiſſe?
Cui homini deſpondit?

Ulp. in l. cum hic ſtatus, 32. §. ult. D. de donat. int. vir. *Si ſenator libertinam deſponderit, vel tutor pupillam.* Atque ita Paul. *in l. ſi quis inter*, 60. §. 5. *D. de rit. nupt. l.* 4. *D. de ſponſal.* Supereſt, ut de ſperatæ, pactæ, & ſponſæ nominibus huc addamus ex Arnobii lib. adverſus gent. 4: *Habent ſperatas, habent pactas, habent interpoſitis ſtipulationibus ſponſas.* Ut ſperata eſſe videatur, quæ jam petita, ſed nondum promiſſa eſt: pacta, quæ nuda conventione promiſſa eſt: ſponſa, quæ interpoſita ſtipulatione. Sed Nonius hanc differentiam abſurdiſſime ſic explanat: *Inter ſperatam, dictam, & pactam, & ſponſam, hoc intereſt: quod virgo, priuſ-*

quam

quam petatur, ſperata dicitur. Plaut. Amph.

Amphitruo uxorem ſalutat latus ſperatam ſuam.

Inepte Nonius, & ridicule, uxorem jam gravidam, & ad pariendum vicinam, ſponſam ſperatam dici putat. nam *ſperatam ſuam* Amphitruo dicit, pro *eam quam totam ex animo ſuam eſſe ſperat.* Tum illud Virgilii abſurde huc retorquet:

Cui pater, & conjunx quondam tua dicta relinquor?

quaſi *dictam*, pro *ſponſam* Pub. Virgilius uſurpaſſet. cum ordo & ſenſus hic ſit: *Dicta quondam tua uxor.* Tertio loco ad ritum & formam ſponſaliorum pertinent verba, quibus ſponſalia concipiebantur. Nam in filiabus quidem fam. docuimus, ex Plauti comœdiis, uſitatam hanc formulam fuiſſe: *Sponden' Caiam filiam tuam uxorem mihi dari?* Cum autem mulieres innuptæ in perpetua tutela eſſent, probabile eſt, hanc in illis deſpondendis formulam adhibitam: *Sponden' Caiam, quæ in tua poteſtate eſt, uxorem mihi dari?* quod ex orat. pro Flacco exiſtimare licet. Quinetiam, cum plerumque certis legibus ac conditionibus ſponſalia contraherentur; probabile eſt, conditiones pronunciari ſolitas. ut in illa Plauti:

Iſtac lege ſponden' mihi filiam tuam uxorem dari?

Quod

Quod vero disputari à nonnullis video, multum interesse, utrum sponsalia verbis in futurum aut in præsens tempus conceptis constituerentur; de eo commodius, ubi de sponsaliorum jure disseremus, tractaturi videmur. Quarto loco in sponsalibus anulus pronubus plerumque adhiberi solebat. Nam moris fuit, ut sponsus sponsæ anulum, quasi pignoris loco, donaret; qui *pronubus* dicebatur. Cujus moris etiam vestigium extat in nostris libris. apud Paul. *in l. Si donatæ*, 36. §. *ult. D. de donat. int. vir. & ux.* Juvenal. Satyr. 6:

Conventum tamen, & pactum, & sponsalia, nostra
Tempestate paras, jamque à tonsore magistro
Pecteris, & digito pignus fortasse dedisti.

Plin. autem, *lib.* 36, scribit, ætate sua anulum illum fuisse ferreum. Post vero aureus donari cœptus est. Tertul. in apol. adv. gent. *Aurum nulla mulier norat, præter uno digito, quem sponsus oppigneraſſet pronubo anulo.* Ubi tamen considera Isidor. de divin. off. *Quod in primis nuptiis anulus à sponso sponsæ datur, sit nimirum vel propter mutuæ dilectionis signum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur. unde & quarto anulus ingeritur, quia in eo vena quædam sanguinis ad cor pervenit.* Idem,

Etymol.

Etymol. 20: *Feminæ non usa sunt anulis, nisi quos virgini sponsus miserat: neque amplius quam binos aureos in digitis habere solebant.* Sic Nicolaus Papa, ad consultationem Bulgarorum 30. quæstion. 5. cap. 3: *Et postquam arrhis sponsam sibi sponsus per digitum fidei anulo insignitum desponderit.* Quintam ritus & solennitatis partem plerumque osculum obtinebat. Quod tamen arbitrarium fuisse, patet *ex l. cum veterum*, 15. *C. de don. ant. nupt.* Ad sextum locum munera sponsalitia referenda sunt. de quibus mentio fit *l.* 1. §. 1. *D. de donat. l. die sponsaliorum*, 25. *D. depos. l. cum sponsus*, 12. *D. de Publ. act. l.* 1. *C. si adverf. donat. l. si sponsus*, 5. *l. inter eos*, 27. *l. cum hic status*, 32. §. *si quis sponsam*, *D. de donat. int. vir.* Quæ tamen interdum ea lege fiebant, ut, nuptiis non secutis, revocarentur. *l.* 2. *l. si cum ante*, 7. *C. de don. ant. nupt. l.* 2. *C. Gr. si adverf. don. sponf.* Quodsi nil nominatim convenerat, ratæ donationes manebant. *l. si tibi*, 11. *&* *d. l. cum veterum*, 15. *C. eod.* Postea vero Constantinus jus earum esse hoc voluit, ut, si per donatorem stetisset quo minus nuptiæ sequerentur, donum penes donatarium maneret: si per eum qui acceperat, restitueretur. Quodsi mors nuptias impedisset, tum, siquidem osculum interveniisset, quod sponsus donaf-

donaſſet, dimidia tantum ex parte repeteretur: quod autem ſponſa donaſſet, ſive cum oſculo, ſive ſine oſculo, totum reſtitueretur. *d. l. cum veterum, & l. ſeq. C. eod.* Septimum ſponſalitii ritus locum obtinent arrhæ ſponſalitiæ, quas videlicet ſponſus, quaſi pignoris & arrhæ loco, dat, fore, ut eam uxorem ducat: nam illæ tantum à ſponſo ejuſve nomine dabantur: à ſponſa vero non dabantur. *l. 3. & l. 5. C. de ſponſ. & arrh. ſponſ. l. ult. C. de epiſc. & cler. l. ſi quis officium*, 38. *D. de rit. nupt.* Itaque triplex inter arrhas & donationes ſponſalitias differentia perſpicitur. Prima, quod illæ tantum à ſponſi parte conferuntur: hæ vero utrimque. Illæ, ſi per ſponſum fiat quo minus nuptiæ ſequantur, amittuntur: ſi per ſponſam, tunc, ſi minor 25 annis ceperit, ſimplum reddit; ſin major, duplum. *d. l. 5. C. de ſponſal.* at in donationibus nulla dupli ratio habetur. Poſtremo, arrhæ, morte alterutrius, repetuntur. *l. 3. C. de ſponſal.* donationes ſponſalitiæ non repetuntur.

CAPUT IV.

De multiplici jure ſponſaliorum, eorumque cum nuptiis differentia vel communione.

SUPEREST ut de jure ſponſaliorum diſſeramus. Ac primum illud videamus, cujus

jus juris ſponſalia ſint. Quod uno verbo ita definiendum eſt: ut, ſi ſtipulatione & ſponſione contrahuntur, juris civilis ſint, ſicuti ceteræ omnes obligationes, quæ certis verborum formulis & contrahuntur & diſſolvuntur : *l. quoties*, 14. *D. de novat. l.* 2. *D. de divort.* ſin nudo conſenſu & conventione; ſint juris gentium. *arg. l.* 1. *in fin. D. de contr. emt. l.* 1. *D. locat.* Secundo videndum eſt, an, & qualis obligatio per ſponſalia contrahatur. Ergo antiquiſſimo jure, ex ſponſalibus civilis naſcebatur obligatio, ex eaque dabatur actio, quæ *ex ſponſu* dicebatur, adverſus eum eamve, per quem quamve factum eſſet quo minus nuptiæ ſequerentur: ſiebatque condemnatio in id quod alterius intererat; quemadmodum ſup. ex Ser. Sulpicio demonſtratum eſt. Video etiam, moris fuiſſe, ut certa ſumma, pœnæ nomine, in ſtipulationem deduceretur, ſicuti paulo ante ex Varrone docuimus. Nam, cum ejus, quod intereſt, æſtimatio in cauſis omnibus difficilis eſt, tum vero in conjugali adfectione difficillima: quam ipſam ob cauſam pœnæ ſtipulationes interponi ſolitas, conſtat *ex l. ultim. D. de pract. ſtip.* Poſt vero, corruptis ac perditis civitatis Romanæ moribus, cum flagitioſa & deteſtanda repudiorum libertas increbuiſſet, inſtitutum fuit, ne ulla ex ſponſalibus civilis obligatio naſceretur,

ſceretur, ſed libera renunciatio eſſet; neque ulla eo nomine actio, petitio, daretur: *l.* 1. *C. h. t. l.* 2. *C. de repud.* adeo ut, ſi pœna deducta in ſtipulationem fuiſſet, ne ipſius quidem nomine actio daretur. *l. Titio*, 71. §. 1. *D. de cond. & dem. l.* 2. *C. de inutil. ſtip. l. Titia*, 134. *D. de verb. obl.* idque etiam Imp. Leo Philoſophus teſtatur, *Novell.* 74. Hæc fuit temporum illorum ratio, perditis, ut dixi, civitatis moribus; cum populus R. non modo promiſcuos concubitus, pecudum ritu, ſectaretur, verum etiam à conjugiis abhorreret. Qua de cauſa legem illam omnium celeberrimam ferri oportuit, Papiam Popæam de maritandis ordinibus. Qua lege & maritis præmia, & cælibibus pœnæ impoſitæ fuere. His igitur profligatis civitatis moribus, ſenſim contra juris directi regulas inductum fuit, ut libera eſſet ſponſaliorum renunciatio. Quæ renunciatio proprie *repudium* dicebatur: cum eo verbo promiſcue etiam in divortiis uterentur. *l. inter ſtuprum*, 101. §. 1. *D. de verb. ſign.* Quinetiam repudii formula, vetuſtis, ut credi par eſt, temporibus inſtituta, obligationis vi tamen retenta eſt: *Conditione tua non utor.* l. 2. §. 2. D. de divort. ejuſque perditæ & flagitioſæ repudiorum libertatis teſtimonio eſt, quod Papinianus eum ſponſum irridet, qui mulierem

ſibi

sibi à patre desponsam idcirco adulterii accusare volebat, quod alteri à patre in matrimonium desponsa fuisset. *l. miles*, 11. §. *quærebatur*, 7. *D. ad l. Iul. de adult.* Quæ cum ita sint, perspicuum est, primum sponsalia isto Digestorum jure non fuisse in contractuum numero, quoniam nulla ex iis efficax nascebatur obligatio: deinde, istius stipulationis (quod jus singulare ac novum est) non majorem hoc casu quam pacti nudi vim esse; quo, ut ait Paulus, cives R. non obligantur. *lib. sent. 2. tit.* 14. Sed quæri potest, an non ex illo sponsaliorum pacto naturalis tamen contraheretur obligatio; quæ, quoties naturalis subest æquitas, contrahi dicitur. *l. Stichum*, 95. §. *naturalis*, *D. de solut.* Quod certe probabilius videtur. Primum, quia in stipulationis formula vitium nullum fuit, sicut accidit in specie *l.* 1. §. *si ita quis*, *D. de verb. obl. l.* 1. §. *eum qui*, *D. de const. pec.* Deinde, quia ne liquido quidem affirmari potest, nullam nasci civilem ex sponsalibus obligationem, cum in iis dissolvendis præscripta repudii formula utendum esset. *d. l.* 2. §. 2. *D. de divort.* Ex quo, ut jam dixi, intelligitur, quamvis propter perditos civitatis mores nulla efficax ex sponsalibus nasceretur obligatio, tamen in rei veritate, & directo jure, aliquam contrahi: præsertim, cum alioqui stipulatio, ut jam

dictum

dictum est, in qua vitii nihil est, ne pacti quidem vim haberet; quod valde absurdum esset. Secundum sponsaliorum jus est, ut per ea æque fere, ut per nuptias, adfinitas contrahatur. Nam & generi & nurus adpellatione sponsus & sponsa; item soceri & socrus adpellatione, sponsorum parentes continentur. *l.* 6. §. 1. *& l.* 8. *D. de grad.* Qua de causa, quæ lex vetat genero vel socero invito testimonium denunciari, ea & ad sponsum & sponsæ patrem producitur. *l.* 4. *& l.* 5. *D. de test.* Sic lex, quæ novercæ & nurus nuptias prohibet, etiam ad patris & filii sponsam perducitur. *l. si qua mihi*, 12. §. 1. *D. de rit. nupt.* &, quæ socerorum ac generorum necem parricidii crimine comprehendit, eadem etiam ad sponsos sponsasque porrigitur. *l.* 4. *D. de parricid.* Quod vero Neratius ait, inter sponsum & sponsam adfinitatem contrahi; non quasi proprie dictum accipiendum est, sed improprie: quasi dixisset, necessitudinem. *l. quod Servius*, 8. *D. de cond. caus. dat.* Tertium jus ex eo intelligitur, quod sponsalia multis casibus nuptiarum fere vim obtinent. Qua de causa Imp. testatur, multas ea de re controversias exstitisse. *l.* 5. *C. de bon. quæ liber.* Itaque, quemadmodum qui binas uxores, sic etiam qui binas eodem tempore sponsas habet, ignominia notatur. *l.* 1. *D. de his qui not. infam.*

infam. Quod lege Julia cautum eſt, ne marito uxoris fundum alienare vel obligare liceat, idem etiam in ſponſæ fundo valere reſponſum eſt. *l.* 4. *D. de fund. dot.* Sicut pro illata uxori injuria, marito injuriarum conceditur actio, *l.* 1. *in fin. D. de injur.* ita ſponſo pro injuria ſponſæ illata. *l. item apud Labeonem*, 15. §. *ſponſum*, 24. *D. eod.* Et, quod lege cavetur, ne dotalem uxoris fundum alienare liceat, etiam ad ſponſæ fundum productum eſt. *l.* 4. *D. de fund. dot.* Quod conſtitutum eſt, ne quaſdam uxores ſenatoribus ducere liceat, id ad ſponſalia productum eſt. *l. oratio*, 16. *D. h. t. l. cum hic ſtatus*, 32. §. *ult. D. de don. int. vir.* Sicuti à marito quæſita, uxor non adquirit, niſi quoad uſumfructum; ita nec à ſponſo quæſita, patri ſponſæ aliter adquiruntur. *l.* 5. *C. de bon. quæ lib.* Eo accedit, quod privilegium, uxori competens, etiam ſponſæ conceditur: veluti, ſi dotem dederit, & ſponſalibus renunciatum fuerit, in exigenda dote ceteris creditoribus præferatur. *l. quæſitum*, 17. §. *ſi ſponſa*, *D. de reb. auct. jud. poſſ. l. ſi ſponſa*, 74. *D. de jur. dot.* Item, quod dicitur, parricidii teneri eum qui uxorem occiderit, etiam adverſus eum valeat qui ſponſam interfecerit. *l. ſed ſciendum*, 3. *D. ad leg. Pomp. de parricid.* Quod conſtitutum eſt, ne tutor pupillam ſuam ſibi filiove ſuo

uxorem

uxorem adſciſcat, id etiam ad ſponſalia productum eſt. *l. tutor*, 15. *D. h. t. l. ſi quis tutor*, 60. §. 5. *D. de rit. nupt.* Poſtremo, jus accuſandæ uxoris adulterii, quod lex Julia marito, jure quodam præcipuo, & ante extraneos, conceſſerat, Impp. Severi & Antonini reſcripto etiam ad ſponſum productum eſt, ut ſponſus intra dies 60 extraneis præferatur. *l. ſi uxor*, 13. §. *divi*, 3. & §. *ſi minor*, 8. *l. miles*, 11. §. *quærebatur*, 7. *D. ad l. Iul. de adult. l. propter*, 9. *C. eod.* Ac mihi non alienum videtur, inſignem Philonis locum, & ad hoc inſtitutum magnopere pertinentem, adſcribere. eſt autem *in illius lib. de certis legib. ad Decal. pertinentibus.* Μέσον ὑπολαμβάνουσί τινες ἁδίκημ' εἶναι, φθορᾶς καὶ μοιχείας, ὑπογάμιον, ὅταν ὁμολογίας μὲν ὑπερελθούσης, μήπω δὲ τοὺς γάμους ἐπιτελεσθέντων, ἕτερος ἀπαντήσας, ἢ καὶ βιασάμενος, εἰς ὁμιλίαν ἔλθῃ. παρ' ἐμοὶ δὲ κρείττων μοιχείας καὶ τοῦτ' ἔστιν εἶδος. αἱ γὰρ ὁμολογίαι γάμοις ἰσοδυναμοῦσιν, αἷς ἀνδρὸς ὄνομα καὶ γυναικὸς, καὶ πᾶλαι τε ἐπὶ συνόδοις, ἐμέμφε). id eſt: *Sunt, qui medium quoddam crimen eſſe cenſent, inter ſtuprum & adulterium, interceptum concubitum; cum poſt contracta ſponſalia, nondum celebratis nuptiis, alter intervenit, qui vi, aut dolo, puellam comprimit. at, me judice, hæc quoque adulterii ſpecies eſt: ſponſaliorum enim eadem quæ nuptiarum vis eſt: cum viri & uxoris nomina,*

atque

atque alia quædam, in conventu & frequentia propinquorum perſcripta ſunt. Et in eandem ſententiam Tertullianus, lib. de virg. vel. *Deſponſata enim quodammodo nupta.* Tamen inter *quodammodo* & *vere* ſatis intereſt, duntaxat in hoc loco. Atque his quidem caſibus magna inter ſponſalia & nuptias communio eſt. In aliis autem quibuſdam hæ notari differentiæ poſſunt. Nam inter impuberes contrahi ſponſalia poſſunt; nuptiæ non poſſunt. *l. 7. l. 9. D. h. t.* Sponſalia promiſſione conſtant, ac proinde nec præſenti traditione & acceptione, nec niſi verbis futuri temporis contrahuntur: *l. 1. l. quæſitum*, 9. *D. eod.* nuptiæ vero verbis præſentis temporis, & præſenti puraque traditione & acceptione, conſtituuntur. *l. pen. D. de don. int. vir.* Itaque in ſponſalibus deductio in domum nullius momenti eſt; in nuptiis neceſſaria eſt. *d. l. pen.* Præterea, uxor in mariti familia eſſe dicitur, *l. quicunque*, 10. *C. de re milit. lib.* 12. *l. pen.* §. *Iulianus*, *D. quod falſ. tut. auct.* & in ejus domo domicilium habere: *l. exigere*, 65. *D. de jud.* ſponſa, ante nuptias contractas, non habet. *l. ea quæ*, 32. *D. ad munic.* Donatio inter virum & uxorem non valet; inter ſponſum & ſponſam valet. *l. cum hic ſtatus*, 32. §. *pen. D. de don. int. vir.* Uxor virum lugere jubetur; ſponſa

ſponſum non jubetur. *l. uxores, 9. D. de his qui not. infam.* Quæ luget, nubere ſine infamia non poteſt; ſponſalia vero, quia futuri temporis ſunt, contrahere poteſt. *l. ſeq. eod.* Quod lex vetat, ne liberta, patrono nupta, ei invito nuncium mittat, ad ſponſam non porrigitur. *l. in eo jure, 45. §. 4. D. de rit. nupt.* Supereſt poſtremum jus ſponſaliorum, ut certis caſibus impune ac ſine fraude repudium mittere liceret. Quod etiam argumento illo confirmatur, quod ſuperius dicebamus, Jus, ne pœnæ metu ſponſalia adſtringere liceret, perditis reip. temporib. inductum fuiſſe. Nam contrarii juris veſtigia hæc remanſere: quorum tamen quædam ad pœnam arrharum ſponſalitiarum pertinere conſtat: Si ſponſus, qui in eadem eſſet provincia, nuptiis moram biennio longiorem faceret: *l. 2. C. h. t.* Si ſponſus extra provinciam triennio amplius cunctetur, atque illa ſua cunctatione ſponſam ſua ſpe fruſtretur: *l. 2. C. de repud.* Si qua turpitudo ſponſi ſponſæve detecta eſſet: ſi nova ipſius religio, vel ſuperſtitio potius, detecta vel ſuſcepta fuiſſet: ſi quod in ſponſo vitium appareat virilis impotentiæ, quod liberorum ſpem adimat. *l. 5. §. his illud, C. h. tit.* Atque hæc de ſponſalibus juris civilis & Juſtinianici ratio fuit.

CA-

Caput V.

De jure ſponſaliorum, ex lege Moſaica, & Chriſtianorum, tam Græcorum, quam Latinorum, inſtitutis.

Porro, quid de ſponſalibus pie & ad noſtram religionem adcommodate dici poſſit, conſiderandum eſt. Primum autem ex lege Dei totius diſputationis fundamentum hoc conſtituendum eſt, Deut. 22: *Si quis cum ea puella, quæ viro alicui, deſponſa eſt, concubuerit; producitote & illum & illam ad portam urbis, eoſque lapidibus obruitote: puellam, quia in urbe vociferata non eſt; virum, quia cum uxore propinqui ſui concubuit.* Quibus ex verbis multa, quæ ad ſponſaliorum jus pertinent, notari poſſunt. Primum, quod ſponſalia non humana, ſed divina lege inſtituta, atque à nuptiis diſtincta ſunt; tempuſque aliquod inter ſponſionem & traditionem, inter ſponſaliorum & nuptiarum diem, interpoſitum. Quod etiam Joſephi & Mariæ exemplo, itemque *Deut. cap.* 20., aperte confirmatur: ubi Moſes vetat eos, qui ſponſalia contraxerint, prælium inire; &, cum omnes in procinctuerunt, ſic pronunciari jubet: *Quis eſt, qui uxorem deſponſavit, nec dum eam duxit? revertatur domum, ne in hoc prælio moriatur, & alius illam*

ducat. Item, *cap. seq.* ubi Moses certis in causis spatium illud intermedium luctus feminarum adsignat. Quod cum ita sit, consentaneum est, nuptias inter Christianos non satis pie, sine præcedentibus sponsalibus, copulari. Alterum est, quod eodem divino instituto suum cuique eorum jus proprium ac peculiare adtributum fuit : ut videlicet aliud sponsi & sponsæ, aliud mariti & uxoris jus esset: velut in concubitu, quem inter conjuges apostolus honestum adpellat, 1. *Cor. 7. v.* 3., inter sponsum & sponsam divina lege improbatur, *Deut.* 20. 7. Hinc illud Ambrosii, lib. epist., ep. 66 : *Si quis desponsata sibi & tradita utatur, conjugium vocat: qui aliena expugnat pudorem, adulterium facit.* ubi sine dubio ad illud Virg. alludit :

Conjugium vocat ; hoc prætexit nomine culpam.

Tertium est, ut, quantum ad perpetuam vitæ societatem, par eademque sponsi & sponsæ, quæ conjugum, ratio haberetur, nisi quid ante nuptias vitii detectum esset, quod justum nuptiis impedimentum adferret. Nam mulier sponsa ita proprie sponso devota, destinata ac decreta est, ut jam pro designata uxore numeretur. Quod etiam locus ille Matth. demonstrat, *cap.* 1. 20: Μὴ φοβηθῇς παραλαβεῖν Μαριὰμ τὴν γυναῖκά σου.

No

Ne metue Mariam uxorem tuam capere. id eſt, adſciſcere & abducere. Quamquam haud ſcio, an non æque commode ita converti poſſet: *Ne metue Mariam tibi uxorem adſciſcere*: quaſi σὺ pro σοὶ uſurpatum eſſet. Sic ex contrario ſponſus filiæ diſerte nominatur gener, *Geneſ.* 19. ubi adoleſcentes, qui Lothi filias propediem uxores ducturi erant, ipſius generi vocantur. Itaque priſcis eccleſiæ Chriſtianæ temporibus ſynodus ſexta in Trullo habita, *cap.* 98, in eandem ſententiam ita decrevit: Ὁ τῷ ἑτέρῳ μνηστευθεῖσαν, ἔτι δὲ ἀνδρὸς ζῶντος εἰς γάμον ἀναγόμενος, τῷ τῆς μοιχείας ὑποκείσθω ἐγκλήματι. id eſt: *Qui deſponſam alteri mulierem, vivo ipſius ſponſo, in ſocietatem nuptiarum adſciverit, criminis adulterii reus eſto.* Quod decretum Imp. Leo Philoſophus, religionis, ut apparet, ſtudioſiſſimus, ratum in ſuo imperio juſſit eſſe. *Novell.* 18. *&* *Novell.* 74. ubi etiam jus Romanorum antiquiſſimum reſtituit, ut pœnæ adjectione ſponſaliorum vinculum adſtringere liceret. Ejus autem decreti rationem Imp. Alexius Comnenus hanc profert, quam Leo quoque prius indicarat; quia, Chriſtianorum inſtituto, ab Iſraëliis, ut credi par eſt, ſumto, ſponſalia certa precationis formula, quam εὐλογίαν adpellant, ita conſecrabantur, *ut Deus illorum auctor, arbiter & conciliator adgnoſceretur.* Nefas

igitur piis illius ætatis hominibus videbatur, quod Deo auctore constitutum erat, levium hominum arbitrio dissolvere ; ut Christus dixit, *Quos Deus conjunxit, homo ne disjungat*. Verba Comneni, propter illorum auctoritatem, adscribemus : Οὐκ ὀλίγον ἐνταῦθα τὸ ἄτοπον ἐπισύρεται, τὰς θεομισοδίκους τῶν γάμων δύχας ἐπὶ μνηστείᾳ συντελεσθείσας ὡσεί τι τῶν εἰκαίων καὶ συμπεφορημένων λογίσασθαι, καὶ οἱαδήποτε σκιαδέως τόδε τὸ πρᾶγμα, ὥσπερ ἂν εἰ μὴ Θεὸς μέσον τῶν συναπτομένων θεὸν ἀλλὰ τῆς μνηστείας εἰσήγετο. id est : *Non exiguum hic incommodum atque absurdum consequetur, precationem in nuptiis fieri solitam, in sponsalibus pronunciatam, pro vano quodam & inani additamento censeri, & pro supervacanea numerari : quasi Deus inter personas per sponsalia conjungendas mediator sive arbiter adhibitus non fuisset.* Et hac de causa Leo Philosophus, ut jus civile cum illo sextæ synodi decreto conciliaret, ac violandæ religionis occasionem præcideret, superstitiose constituerat, ne usitata in sponsalibus precatio sive benedictio deinceps pronunciaretur, sed in diem & ad tempus nuptiarum differretur : *Quoniam*, inquit, *tum demum vere dissoluta sponsalia videntur, cum post eam consecrationem pronunciatam repudium mittitur* : Novell. Leon. 74. Commodius igi-

tur

tur Alexius, & ad ſynodi ſententiam aptius, conſtituit, ut ea conſecratio ſponſalibus reſtitueretur : & ea demum ſponſalia juſta, id eſt, legitima, perfecta & abſoluta haberentur, quæ inter puberes contracta, Dei precatione conſecrata eſſent, atque ita non minus indiſſolubilia, quam ipſæ nuptiæ, haberentur. Τὰς τοιαύτας μνηστείας ἀμεταχινήτους τε ἀφιλύειν, καὶ ἀπαραπότους, καὶ τὸ ὅλον ἀλύτους, ἅτε θεοῦ μέσου τῶν συναπτομένων εἰσαγομένου, καὶ τὴν πρώτην ταύτην συνοικεσιμπεδοῦντός τε καὶ κρατύνοντος βίου συναρμογὴν, ἀπὸ τῶν ἱερομενουμένων ὄχων. id eſt : *Talia ſponſalia firma, inconcuſſa, indiſſolubilia maneant : quippe cum Deus arbitrum ſe atque auctorem, ſive mediatorem inter eos qui conjunguntur, interponat, & primam hanc vitæ conjunctionem per ſacrarum precum initiationem confirmet.* Ac magnopere notandum eſt, cum illis Orientalibus Impp. etiam Occidentales in ſummo ſponſaliorum jure conſenſiſſe. Nam Carolus Magnus, lib. Franc. leg. 1. cap. 163., *De conjugali*, inquit, *velatione requiſiſti, Si deſponſatam alii puellam alter in matrimonium poſſit accipere. Hoc ne fiat, modis omnibus inhibemus : quia illa benedictio, quam nuptiæ ſacerdos imponit, apud fideles ſacrilegii cujuſdam inſtar eſt, ſi ulla tranſgreſſione violetur.* Quatuor igitur hæc ſponſaliorum jura à Chriſtianis Impp. conſtituta

sunt. Primum, Ne nuptiæ sine præcedentibus sponsalibus constituerentur: quod juri quidem divino consentaneum est, Romanorum autem juri contrarium, *l. quæsitum*, 9. *& simil. D. h. t.* Alterum, Ne justa sponsalia ante pubertatem contraherentur: contra *l. sponsalia*, 14. *D. h. t.* quæ vero ante pubertatem, post annum tamen septimum, contractæ essent, nihil ad religionem pertinerent, sed eodem loco haberentur, quo ceteri contractus omnes; & ex juris civilis dispositione permitterentur, ut, quidquid de arrhis sponsalitiis & aliis rebus convenerat, servaretur. Tertium jus est, Ut sponsalia non minus rata, fixa, firma essent, quam nuptiæ; quæ individuæ nominantur, *l.* 1. *D. de rit. nupt.*; ac proinde, secundum synodi sextæ sanctionem, qui quæve cum alia persona constitutas nuptias habuerit, adulterii reus haberetur, contra *l.* 1. *& alias consimil. C. h. t.* Atque hoc quidem & Orientalium & Occidentalium ecclesiarum institutum fuit. quod non modo cum antiquissima synodo, verum etiam cum scriptura sacra congruere apparet: ut, meo judicio, non incommode dicere possimus, in Christianorum nuptiis tres quasi gradus constitui. Primum, ut ante sponsalia, de nuptiarum conditionibus, de parentum, propinquorum amicorumque sententia, intra privatos parietes

tes conveniat: hoc est, de dote, de donatione propter nuptias, de dotis incremento, & arrhis sponsalitiis: quemadmodum Romanorum instituto videmus ante sponsalia dotis conventiones fieri solitas. *l. si sponsalib.* 58. *D. de jur. dot.* Secundus gradus est, ut, iisdem præsentibus, certe non paucioribus quam septem testibus convocatis, iisque maribus, & præterea pastore ecclesiæ, sponsus vel sponsa, vel eorum nomine octavus aliquis, palam pronunciet, ac Deum testetur, utrumque ab omni aliarum nuptiarum obligatione liberum esse, neque sibi esse conscium, quam ob causam ejus rei controversia sibi moveri possit: habere autem in animo, Titium quidem Caiam in uxorem ducere, Caiam vero Titio nubere. Ac tum Titius ita mulierem roget: Spondes, te mihi uxorem fore? Vicissimque mulier virum: Spondes, te mihi maritum fore? neque per te futurum, quo minus primo quoque tempore nuptiæ in ecclesia Dei celebrentur, ut eo auctore perpetuam vitæ societatem ineamus? Cum uterque responderit, Spondeo; tum, ut pastor ecclesiæ totius cœtus nomine precationem pronunciet, & quasi consecrationis formula Deo sponsalia commendet, eumque oret, ut ea res utrique fauste, feliciter, prospereque eveniat. Quibus peractis, pastor illa sponsalia in

ecclesia promulget, palamque pronunciet, ut, si quid forte legitimi impedimenti adferre aliquis possit, cum fide id faciat, & senatui ecclesiastico denunciet; ut omnia, quemadmodum Paulus statuit, recte atque ordine in ecclesia Dei gerantur. Nam hoc institutum non ab aliquo papa manasse, sed ex vetustissima ecclesiæ Christianæ consuetudine fluxisse, papa ipse Innocentius III fatetur. *in c. ult. ext. de clandest. desp.* ubi sic loquitur: *Quare secundum specialem quorundam locorum consuetudinem statuimus, ut, cum matrimonia fuerint contrahenda, in ecclesiis per presbyteros publice proponantur competenti termino præfinito, ut intra illum terminum, qui valuerit & voluerit, legitimum impedimentum opponat*, &c. Eaque promulgatio *bannum* Langobardico vocabulo vocatur, *in c. cum in tua, 26. ext. de sponsal.* & ex veteri consuetudine fluxisse dicitur, *in c. cum de tua, 6. ext. qui matrim. accus. poss.* Neque vero absurdum cuiquam videri oportet, quod tum demum sponsalia promulgantur, & eorum impedimenta exquiruntur, cum, jam consecrata precatione, ex Christianorum Impp. instituto, individua & indissolubilia sunt. Quæ causa Imp. Leonem Philosophum impulerat, ut adhiberi precationem vetaret. Nam, cum vir & mulier in contrahendis sponsalibus adfir-

adfirmarint, nullius se justi impedimenti sibi esse conscios; si quid postea compertum sit, eadem illis pœna, quæ nuptiarum contractarum violatoribus, à magistratu impendebat. Postremus nuptiarum gradus erit, ut præstituta die nuptiæ eo ritu celebrentur. qua de re suo loco differendum erit.

Caput VI.

An recte sponsalia inter impuberes contrahi possint: itemque inter absentes. ex jure Christiano.

Nunc etiam supereſt, ut quæstiones aliquot ad sponsalia pie contrahenda pertinentes proponamus. Quarum prima hæc est: An sponsalia inter impuberes pie contrahi liceat. Nam, jure civili post annos septem (intra quam ætatem infantes adpellantur) contrahi sponsalia licuisse, patet *ex l. in sponsal.* 14. *D. hoc titul.* & Paul. *lib. sent.* 2. *titul. de nupt.* Eorumque hæc vis erat, ut parentes tutoresve, qui spopondérant, si repûdium mitterent, pœnis sponsalitiis tenerentur, quas sup. exposuimus. Sed videamus, num satis ad normam religionis accommodatum hoc jus sit. Primum, quia durum est, ætatem illam improvidam gravi obligatione in perpetuum vitæ

ſtiæ tempus adſtringi: cum jure civili nulla obligatione, ac ne naturali quidem, niſi quatenus locupletiores ſunt, adſtringantur. Utrum autem melior, an deterior, ipſorum conditio per illud immaturum matrimonium fiat, valde incertum eſt. Deinde, quia ne jure quidem civili impuberes parentum ſponſalibus obligantur, niſi puberes facti conditionem ratam habeant. Itaque conſultius facturi parentes videntur, ſi gravem illam ſponſaliorum obligationem in id tempus differant. præſertim cum jure divino ſponſalia deſignati matrimonii vim habeant: jure autem civili, mulier impubes, ſi in domum quaſi mariti deducta ſit, non tamen prius nupta cenſeatur, quam apud eundem pubertatem adepta ſit. *l. 2. in fin. D. de privil. cred. l. ſi uxor, §. ſi minor, D. ad leg. Iul. de adult. l. minorem, 4. D. de rit. nupt. l. pen. D. quando dies leg. ced. l. quod vir, D. de donat. int. vir.* Eo accedit, quod, ſi impubes parentis morte ſui juris eſſe cœperit, impune patris ſponſalibus renunciare poterit: certe quidem poſt adeptam pubertatem, qua ætate liberum arbitrium conſecutus erit: atque ita ſponſaliorum paternorum obligatio inanis erit. Itaque Imp. Alexius Comnenus lege lata ſanxit, ne ſponſalia, ante duodecimum aut decimum quartum annum contracta, juſta

& per-

& perfecta haberentur. Leo Philosophus, quamvis sponsalia post annum septimum permiserat, tamen ea consecrari ante illam ætatem vetuerat, *Novell.* 174. & *Novell.* 109. adductus illa Sapientis sententia, *Eccles.* 3. suam cuique rei maturitatem esse: *cui nulla in re*, inquit, *tam commode locus est, quam in nuptiis contrahendis, quæ perpetuam vitæ obligationem inducunt.* Sequitur secunda quæstio: An sponsalia jure Christiano constitui inter absentes possint. Dubitandi causam adfert Alexii constitutio, quæ jubet sponsalia, non nisi adhibito pastore ecclesiæ, & verba precationis præeunte, interpositaque consecratione, celebrari. Et profecto ita est, ut rite consecrari sponsalia, nisi utroque præsente, non videantur. Jure civili non modo sponsalia, si modo sine stipulatione fuerant, verum etiam nuptias inter absentes contrahi, satis constat. *l.* 4. *l.* 5. *l. ult. D. h. t. l. mulierem*, 5. *D. de rit. nupt.* Sed, cum jure divino consecratio in utrisque requiratur; ea non rite, nisi utroque præsente, fieri posse videbatur. Quodsi ecclesiastico jure certa verborum formula, hoc est, interrogatio responsioque, exigitur; non dubium est, quin præsentia etiam requiratur. *l.* 1. *D. de verb. obl.* Ex contrario pugnat, quod jure divino quantumvis gravium & magnarum

confederationum pactiones etiam per legatos & internuncios fiunt. Item jure civili præter legis actiones nullum negotium est, quin per internuncios expediri possit: adeo ut etiam repudium & divortium per internuncios, non modo jure civili, verum etiam divino, fieri soleat. Unde usitata locutio, *nuncium mittere*. Et apud Hebræos, *libellum repudii mittere*. Quare probabilius videtur, sponsalia etiam inter absentes contrahi: dum tamen utraque pars seperatim precatione & consecratione fungatur; hoc est, ut singuli testibus non minus septem convocatis, adhibito præterea ecclesiæ pastore, pronuncient, sibi esse in animo matrimonii societatem cum absente, quo de agitur, contrahere; voluntatemque absentis cum sua congruentis, non modo ipsius, verum etiam parentum atque idoneorum auctorum manibus subscriptam, edant; atque ad extremum pastor ei conventioni bene in nomine Jesu Christi precetur.

CAPUT II.

De formulis ſponſaliorum, quæ vulgo dicuntur verba de futuro, & verba de præſenti, *adverſus Canoniſtas inſtituta diſputatio.*

SEQUITUR altera quæſtio, Quibus verbis ſponſalia contrahenda ſint. hoc eſt, utrum verbis in futurum, an in præſens tempus conceptis. Quæ Decretaliſtarum diſputatio eſt, non modo in ſcholis, verum etiam in uſum vitæ recepta: cum illam formulam, *Ego te in meam accipio*; &, *Ego te in meum*; adpellant verba de præſenti: at illam, *Ego te recipiam in meam*; &, *Ego te in meum*; verba de futuro. Per illa, matrimonii obligationem contrahi dicunt: per hæc, nudam fieri pactionem, & quaſi quandam de nuptiis deliberationem. *c. commiſſum*, 16. *c. tuæ*, 15. *c. pen. & c. ult. ext. de ſponſal. c. licet*, 3. *ext. de ſponſ. duor.* Primum, quia verba *ſpondendi*, *promittendi*, *repromittendi*, vi ac natura ſua futuri temporis demonſtrationem continent; repugnantque, deſponſam eſſe alicui aliquam, &, eandem illi traditam in manum fuiſſe, atque (ut more Romano loquamur) in manum ipſius convenifſe. Quapropter ſponſalia definiuntur *repromiſſio futurarum nuptiarum*; quemadmodum

dum ſupra diximus, *ex l. 1. D. h. t.* &, alio loco, *ſpes futurarum nuptiarum*, *l. ſi uxor*, 13. §. 3. *D. ad l. Iul. de adult.* Sponſus item definitur, qui nuptias quidem promiſit, ſed nondum maritus eſt. *l. 1. §. 2. D. pro dot.* Præterea, ſatis conſtat, inter ſponſalia & nuptias non modo in re diſcrimen, verum etiam in tempore intervallum eſſe. Nam ſponſalia verbis tantum & promiſſione conſtant: *d. l. 1. h. tit.* neque ſola in mariti domum deductione conſtitui intelliguntur. *l. quæſitum*, 9. *D. h. t. l. cum hic ſtatus*, 32. §. *pen. D. de donat. int. vir. l. dotis*, 68. *D. de jur. dot.* at nuptiæ traditione & acceptione conſtant, hoc eſt, datione in manum, & ductione in mariti domum, ut ſupra dictum eſt, *ex l. pen. D. de don. int. vir. l. 6. C. de don. ant. nupt.* Per ſponſalia contrahitur adfinitas: *l. 8. D. de cond. cauſ. dat.* per nuptias juſtum conjugium. Per ſponſalia contrahitur obligatio, ſive naturalis, ſive etiam ex parte civilis, ut ſupra demonſtravimus: at per nuptias diſſolvitur. Per ſponſalia vir & mulier, ſponſi & ſponſæ nomine adpellantur: per nuptias mariti & uxoris nomen adſequuntur. *d. l. 6. C. de don. ant. nupt. l. 5. C. de bon. quæ lib.* Quæ deſponſa eſt, in patris & adgnatorum familia eſt, vetuſque domicilium retinet: *l. ea quæ*, 32. *D. ad municip.* quæ jam uxor eſt, in domici-

lium

lium & familiam viri translata est. *l. quacunque*, 10. *C. de re milit. l. pen. §. Iul. D. quod falſ. tut. auct. l.* 1. §. 15. *D. de ſenat. Silanian.* Itaque ſponderi & deſponderi dicitur mulier, quæ promittitur fore ut in manum detur. Datur vero, cum in viri manum ducenda traditur. Denique, quemadmodum promittere & dare, vendere & tradere diverſa ſunt, neque in idem momentum cadunt; ita ſponſalia & matrimonium cadere in unum idemque temporis punctum non poſſunt. Ex quibus intelligi poteſt, ſponſalia per illa, quæ dicuntur verba de præſenti, conſtitui non poſſe, ne in unum idemque temporis punctum & promiſſio & datio, hoc eſt, obligatio & ſolutio, cadere dicantur: alioqui donatio inter ſponſos nihilo magis quam inter conjuges valeret; contra *l. 6. C. de donat. ant. nupt. l. cum hic ſtatus*, 32. §. *penult. D. de donat. int. vir.* ſponſa ſponſum lugere cogeretur; neque ante legitimum tempus luctus nubere, propter infamiæ pœnam, auderet. contra *l.* 10. *D. de his qui not. infam.* Concludendum eſt igitur, cum ſponſalia ſint promiſſio futuræ præſtationis, cum per ea futurarum nuptiarum obligatio contrahatur, ea non niſi per verba futuri temporis recte conſtitui: *Spondeo, me tibi maritum fore: Spondeo, me tibi uxorem fore.* Quodſi verba præſen-

tis

tis temporis uſurpantur, *Accipio te in uxorem*, *Accipio te in maritum*; tum per ea verba neque ſponſalia contrahi (quia datur & accipitur, non promittitur: ut cum pontifex virgini Veſtali dicebat, *Te*, *Amata*, *capio*, apud Agellium) neque matrimonium: quia jure civili matrimonium non verbis, ſed ſolenni in domum deductione contrahitur. *d. l. 6. C. de donat. ant. nupt.* Jure autem divino matrimonium ſine præcedentibus ſponſalibus contrahi non poteſt, ut ſuperius docuimus: quamvis Romano jure nonnunquam nuptiæ ſine ſponſalibus contrahebantur; ut ex Plauti, & Terentii, & pleriſque Juriſconſultorum locis intelligitur. quippe cum, perditis reipublicæ temporibus & profligatis civitatis moribus, etiam tacite & re ipſa, matrimonia ſine ullo ritu, ſolo uſu & conſuetudine annua, contraherentur; fœdo certe & turpi atque improbato more, ut inter omnes bonos conſtat. Nequaquam igitur probanda eſt illa Petri Lombardi argutia, qui, cum juris civilis minus quam theologiæ peritus eſſet, *lib. 4. diſt. 28.* ita loquitur: *Aliud eſt promittere, aliud facere. qui promittit, nondum facit. Qui ergo promittit, ſe aliquam in uxorem ducturum, nondum eam in uxorem duxit*; *&*, *qua ſpopondit, ſe nupturam, nondum nupſit.* Quid tum poſtea, juriſconſulte noſter? *Ergo*, inquit, *aliud*

aliud eſt per verba de futuro, aliud per verba de præſenti ſponſalia contrahere. Quippini? nam per illa, vera & juſta ſponſalia contrahuntur: per hæc, neque ſponſalia contrahuntur; quæ ſua natura in futurum tempus conferuntur: neque nuptiæ; quæ nudis verbis ſine ſolenni ritu & deductione non contrahuntur. Sed tamen non idcirco dicendum eſt, Quemadmodum aliud eſt promiſſio de vendendo, aliud venditio; ſic aliud eſt promiſſio matrimonii, aliud matrimonium. Multo etiam minus hoc modo: Quantum intereſt inter pactionem de futuro contractu, & ipſum contractum; tantum fere diſtant ſponſalia de futuro, à ſponſalibus de præſenti, quæ ſunt ipſe contractus conjugii. Hæc atque hujuſmodi multa dici video à bonis theologis, ſed non bonis juriſconſultis. Nam jure civili promiſſio de vendendo aut locando nullius momenti eſt. nudi enim pacti nulla obligatio eſt. *l. ſi tibi, 27. C. de loc. & cond. l. nudæ, 5. C. de contr. ſtip.* Nudæ pollicitationis, ait Paulus, obligatio nulla eſt: *lib. ſent. 2. tit. 14. & lib. 5. tit. 12.* Sic promiſſio de donando, jure Digeſtorum non erat obligatoria, & perſpicue à donatione ſeparatur, *l. 1. D. de tranſaction. l. cum donationi, 34. C. eod. l. in ædibus, 9. D. de donation. l. ex conducto, 13. §. Papinian. D locat. l. 3. C. de repud. hered.* Con-

ventio

ventio de redhibendo non est redhibitio. *l. quodsi nolit*, 31. §. *illud plane*, 18. *D. de ædil. edict.* At promissio de contrahendo matrimonio certam obligationem, si minus jure Digestorum efficacem, at certe naturalem & jure divino firmissimam parit. Sic igitur apte & cum jure civili congruenter dictum fuit, Quantum interest inter contractum emtionis, venditionis, & traditionem rei venditæ; tantum fere interest inter sponsalia & nuptias. nam per illam obligatio contrahitur. cujus vis non ea est, ut rem emtoris faciat; sed ut venditorem ad rem tradendam obliget, aut id, quod interest, præstandum. *l.* 3. *D. de obl. & act. l.* 1. *& pass. D. de act. emt.* Per hanc vero rei venditæ dominium, quod penes venditorem fuit, in emtorem transfertur. Quodsi quis roget, qualis per sponsalia obligatio contrahatur; ita respondendum est: Si quidem dies nuptiis dictus est, esse obligationem in diem; sin autem dictus non est, puram esse. Dies autem aut certa est, veluti, *kal. Maii*; aut incerta, veluti, *cum utrique nostrum erit commodum.* Hoc casu, sicuti ex stipulationibus in diem, ita ex sponsalibus præsens obligatio contrahitur, sed præstatio in diem differtur; ac peti res, prius quam dies venerit, non potest. *l. obligationum*, 44. §. 1. *D. de obl. & act. l. centesimis*, 46. *D. de verb. obl.* Sin autem

diei

diei mentio facta nulla est, præsens quidem obligatio nascitur; ac statim sponsa sponso debetur. *l. ei qui kalendis*, 41. *D. de verb. obl.* peti tamen prius non potest, quam tantum temporis præterierit, quo & commode & honeste fieri præstatio possit. *l. quod dicitur*, 105. *l. liber homo*, 118. *D. de verb. obl.* §. *ult. Inst. de inut. stipul.* Addidi autem, *honeste*; partim propter regulam juris civilis antiquam, Ut in matrimoniis non tantum, quod licet, consideretur, sed etiam quod honestum est. *l. semper*, *D. de reg. jur.* partim propter apostoli præceptum, qui jubet, omnia in ecclesia recte atque ordine administrari. Sed quæ tandem istius novi & antea inauditi juris in usum Christianorum inducendi causa fuerit, paulisper considerandum est. Nam mihi quidem sic videtur: Cum animadversum esset, nonnullos è Christianorum numero libertatem illam in repudiis mittendis amplecti, & sponsalia de futuro contracta pro nihilo ducere; commodius visum est, ea per verba de præsenti constituere, ut eo modo pura & præsens obligatio contraheretur. Verum intelligere debebant, primum, isto modo, Dei institutum in ecclesia & moribus Christianorum abrogari. Nam, cum Deus sponsalia nuptiis antecedere, primumque illum ad nuptias gradum esse voluerit; si sponsalia eodem, quo nuptias,

ptias, modo contrahimus, an non ſponſaliorum uſum ex eccleſia tollimus, & res inter ſe disjunctas confundimus? Deinde, illi levitatis & repudiorum malo Deus ſatis pro ſua ſapientia occurrerat; cum ei, qui ſine cauſa repudium mitteret, adulterii crimen impoſuerat. Atque hæc quidem de ſponſalitiorum verborum formulis & conceptionibus, à Decretaliſtis inſtitutis, dicta ſint. Proximum eſt, ut, quod jus illarum formularum eſſe voluerint, conſideremus. Primum autem hoc fuit, ut ſponſalibus de futuro impune ac ſine fraude renunciare liceret: quemadmodum ſocietati, negotiationis cauſa contractæ, libere ab uno ex ſociis renunciatur. *c.* 2. *&* *c. requiſivit*, 17. *ext. de ſponſal.* quod apertiſſime cum jure divino pugnare, ſupra multis locis demonſtratum eſt. Secundum, hoc fuit, ut, qui cum muliere ſponſalia per verba de futuro contraxit, idem cum altera per verba de præſenti contrahere ſponſalia, atque adeo matrimonium, poſſit. *c. commiſſum*, 19. *c. pen. ext. eod.* Quod cum idem juri divino perſpicue adverſatur, tum etiam civili æquitati, ut, quemadmodum qui binas uxores habet, ſic & qui binas eodem tempore ſponſas habet, infamia notetur. *l.* 1. *D. de his qui not. infam. l. eum qui*, 18. *C. ad leg. Iul. de adult.* Quin etiam mulier, quæ ipſi nubet, ex civili æquitate,

ſtupri

ſtupri tenebitur. *l. pen. D. ad leg. Iul. de adult.* Tertium eſt, ut ſponſalia, de futuro facta, per inſequentia verba de præſenti contracta, ipſo jure evaneſcant. *c. ſicut ex literis*, 22. *ext. eod.* contra naturalem & civilem æquitatem: qua conſtitutum eſt, ut, quo quidque modo contractum eſt, contrario modo diſſolvatur; ac propterea certa in repudiis verborum ſolennitas uſurparetur: *Conditione tua non utor.* l. 2. D. de divort. quippe cum æquitas, honeſtas, humanitas denique, poſtulet, ut mulieri honeſtæ, cui vir fidem dedit, ſi eam fallat, mature & teſtato, ut ſibi conſilium capiat, denunciet: neve minor ſanctiſſimæ ſocietatis inter virum & mulierem initæ, quam ejus quæ negotiationis cauſa contracta eſt, religio eſſe videatur, quæ ſine renunciatione tacite pro ſocii libidine atque arbitrio diſſolvi non poteſt. Quid multa? cum eodem civili jure, qui ſciens, non rite atque ut oportet, repudiatam à marito uxorem ducit, adulterii teneatur. *l. pen. D. ad leg. Iul. de adult.* tantumque in obſervanda repudiorum forma momentum poſitum eſt, ut repudium, non rite, &, ut Ulp. ait, non ſecundum legitimam obſervationem factum, pro infecto habeatur. *d. l. pen. & l. ſi non ſecundum*, 35. *D. de don. int. vir. & ux. l. un. in fin. D. und. vir & ux. l. nullum*, 9. *D. de divort.* Quartum jus

eſt,

est, ut concubitus, sponsalia per verba de futuro secutus, pro justo & connubiali habeatur. *c. veniens*, 15. *c. cum is, qui fidem*, 31. *ext. de sponsal. c. de illis*, 3. *& c. per tuas*, 6. *ext. de cond. adpos.* Quod non modo divino & humano, verum etiam huic ipsi Decretalitio repugnat. Divino juri; quoniam nullus eo jure concubitus, nisi inter maritum & uxorem, justus & legitimus habetur. Maritus autem & uxor, ante nuptias & deductionem in domum, non dicuntur. *l. 6. C. de don. ant. nupt. l. pen. D. eod.* Civili juri; quia nuptiæ contra leges contractæ, hoc est, concubitus falsarum nuptiarum nomine admissus, pro stupro numeratur. *l. qui pupillam*, 7. *D. ad leg. Iul. de adult. l. præfectus*, *D. de rit. nupt. l.* 3. §. 1. *D. de don. int. vir. l.* 4. *C. de nupt.* Quintum est, ut concubitus sponsalia per verba de præsenti contracta secutus, pro legitimo & matrimoniali concubitu censeatur. *c. sicut*, 22. *ext. eod.* Quod à sanctissimo Dei instituto plane alienum est: qui, cum à nuptiis sponsalia distinxerit, sine dubio diversa illarum & horum jura instituit: quæ scelerate ac nefarie ab istis sacrilegis confunduntur.

CA-

Caput VIII.

Altera contra Canonistas disputatio de sponsalibus, quæ vel pure vel sub conditione & in diem contrahi dicuntur.

Alia quæstio est, utrum pure, an sub conditione, & in diem, contrahi sponsalia possint. Nam eodem Decretalistico jure receptum est, ut sponsalia quandoque pure quandoque sub conditione contrahantur. *c.* 1. *& c. per tuas, & pass. ext. de cond. adpos.* In eandemque sententiam & Petrus Lombardus, & plerique alii Sorboniſtæ, multa disputant. Sed haud satis perite, meo quidem judicio. Sponsalia enim neque pure, neque sub conditione contrahi possunt. Pure idcirco non possunt, quia pure promissum statim peti potest. Sponsa autem peti jure divino, ut superius demonstratum est, nisi post tempus aliquod, non potest. Sub conditione non contrahuntur, quia promissio conditionalis obligationem suspendit; incertumque relinquit, utrum res debeatur, an non, quoniam in incerti casus eventum obligatio collata est. *l. conditionales, 64. D. de verb. obl. §. 4. Instit. eod.* At sponsalia jure divino obligationem pariunt: ut sine adulterii crimine sponsus

alteram ducere, ſponſa alteri nubere, non poſſit: quemadmodum ſuperius expoſitum eſt. Quid ergo eſt? Dicendum ſcilicet fuerat, ſponſalia in diem contrahi: vel certam; veluti, *kal. Mais proximis:* vel incertam; veluti, *cum utriſque commodum videbitur*, ut in manum conveniant, & nuptias celebrent. Nam, ſicut ex ſtipulationibus in diem præſens naſcitur obligatio, ſed ſolutio in diem differtur: ac peti res prius quam dies venerit, non poteſt: *l. obligationum*, 44. *D. de obl. & act. l. centeſimis*, 46. *D. de verb. oblig.* ita ex ſponſalibus quidem confeſtim obligatio naſcitur; ſponſuſque & ſponſa debentur: ſed petere alter alterum ante diem conſtitutum non poteſt: quemadmodum paulo ante dictum eſt.

FRAN-

FRANCISCUS HOTMANUS, J.C.,

DE

RITU NUPTIARUM

ET

JURE MATRIMONIORUM.

CAPUT I.

Matrimonium inter, & nuptias, differentia, & utriusque definitio proposita.

PRIMUM illud observandum est, quamvis matrimonii & nuptiarum nomina interdum promiscue usurpentur; velut *in* §. 1. *Instit. de pat. potest. & l. si ita*, 10. *l. eos qui*, 65. §. 1. *D. h. tit.* hanc inter illa differentiam observari posse: quod matrimonium est conventio inter virum & uxorem, de perpetua vitæ societate; nuptiæ vero, celebratio matrimonii, quæ certo ritu, pro variis cujusque civitatis legibus, instituta est. *l. pen. D. de don. int. vir. & ux.* Similiterque matrimonium à nuptiis distinguitur *in d. l. si ita, & l. seq. D. h. tit. §. si adversus, Inst. de nuptiis. l. inter eos*, 27. *D. de don. int. vir. & ux. l. neque*, 13. *C. de*

nupt. Sed facilioris disciplinæ causa conjugium pro generis nomine statui poterit, ejusque duæ species substitui: matrimonium, & nuptiæ. *Matrimonium* autem ita definiemus, ut fit *justa viri & mulieris conventio de individua vitæ societate, liberorum quærendorum causa instituta.* Dixi, *justam*; quoniam conventio, quæ contra legum præcepta contracta est, neque nuptiarum, neque matrimonii jure censetur. §. *si adv. Instit. de nupt. l.* 4. §. 8. *D. de grad. l.* 3. *D. de jur. dot. l.* 6. *C. de incest.* Dixi, *de perpetua vitæ societate*; ut apud Justin. *tit. de patr. pot. l.*1. *D. rer. amot. l. si rerum*, 52. *D. de re jud.* nam etsi quodam tempore libera divortia fuerunt; tamen Dionysius Halic., *lib.* 2., testatur, eam libertatem primis & antiquis reip. R. temporibus non fuisse: ac propterea divortium Romæ per annos 520 nullum fuisse: quod Agellius confirmat, *lib.* 4. *c.* 5., & Plinius *lib.* 7. *c.* 9., & Tertull. *in Apologet.* Quinetiam quamvis Romano jure libertas illa retenta sit, tamen vel ominis causa non fuit hæc adjectio in definitione prætermittenda: cum eo animo matrimonia contraherentur, ut perpetua manerent. *l. si, cum dotem*, 22. §. *maritus*, 7. *D. sol. matr.* Dixi, *liberorum quærendorum causa*; quoniam id demum jure nostro legitimum matrimonium est, quod

ea

ea causa est institutum. Ulp. tit. reg. 4: *Si uxorem duxerit, testatione interposita, quod liberorum quærendorum causa uxorem duxerit.* Quapropter inter eos, qui vel ætatis vitio generare liberos non possunt, contrahi legitimum matrimonium non potest, ut alibi jam dictum est.

Caput II.

De personis, quæ contrahere nuptias possunt: ubi de ætate, statu, patria, & conditione earum disseritur.

Deinceps ad partitionem accedamus. Ac de personis primum videndum est. Quarum jus in his octo versatur: ætate, statu, patria, conditione, potestate, cognatione, adfinitate, & adoptione. Ergo de ætate sic habendum est: Quantum ætatis tempus ad procreandos liberos idoneum fuit, tantum ad contrahendas nuptias legitimum fuisse: itaque, ut primum idoneum esse cœpit, legitimum esse cœpisse; simul atque desiit, simul etiam desiisse. Idoneum autem esse incipit à pubertate. Sed, cum de pubertate lex vetus (opinor 12 tab.) scripta esset, quæsitum est inter jurisconsultos, quoto ex anno pubertas æstimaretur. Cassiani ex habitu corporis æstimabant. quod Justinianus interpretatur de pube à judi-

cibus inſpecta: ſed in maribus duntaxat: cum in feminis anni 12. exitus ſpectaretur. *pr. Inſt. quib. mod. tut. l. ult. C. quando tut. vel cur.* Proculiani vero decimi quarti anni finem tantummodo requirebant. Priſcus Javolenus utrumque; hoc eſt, & corporis habitum, & annorum numerum: ut Ulp. *reg. tit.* 11. teſtatur. Proculianorum ſententia recepta eſt: qui, quod ἐπὶ τὸ πλεῖον accidit, ſpectabant. Nam Macrobius, Saturn. lib. 7. cap. 7., *Secundum jura publica*, inquit, *duodecimus annus in femina, & quartus decimus in puero, definit pubertatis ætatem.* Tertull. de virg. vel. *Tempus etiam ethnici obſervant, ut ex lege naturæ jura ſua ætatibus reddant: nam feminas quidem à duodecim annis, maſculos vero à duobus amplius, ad negotia mittunt: pubertatem in annis, non in ſponſalibus aut nuptiis, decernentes.* hoc eſt, non quo tempore contrahere nuptias poſſunt. Quod idem Plutarchus *in Numa*, & Dio *lib.* 54. teſtantur. Legis autem hujus ſanctio hæc fuit, ut, ſi nuptiæ ante id tempus celebratæ eſſent, hoc eſt, ſi puella ante id tempus in viri domum ſolenniter, adhibita pompa nuptiali, deducta fuiſſet; non ante juſta legitimaque uxor haberetur, hoc eſt, non ante uxorium ei jus competeret, quam apud virum 12. annum impleſſet: *l. minorem*, 4. *D. h. t.* veluti, ut dos ei debe-

retur.

retur. *l. dotis promissio, 68. D. de jur. dot.* Fuit autem inter veteres quæstio, Si nuptiæ ante mulieris pubertatem celebratæ essent, id est, si mulier impubes in viri domum deducta esset, cum vere proprieque nuptiæ non essent, an hæc tamen sponsalia dici possent. Qua in sententia Julianus fuit, opinor, ut, quod actum erat, aliquatenus valeret potius quam periret. sicuti acceptilatio per se inutilis, tamen pro pactione valet. *l. si unus, 27. §. pen. D. de pact.* Contrariam tamen sententiam Labeo, Papin. & Ulp. amplexi sunt: propterea quod sponsalia, non in domum deductio facit; *l. quæsitum, D. h. t. l. cum hic status, 32. §. pen. D. de don. int. vir. & uxor. l. dotis, 68. D. de jur. dot.* sed expressa promissio futurarum nuptiarum. *l. 1. D. h. t.* Quod etiam valet ad refutandum inveteratum errorem, ex colluvie Canonistarum in usum vitæ importatum, ut verba præsentis temporis, in accipienda uxore pronunciata, sponsaliorum nuptiarumque vim habeant. Nam neque sponsalia hæc dici possunt, cum futurarum nuptiarum promissio nominatim facta nulla sit: neque nuptiæ, quia in pubere deductio fuit; in impubere, præter deductionem, eadem promissio. Atque hæc quidem de ætate dicta sint. Deinceps de statu videamus. Ergo de statu personarum hoc jus fuit, ut inter libe-

ros & servos connubium non esset. *l. Proculus, 67. D. de jure dotium.* ubi contractum inter liberum & ancillam matrimonium pro nullo haberi traditur. Itaque ex eo concubitu concepti, servi nascuntur. *l.* 3. *C. de incest. nupt.* & apud Ulp. *in regulis.* Quodsi mulier libera servo se alieno junxerat, jure antiquo, ex S. C. Claudiano, si denunciante domino non desistebat, ei domino cum suis bonis omnibus in servitutem addicebatur. Quod tamen à Justiniano abrogatum est. *l.* 1. *C. de senat. Claud.* & apud eund. Ulp. *reg. tit.* 11. Præterea, nec adscriptitio cum libera muliere connubium est, quamvis dominus consenserit. Qui tamen ex eo concepti sunt, liberi nascuntur, ex Justiniani constitutione. *l. ult. C. de agric. & censit. lib.* 11. *& Novell.* 22. *& Novell.* 54. Adscriptitiæ tamen cum homine libero connubium est: ex eoque concepti, adscriptitii nascuntur. *l. mulier*, 16. *& d. l. ult. C. de agric. & cens.* De patria jus hoc constitutum est, ut, qui cives R. non sunt, nisi civitate impetrata, connubii jus non habeant. *pr. Inst. de nupt.* adeo ut ex peregrino & cive R. natus, peregrinus esset, ex lege Mensia. de qua Ulpian. *tit. regul.* 5. Seneca lib. de benef. 4: *Promisi tibi filiam in matrimonium: postea peregrinus apparuisti: non est mihi cum externo connubium.* Itaque Livius, *lib.* 37. scribit,

scribit, Campanos non nisi civitate impetrata jus connubii cum Romanis mulieribus habuisse. Post, cum Antonini constitutione omnes, qui in orbe Romano erant, cives Romani effecti essent, *l. in orbe*, 17. *D. de stat. hom.* barbaris tantum jus connubii denegatum est. *l. un. C. Th. de nupt. gent.* Porro, conditio personarum partim in dignitatis gradu, partim in familiæ jure consistit. In dignitate, veluti utrum quis patricius sit, an plebeius. nam lege 12 sancitum fuerat, ut ne inter patricios & plebeios connubii jus esset. quam abrogatam fuisse Livius, *lib.* 4., & Dionys., *lib.* 11., testantur. Item, utrum quis ingenuus sit, an libertinus. Nam antiquo jure inter eos connubium non fuisse, patet *ex l. lege Papia*, 23. *D. h. t.* Ubi Celsus ait, lege Papia nominatim cautum fuisse, ut id deinceps extra Senatorum ordinem liceret. Sed & Dio, *lib.* 54., scribit, cum major esset ingenuorum marium numerus quam mulierum, Augustum illa lege permisisse omnibus, præter senatores, ex libertino genere uxores ducere; justosque ex eo matrimonio liberos nasci statuit. Eadem tamen lege interdicta ingenuis matrimonia fuerunt cum infamibus feminis: veluti, lena; item à lenone lenave manumissa; item ea quæ palam corpore quæstum faceret, fecissetve; item quæ

in adulterio deprehensa, judiciove publico damnata; vel quæ artem ludicram exercuisset, ut ait Ulp. *reg. tit.* 13. Eoque varii jurisconsultorum loci referendi sunt, ex eorum in leg. Juliam & Papiam commentariis sub hoc Digest. tit. descripti. veluti, *l. palam*, 43. *l. generali*, 34. *§. ream. l. reas*, 29. *eod.* Ad dignitatem præterea pertinet senatorii ordinis gradus: de quo lege Julia sancitum est, ne quis senator senatorisve filius, nepos, pronepos, libertinam aut infamem uxorem duceret: neve senatoris filia, neptis proneptisve ex filio, libertino infamive viro nuberet. *l. oratione*, 16. *D. h. t.*

CAPUT III.

De patria potestate, patrumque in nuptiis consensu, & auctoritate tutorum: sed primo de rectoribus provinciarum.

SEQUITUR potestatis consideratio. Quæ tripartita est. Nam prima in provinciarum rectoribus, altera in parentibus, tertia in tutoribus & curatoribus versatur. Nam provinciarum rectoribus, eorumque officialibus, itemque filiis, interdictum est, ne inde oriundam, vel ibi domicilium habentem, uxorem ducant. *l. si quis officium*, 38. *D. h. t.*

D. h. t. Quod propter potentatus rationem institutum Papinianus scribit: ne videlicet non ducere, sed potius trahere, extorquere, eripere uxores viderentur. *l. præfectus*, 63. *D. eod.* Idque jus mandatis principum introductum fuisse, patet *ex l. eos qui*, 65. *D. eod. l.* 6. *C. de nupt.* quibus statuitur, ut, si post depositum officium ambo in eadem voluntate maneant, nuptiæ convalescant, liberique postea suscepti justi habeantur. Hoc autem etiam ad illorum propinquos, comites, & domesticos posterius productum est. *l.* 1. *C. si rect. prov.* De filiabus diversa ratio est: nam eas in matrimonium collocare suo arbitratu possunt. *d. l. si quis officium*, §. *ult. D. h. t.* Cujus diversitatis ratio summo labore à multis investigata est. Ego hanc expeditissimam & certissimam arbitror, quia filia deposito officio sic relinquitur in provincia, ut eam maritus suo arbitrio vel male ob patris injuriam multare possit, vel repudiare, & ad suos remittere. Utcunque sit, Leonis Philosophi constitutione etiam hæc familiarum matrimonia interdicta sunt. *Novell.* 23. Sequitur parentum potestatis consideratio. De qua ita statuendum est, Nuptias à filiis filiabusve fam., non jussu ejus, cujus in potestate sunt, contractas, injustas esse. *l.* 2. *D. h. t. pr. Inst. de nupt.* adeo ut nec distractæ reconciliari, sine

eorundem conſenſu, poſſint. *l. nuptiæ*, 18. *D. h. t. l. ſi, ut proponis*, 7. *C. de nupt.* Legis æquitatem Juſtinianus partim civilem eſſe ſcribit, hoc eſt, patriam poteſtatem; partim naturalem, quam juriſconſulti æque propemodum, ut illam, obſervant; nimirum honorem & reverentiam, quæ naturæ jure parentibus æque omnibus debetur. *l.* 2. *D. de juſt. & jur. l.* 6. *D. de in jus voc.* Itaque Plutarchus, cum *in vita Numæ* ſcribit, eum Romuli legi, de patria liberorum vendendorum poteſtate, derogaſſe, ſi modo uxorem auctoritate & juſſu patrum duxiſſent: εἰ δ' πατρὸς ἐπαινοῦντος καὶ κελεύοντος ἀγάμους γένοιτο: perſpicue ſignificat, ſi contra ipſorum voluntatem duxiſſent, integram legem reliquiſſe. Verum ex illa regula multiplex naſcitur diſputatio. Prima eſt de perſonis parentum. Quid enim, ſi de nuptiis nepotis aut neptis ex filio in poteſtate retento quæratur, utrum & avi & filii conſenſus requiratur, an avi ſolius ſufficiat? De qua quæſtione, ut ingenue fatear, non puto ſatis inter juriſconſultos conveniſſe. Nam Paulus, *in l.* 3. *D. h. t.* ſolius avi conſenſum ſufficere adfirmat: at idem, *in l. oratione*, 16. §. 1. etiam filii conſenſum requirit. Ulpianus autem, cum *in l. ſi nepos*, 9. *eod. tit.* ſcribit, ubi pater furit, avus ſapit; ſi nepos velit uxorem ducere, ſolius avi voluntatem

luntatem ſufficere: an non aperte oſtendit, ſi uterque ſapiat, utriuſque voluntatem exquiri? Neque me recepta & uſitata ſolutio movet, quod in priore loco nepos ex uno filio, neptem ex altero, id eſt, frater patruelis ſororem patruelem, ducebat: in altero vero nepos extraneam ducebat: ac proinde invito ſuus heres adgnaſcebatur, contra juris regulam *in l. 6. D. de adopt. §. 7. Inſt. eod.* Nam, cum inter omnes conſtet, ſuum heredem eum demum dici, qui primum in teſtatoris familia heredis locum obtinet; pronepos ex illis nuptiis vivo filio naſciturus, filio ſuus heres adgnaturus non erat: nepos autem, qui volens nuptias contrahebat, dici invitus non poterat. Mihi autem probabilior Pauli ſententia poſterior ideo videtur, quia videmus, etiam in nuptiis nepotis ex filio emancipato, avi, qui in poteſtate non habet, conſenſum, ſi minus civili, at certe naturali jure, hoc eſt, honeſtatis ratione, requiri. *l. 3. §. ſi emancipatus, D. contr. tab.* Utcunque ſit, illud conſtat, per illa regulæ ſuperioris verba, *quorum in poteſtate ſunt*, excludi primùm matrem & avum maternum, deinde patrem emancipati filii filiæve. Verum id civili tantum ratione. Nam honeſtatis cauſa, quæ in conjunctionibus dominatur, *l. ſemper*, 42. *D. h. tit.* non modo matris, ſed etiam

propinquorum consensus requiritur: quippe cum jure naturæ omnibus æque parentibus honos & reverentia debeatur. *l.* 2. *D. de just. & jur. l.* 1. *&* 2. *D. de obseq. parent. l.* 6. *D. de in jus voc.* Pietas parentibus, etsi inæqualis est eorum potestas, æqua tamen debetur. *l.* 4. *D. de curat. furios.* Eademque ratione, patris etiam, aut avi, qui filiam emancipavit, consensus requiritur. *d. l.* 3. *D. contr. tab.* Quamquam jure civili, quo per emancipationem patria potestas dissoluta est, natus ex eo matrimonio usque adeo justus filius habetur, ut nepos natus ex eo filio emancipato, qui non jussu patris uxorem duxerat, patri suus heres adgnascatur. *l. filius*, 23. *D. h. t.* Atque hæc quidem de filiis ita se habent. Filiarum enim diversa causa est. Nam filia, quamvis vel emancipatione, vel patris morte sui juris sit; tamen, si minor sit ann. 25, non modo primas, sed ne secundas quidem nuptias, sine parentum & propinquorum curatorumve suorum consensu contrahere potest: inter quos si de marito eligendo minus conveniat, ejus rei arbitrium judici tribuitur. *d. l.* 1. *l. viduæ*, 18. *l. in conjunctione*, 20. *C. de nupt.* Cujus rei exemplum exstat apud Livium, *lib.* 14. ubi scribit, magistratum secundum matris arbitrium nuptiarum jus dedisse. Major autem ea ætate filia, sine patris consensu nubens,

bens, exheredari non poteſt: ſed minor poteſt. *arg. l. cum te*, 18. *& l. filia*, 20. *C. de inoff. teſtam. & Novell.* 115. Sequitur altera de parentum perſona diſputatio. Quid enim, ſi pater aut abſit, aut furioſus exſiſtat? De abſente hoc jus eſt, ut, ſi vel apud hoſtes ſit, vel, ubi ſit, ignoretur, triennium ei exſpectando præfinitum ſit; cum eo tamen moderamine, ut, ſi filius eas nuptias contraxerit quas improbaturus non eſſet, ratæ haberentur. *l. ſi nepos*, 9. §. 1. *& ll. ſeqq. D. h. t.* De furioſo vero Juſtinianus ſcribit, antiquo jure in filia patris conſenſum non deſideratum fuiſſe. de filio, dubitatum. neque dubitandi cauſam exponit. Parem tamen ex Paulo utriuſque rationem habitam fuiſſe, patet *ex l. quoties*, 8. *D. de pact. dotal.* quippe cum à furioſo exſpectari conſenſus non poſſit. qua de cauſa contrahere matrimonium non poteſt. *l. oratione*, 16. *in fin. D. h. t.* Neque, opinor, illa fingi poteſt ratio, ne illi invito ſuus heres adgnaſcatur: cum, ſi ad ſanitatem revertatur, idem, quod de abſente domum reverſo, dici poſſit: nimirum, ut, ſi honeſtæ nuptiæ ſint, & quales ſanus pater non improbaturus fuiſſet, pro legitimis habeantur. Itaque Juſtinianus idem in filio, quod in filia, jus conſtituit. *l. ſi furioſi*, 25. *C. de nupt. pr. Inſt. eod.* Ubi autem de nepotis nuptiis agitur, & vel avus vel pater

ſolus

ſolus furit; ejus ſolius, ut jam diximus, qui ſapit, auctoritas ſufficit. *l. ſi nepos*, 9. *D. h.t.* Sequitur ſecunda diſputatio, quæ ex verbo *juſſus* oritur: Utrum ſcilicet conſenſus & adprobatio ſufficiat: an vero juſſus ex antefacto ſit neceſſarius: cum illo verbo & prætor & ceteri utantur, *in l.* 1. *D. de his qui not. infam. pr. Inſt. de nupt.* Sed intelligendum eſt, *juſſus* verbum in patrefam. uſitatum eſſe pro voluntate, conſenſu, adprobatione. *l.* 2. *D. ſol. matrim.* Itaque non modo conſenſus poſt nuptias expreſſus, non juſtas nuptias juſtas efficit, *l. dotis promiſſio*, 68. *D. de jur. dot.* ſed etiam tacitus conſenſus ſufficit. qui vel ex eo ſolo æſtimatur, quod pater non aperte factum improbat. *l. in ſponſalib.* 7. *D. de ſponſalibus. l. ſi, ut proponis*, 5. *C. de nupt.* Supereſt illa ex fine regulæ diſputatio, Ecqua illius, ſive regulæ, ſive legis, ſanctio ſit. id eſt, utrum nuptiæ, injuſſu patris factæ, ipſo jure non conſiſtant quidem, ſed vel à patre, vel à magiſtratu reſcindi poſſint; aut qui contraxerunt, aliqua pœna, veluti exheredationis, multari poſſint. Quam etiam quæſtionem retulimus *Illuſtr. quæſt. cap.* 9. Nam quod nuptiæ omnino nullæ ſint, videtur ex illis verbis diſputari poſſe: Nuptias hujuſmodi non conſiſtere: *l.* 2. *D. h. tit.* jure contractas non eſſe: Paulus, *lib. ſent.* 2. juſtos ex iis liberos non naſci:

nasci: *l.* 11. *D. de stat. hom.* denique, ut Papin. ait, *nuptias non esse*: sic enim Florentiæ scriptum est, *in l. dotis*, 68. *D. de jur. dot.* Quid verbis opus est? Nam Apuleius, *lib.* 6., ita scribit: *Nuptiæ in villa, & patre non consentiente, factæ, legitimæ non possunt videri: ac per hoc spurius iste nascetur.* Quod si verum est, sane difficile dictu est, magistratum filiis ex istiusmodi sive injustis, sive nullis nuptiis susceptis, jus redditurum; sive bonorum possessionem postulent, *l.* 1. *D. und. vir & ux.* sive inofficiosi agere instituant. Ne multis morer; credo, in hac quæstione idem dici posse, quod de falso testamento & falso modio dicitur *in l. Paulus*, 221. *D. de verb. sign. l.* 2. *D. test. quemad. aper.* nimirum, esse quidem testamentum & modium, sed ὁμωνύμως tantum. ut de magistratu Varro scribit: *Magistratus vitio creatus, nihilo secius magistratus est.* Et servus nefasto die à prætore liberatus, liber est, sed vitio liber. Atque has esse nuptias, quæ injustæ adpellantur *in l. si uxor*, 13. §. *plane*, 1. *D. ad leg. Iul. de adult.* totamque hanc quæstionem judicis prudentiæ committendam, qui filii merita expendat, dicitur *in l. capite*, 19. *D. de rit. nupt.* Nam, etsi justæ nuptiæ non dicantur, quantum ad patrem aut avum; tamen videntur, quantum ad conjuges, ex perse-

verantia

verantia eorum in matrimonio, nuptiæ convaleſcere. *argum. l. ſi quis in ſenatorio*, 27. *& l. eos qui*, 65. *D. h. tit. l. ſi contra*, C. *de nupt. d. l. dotis*, D. *de jur. dot.* Verum, ut ſingulas iſtius quæſtionis partes accuratius explicemus, quantum ad primam attinet, qua quæritur, An pater filiam, quæ ſine ipſius conſenſu nupſerat, abducere à marito poſſit; ita ſtatuendum arbitror, Legem illam Numæ, de qua paulo ante diximus, non videri ad filias productam; ſed civili jure, multis poſt Numam ætatibus, licuiſſe patrifa. filiam, etiam quam nuptum collocaverat, vi patriæ poteſtatis abducere: verum, ejus juris acerbitatem imperatorum conſtitutionibus mitigatam fuiſſe, & non modo matrimonium conſervatum, verum etiam, niſi gravis & magna repudii à patre mittendi cauſa interveniſſet, concedi ſolitam marito non modo exceptionem adverſus patrem, interdicto de liberis exhibendis utentem, verum etiam interdictum de uxore exhibenda, & ducenda, ad illius exemplum inſtitutum. *l. cum hic ſtatus*, 32. §. *ſi ſocer*, 19. *D. de don. int. vir. l.* 1. *in fin. l.* 2. *D. de lib. exhib. l. ult. C. eod. l. diſſentientis*, 5. *C. de repud. Nov.* 22. *& l.* 11. *C. de nupt.* Et ſecundum hoc jus poſtremum, imperatorum conſtitutionibus inductum, illud accipiendum eſt quod ait Paulus lib. ſent. 2. tit. 19.

filiorum-

filiorumfa. matrimonia, ſine parentum voluntate contracta, injuſta quidem eſſe, ſed tamen vi patriæ poteſtatis non diſſolvi: propterea quod publicæ utilitatis ratio privatorum commodis præfertur. Nam illas ſententias Paulus ad jus, quo tum utebatur plerumque, adcommodavit. Non igitur juſta erat uxor, non juſti liberi, neque iis de inofficioſo patris teſtamento querentibus jus dicebatur. Præterea, cum dicit, *privatorum commodis*, non obſcure oſtendit, graviorem ejus dirimendi matrimonii cauſam non fuiſſe; ſed patri tantum ita fuiſſe commodum, & ſine alia graviore cauſa ita placuiſſe: ſicuti de matre dicitur *in d. l. filia*, 20. *C. de inoff. teſt.* Eoque illi Enniani verſus pertinent, ex lib. ad Heren. 2.:

Injuria abs te adficior indigna, pater.
Nam ſi improbum eſſe Creſphontem exiſtimaveras,
Cur me huic locabas nuptui? ſin eſt probus,
Cur talem invitum invitam cogis linquere?

At quæ filia emancipata nupſit, abduci à patre non poteſt, nec ejus matrimonium dirimi. *d. l.* 5. *C. de repud. & d. l. cum hic ſtatus*, §. *ſi ſocer*, *D. de donation. inter vir. & uxor.* Sequitur altera quæſtionis pars, An liberi, qui contra parentum voluntatem matrimonium contraxerunt, exheredari poſſint. Sane, novo Juſtiniani jure non eſſe

juſtam

juſtam exheredationis cauſam, patet *ex Novell.* 115. ubi unam hanc ob cauſam nuptias contra parentis voluntatem contractas recenſet, cum filia oblatam ſibi à patre conditionem repudiavit, & aliam turpem delegit. At jure antiquo non dubito, quin illa cauſa probata centumviris fuiſſet; quorum de inofficioſis teſtamentis & exheredati meritis notionem fuiſſe, nemo ignorat. *l.* 3. §. *ſi emanc. D. de bonor. poſſeſſ. contr. tabul. l. filius, D. de inoff. teſtam. l. ſi filiam,* 19. *C. eod.* Primum propter vim patriæ poteſtatis, de qua ſup. diximus, ut non modo ex juris civilis regulis, verum etiam ex principum conſtitutionibus, liceret patri, ſi qua juſta cauſa eſſe videretur, filiam à genero abducere, & matrimonium diſſolvere. Deinde, quoniam edicto prætoris infamia notabatur filius, qui non juſſu ejus, cujus in poteſtate eſt, uxorem duxerat. *l.* 1. *D. de his qui not. inf.* Tertio, quia Ulp. teſtatur, juſtam irarum cauſam videri etiam contra emancipatum filium, atque adeo contra nepotem ex eo ſuſceptum, ſi filius injuſſu patris uxorem duxerit: &, ſi eum in ſuo teſtamento præterierit, ac velit nepos contra tabulas agere, judices ejus merita expenſuros; nimirum, ut ſi juſta irarum cauſa videatur, eum excludant. *d. l.* 3. §. 5. *D. contr. tab.* Neque obſtat *l. cum te,* 18. *C. de inoff. teſt.* ubi dicitur,

tur, non fuisse justam causam exheredandi filiam, quod patri divortium imperanti parere noluisset. Primum, quoniam ex verbis legis intelligi non potest, neque utrum ea filiafa., an emancipata fuerit; neque, si filiaf. fuit, utrum consentiente, an dissentiente patre, nuptias contraxisset. Atque hæc quidem de filiisfa.. Nam, quod ad filias attinet, cum etiam in emancipatis & matris & propinquorum consensus requiratur, nequaquam dubium est, quin filiafa. minor annis 25, quæ non jussu patris nupserit, justam patri exheredationis causam præbuerit, non tantum novissimo jure, *d. Novell.* 115., verum etiam antiquo. *arg. l. filia*, 20. *C. de inoff. test.* Sequitur tutorum & curatorum consideratio. Nam senatusconsulto cautum fuit, ut, qui tutor, curatorve, pupillam, adultamve, intra vicesimum & sextum annum suam duxit, filiove suo junxit, infamia notetur, & dotem datam restituat. *l. non est matrimonium*, 66. *D. h. t. l. si tutor*, 7. *C. de interd. matrim. l.* 4. *C. de excus.* Ubi juris istius æquitas hæc profertur, Quoniam istis artibus tutelæ administratæ rationes conturbantur, & fraudes malæ administrationis teguntur. Quod idem traditur *in l. libertum*, 64. *& l. non solum*, 67. §. 2. *D. h. t.* Ejus autem S.C. sententia, quatenus produci aut arctari debeat, considerandum est. Producitur

citur ergo hoc modo: Primum, ut etiam ad eos pertineat, qui tutores quidem non ſunt, tutelæ tamen periculo ſuo nomine obſtricti ſunt; veluti, qui ſe falſis adlegationibus à tutela excuſarunt. *l. ſi quis tutor*, 60. *eod.* Item, qui tutores honorarii fuerunt: nam ad hos quoque tutelæ periculum pertinet. *l. quod ſi forte*, 14. §. 1. *D. de ſolut.* Continentur etiam tutorum heredes, quamvis extranei: quippe qui reddendis tutelæ rationibus obſtricti ſunt. *l. libertum*, 64. §. 1. *D. h. t.* atque adeo, ejus qui tutor curatorve datus, non juſte adpellaverit: quoniam præteriti temporis damnum, ſi quod pupilla ſuſtinuit, debet adgnoſcere. *l. ſi quis tutor*, 60. §. *ultim. D. eod.* Item ad filios, ſive in poteſtate ſint, ſive emancipati. *l. non eſt*, 66. *D. h. t.* & ſive naturales, ſive adoptivi; quamdiu ſcilicet durat adoptio. *l. quinetiam*, 55. *in fin. eod.* item, ſive naturales, ſive in adoptionem dati, atque in alienam familiam tranſlati ſint. *d. l. ſi quis tutor*, §. *quamvis*, & §. *naturales.* Item ad eorum nepotes. *l. ſenatuſconſ.* 59. *h. t.* Præterea non modo tutore vivo filius ab iſtis nuptiis arcetur, verum etiam poſt mortem ejus qui tutelæ rationes non reddidit. Item, ſive ille heres exſtiterit, ſive abſtinuerit, ſive etiam exheredatus fuerit: quoniam fieri poteſt, ut patris bona, in eum collata, propter tutelæ rationes revocanda ſint. *l. non*

ſolum,

ſolum, 67. §. 1. *D. cod.* Similiter autem vice verſa filiusf. tutor non modo patri ſuam pupillam nuptum dare prohibetur, verum etiam fratri, qui in ejuſdem poteſtate eſt. *l. non ſolum*, 67. §. 2. *D. h. t.* Nam cum fratres, qui in ejuſdem poteſtate ſunt, quantum ad bonorum rationem, pro eadem perſona cenſeantur; *l. frater à fratre*, 38. *D. de cond. indeb.* frater, qui pupillæ ſuæ, fratri ſuo nubenti, auctoritatem ſuam adcommodaret, in rem ſuam auctor eſſe videretur, contra *l.* 7. *D. de auct. tut.* Nunc, quatenus S.C. ſententia coerceri debeat, videamus. Nam, cum diſerte ob tutelarum rationes factum ſit; *l. non ſolum*, 67. §. 3. *D. h. t.* conſentaneum eſt, primum, ut ad eos, qui aliis de cauſis debitores ſunt, non producatur; veluti ad eum qui pro tutore curatoreve negotia geſſit, cum revera tutor curatorve non eſſet. *l. ult. C. de inter. matr.* item ad fidejuſſores nominatoreſve tutorum, magiſtratuſve qui eos dederunt; quamvis, tutoribus deficientibus, eorum periculum ſubeant. *l. etiam*, 3. *D. de fidejuſſor. & nominat.* item ad filiam pupillæ etiam ante rationes redditas defunctæ: quoniam non tutelaris, ſed hereditaria ratio eſt. *d. l. non ſolum*, §. *penult.* Similiter, cum hoc S. C. factum ſit, ne res pupillorum familiaris intervertatur; *d. l. non ſolum*, §. 3. conſentaneum eſt, ne tutores pupillis, curatoreſve

reſve adultis, filias ſuas nuptum dare prohibeantur, quia nullum poteſt ex ejuſmodi matrimoniis periculum pupillaribus rationibus accidere. *l. libertum*, 64. *in fin. D. h. tit. l. curatorem*, 5. *C. de interdict. matrim.* item ne mater pupillæ cum filiæ ſuæ tutore, ipſiuſve nubere filio vetetur. *l.* 2. *C. eod.* Hujus autem S.C. exceptiones tres reperio. Prima eſt, ſi puella à patre ſuo vel deſponſata, vel teſtamento deſtinata ſit ſuo tutori, ejuſve filio. *l. ſi patris, C. de interd. matr. l. non eſt*, 66. *D. h. t. l. qui pupillam*, 7. *D. de adult.* Secunda eſt, ſi tutor rationes reddiderit, & puella annum ætatis 25. atque inſuper annum utilem exceſſerit, intra quem petere in integrum reſtitutionem poterat. *l. quamquam*, 62. *§. ult. D. h. tit. d. l. qui pupillam, de adult. l. ſi patris, C. de nupt.* quem annum utilem Juſtinianus in continuum quadriennium mutavit. *l. ult. C. de temp. in int. reſtitut.* Tertia exceptio eſt, ut, qui ſuæ uxori curator abſens & ignorans conſtitutus eſt, retinere uxorem poſſit; ita tamen, ut alium ſubſtituendum curet. *l.* 4. *C. de excuſ.* Nam etſi ejuſmodi curatoris datio non valet, *l. maritus, C. qui dar. tutor.* tamen, qui non jure tutores curatoreſve dantur, curare debent, ut alii ſufficiantur; aut pupillorum propinquos, ut id faciant, admonere. *l.* 1. *§. ultim. D. de eo qui pro tut. l. tutores*, 39. *§.*

qui

qui se, 2. *D. de administr. tut.* similiterque is, qui suæ nurui curator datus est, excusare se debet, dareque operam, ut alius curator constituatur. *l. licet*, 17. *C. de excusat. l.* 3. *C. de interd. matrim.* Sequitur ut de cognatione & adfinitate ex partitione nostra disseramus. Verum quia juris hujus utriusque disputationi commodior alibi locus est; statim postremum caput, quod de adoptione est, adgrediemur.

Caput IV.

De adoptione, quæ nuptias vel impedit, vel non impedit.

Adoptio, adgnationis sive (ut jurisconsulti loquuntur) civilis cognationis species est. *l.* 4. §. 2. *D. de grad.* à jure tamen & ratione sanguinis plane aliena. *l. qui in adopt.* 23. *D. de adopt.* hoc est, ab omni verâ cognationis jure. *d. l.* 4. §. 3. *& l. si quæ mihi*, 12. *§. ult. D. de rit. nupt.* Adfinitatem autem per adoptionem jure contrahi, alio loco ex eo probavimus, quod adfinitas juris naturalis est, adoptio vero civilis. qua de causa per minimam capitis minutionem adfinitas non tollitur. *l.* 4. §. *pen. D. de grad.* Abusive tamen adfinitatis nomina etiam in adoptione tribui, eodem loco demonstravimus. Itaque de nuptiarum jure

hanc regulam proponemus, ut in linea directa nuptiæ in infinitum interdictæ sint, non modo inter eas personas quæ adgnatorum jure sunt, sed etiam quæ cognatorum & adfinium nomen obtinent. Adgnatorum hoc modo: nam quæ per adoptionem filia neptisve esse cœpit, duci uxor non potest, etiamsi adoptio dissoluta sit. *l. quinetiam. 55. D. de rit. nupt. & §. ergo non omnes, Inst. de nupt.* Prioris juris æquitas orta ex nominum & adpellationum sanctitate videtur, ne, qui pater avusve dicitur, filiam, neptemve, in matrimonio habeat. Alterius vero hæc; pudoris & honestatis publicæ ratio: ne qua suspicio nascatur, adoptatorem idcirco puellam emancipasse, ut, quæ clam placuerat, ea palam atque aperte frueretur. De adfinitate autem hoc jus est, ut patri adoptivo filii sui adoptivi uxorem habere in matrimonio non liceat, ne post emancipationem quidem: quoniam, ait Paulus, aliquando nurus ei fuit, vel potius quasi nurus. *ix d. l. adoptivus*, 14. *D. h. t.* Quod eodem modo contra in reciprocatione servatur, ut filius adoptivus patris adoptivi uxorem, ne post emancipationem quidem, habere possit: quoniam, etsi nec matris loco ei est, nec cognata, *d. l. qui in adoptionem, D. de adoption.* tamen quasi novercæ locum apud eum obtinet. *d. l. adoptivus, in princ. & §.*

nunc

nunc videamus, *D. de rit. nupt.* Cognationis autem nullam haberi rationem, ex eo conſtat, quod etiam uterinam patris adoptivi ſororem ducere permittitur. *l. ſi qua mihi*, 12. §. *ult. D. de rit. nupt.* Videamus, an idem eodemque modo etiam de ipſius matre dici poſſit; quippe quæ omnino extranea eſt: nam neque illi adgnata eſt, cum ne patri quidem ipſius adoptivo adgnata ſit; (mater, inquam, filio adgnata non eſt. *l. 7. D. de cap. min.* qua de cauſa dilucide Paulus ſcribit, eam aviæ loco filio adoptivo non eſſe. *d. l.* 23. *D. de adopt.*) neque vero cognata, & multo minus adfinis. Nam, cum per adoptionem cognatio non contrahatur, ſequitur, ut neque patris adoptivi mater, neque ipſius cognati, adoptivo filio cognati ſint. *d. l.* 4. §. 2. *D. de grad.* Quibus enim adoptatus adgnatus non ſit, his nec cognatus fit. *l. qui in adoptionem*, 23. *D. de adopt.* Quid verbis opus eſt? Nam etiam patris adoptivi pater adoptato extraneus eſt; viciſſimque nepos à filio adoptatus, patri adoptatori alienus eſt. *l. patris*, 7. *l. ſed ſi hoc*, 10. §. *parentes*, *D. de in jus voc. l. quem filius*, 26. *D. de adopt.* quippe cum adoptare filiusf. non poſſit, ſed is ſolus qui emancipatus eſt. nam, qui in ſua ipſe poteſtate non eſt, quomodo alios haberet? *l. ſi adrogatus*, 22. *D. de adopt.* Adverſari tamen graviter videtur Caius, *in d. l.*

quinetiam, §. 1. ubi diſerte ſcribit, Patris adoptivi matrem duci uxorem non licere. quinetiam adſcribit, Tantiſper eas nuptias prohiberi, dum adoptio permanet: nam hac diſſoluta illam fieri extraneam. Quod ſane (pace Caii juriſconſulti dixerim) perabſurdum videtur; cum, ut antea docuimus, ne conſtante quidem adoptione, ullum vel adgnationis, vel cognationis, vel adfinitatis jus haberet. Ne multis morer; potius, quam Caium tantæ incogitantiæ arguamus, exiſtimarem, dicendum eſſe, cum ipſe *amitam* ſcripſiſſet, primum oſcitantem librarium ſcripſiſſe *matrem*, mox alterum ſemidoctum ad gloſſam adjeciſſe *aut materteram*: errore conſimili, quem nunc omnes agnoſcunt apud eundem Caium, & eod. ad edictum lib. *l. per adoptionem*, 17. *in fin. D. eod. tit.* ubi pro *amitam* abſurdiſſime in vulgatis libris omnibus legebatur *materteram*. quod mendum primus Haloander animadvertit: poſt Florentini Codicis auctoritate ſine controverſia ſublatum eſt. Hujus autem emendationis noſtræ cauſa hæc eſt, quoniam utraque illi extranea ſemper fuit: nam neque mater, neque matertera patris adoptivi ullo vel adgnationis vel cognationis vel adfinitatis jure adoptato tenetur. quippe cum (quantum ad materteram attinet) ne uterina quidem adoptivi

optivi patris ſoror, quæ adoptivo filio matertera eſſe deberet, ſi qua inter illos cognatio contracta fuiſſet, ulla neceſſitudine illi devincta ſit. *l. ſi qua mihi*, 12. *§. ult. D. eod.* Similiterque, in reciprocatione, Ulpianus eodem loco ſcribit, adoptivæ ſororis filiam mihi eſſe extraneam, uxoremque duci etiam conſtante adoptione licere: quoniam, inquit, per adoptionem fieri avunculus non poteſt: non igitur matertera, nec matertera magna, nec major, nec maxima. viciſſimque, pari eademque reciprocatione, ſororis filius, nepos, pronepos, filia, neptis, pro extraneis habentur. Longe vero diverſa ratio eſt & filiæ & ſororis conſanguineæ, & amitæ patris adoptivi, itemque neptis ex ipſius filio; de quo Caius eodem loco ſcribit: nam inter adoptatum & illas perſonas adgnatio contracta eſt. De filia patris adoptivi teſtimonium eſt *in l. qui in adoptionem*, 23. *in fin. D. de adopt. l. ſi ſtipuler*, 35. *D. de verb. obl. l. per adoptionem*, 17. *D. de rit. nupt.* & §. 5. *Inſt. de nupt.* ubi propterea ſuaderi dicitur iis, qui generum adoptare volunt, ut prius filiam emancipent; qui nurum, ut filium; ne videlicet ſoror fratri nupta videatur. alioqui generi nuruſve adoptione matrimonium perimitur. *l. non ſolum*, 67. §. 3. *D. de rit. nupt.* ac Dio, *lib.* 60., memoriæ prodidit, Claudium, cum fi-

liam ſuam Neroni à ſe in filii locum adoptato collocare vellet, filiam prius emancipaſſe, ne fratri, inquit, ſororem dare uxorem videretur. De ſorore conſanguinea patris adoptivi, quæ filio adoptivo amita eſt, teſtimonium eſt *in d. l. per adoptionem, in fin.* argumentum vero apertiſſimum *in d. l. ſi qua mihi,* 12. *in fin. D. eod.* Duobus autem modis amita mihi eſſe adoptiva poteſt: primum, ſi meus avus filiam adoptarit; deinde, ſi, qui me in nepotis locum adoptarit, filiam habeat. Jam, de amita patris adoptivi teſtimonium exſtat *in d. l. per adopt. §. ult.* ubi adoptatus vetatur amitam magnam uxorem ducere. quod tamen de eo adoptato intelligendum eſt, qui patris morte, non autem emancipatione ſui juris factus eſt: quia non modo patris amita, verum etiam ſoror conſanguinea, per ipſius emancipationem illi fit extranea. quo caſu illam ſine dubio ducere adoptatus uxorem poterit, ut modo intellectum eſt ex *l. 7. & l. ſed ſi hac,* 10. *§. parentes, D. de in jus voc.* De nepte ex filio, cui cum adoptato connubium non eſt, teſtimonium eſt *in d. l. quinetiam,* §. 1. argumentum vero ex reciprocatione *in d. l. per adoptionem,* §. *ult.* quoniam par eademque ratio eſt patrui adoptivi, & amitæ adoptivæ, & filii filiæque fratris adoptivi. Quod cum ita ſit, ingenue fateor, à me non intelli-

gi,

gi, quo jure Maximianus in Panegyrico, ipsi & Constantino dicto, laudetur, quod filiam suam Constantino, in nepotis locum adoptato, in matrimonium collocavit: nisi dicamus, eam prius à Maximiano emancipatam fuisse: O *divinum*, inquit, *tuum, Maximiane, judicium, qui hunc tibi jure adoptionis nepotem; majestatis ordine filium; etiam generum esse voluisti!* Atque hoc quidem constantis adoptionis jus, est in transversis gradibus & adgnatis personis idem quod in directis gradibus: at ejus dissolutæ jus plane diversum est: nam in directa linea prohibitio nuptiarum etiam post dissolutam adoptionem durat, in transversa remittitur. *l. si quis, 9. §. ult. D. de lib. & post. l. per adoptionem*, 17. *D. h. t.* §. 2 *Inst. de nupt.* Cujus rei ratio prima specie esse hæc videtur, quoniam adoptatus per emancipationem efficitur extraneus, *d. l. quinetiam*, & *d. l. si stipuler*, *D. de verb. obl.* & quia, ut ait Ulp., post emancipationem in totum familiæ adoptivæ obliviscuntur. *l. si quis tutor*, 60. §. 6. *D. eod. l.* 1. §. *liberos, D. si tab. test. null.* Sed videamus, anne hoc idem etiam de patre & adoptata filia, & postea emancipata, dici possit, commodiorque & certior ratio hinc sumenda sit; quia, cum matrimonium cum filia jure gentium incestum sit, consentaneum videtur, propter illius nomi-

nis ſanctitatem etiam ab emancipatæ nuptiis abſtinere: at cum ſororis nuptiæ ſolo civili jure inceſtæ habeantur, ut ſuo loco demonſtravimus, nihil abſurdi ſit, inſtitutum juris civilis, contrario ejuſdem juris inſtituto, abrogari. *l.* 8. *D. de cap. minut.*

CAPUT V.

De jure cognationis, quoad nuptias, ex jure civili Rom.

PROXIMUM eſt, ut de cognationis jure videamus. Qui locus aliquanto mihi, quam vulgo creditur, difficilior videtur. Nam, utrum lege aliqua populi R. certa jus iſtud definitum fuerit, an moribus tantum, & veteri conſuetudine, difficile dictu eſt. De ſororis nuptiis leges fuiſſe dicuntur *in l. ſi ſtipuler*, 35. §. 1. *D. de verb. obl.* cujus tamen in extremo *mores* nominantur, itemque *in l.* 8. *& l. ſororis*, 39. §. 1. *D. h. t.* Quinetiam, *Si quis*, inquit, *ex his, quas moribus prohibemus uxores ducere, inceſtum committit.* At Corn. Tacitus, *lib.* 12., Claudium Imp. ita loquentem facit: *At enim nova nobis in fratrum filias conjugia. ſed aliis gentibus ſolennia, nec lege ulla prohibita. & ſobrinarum, diu ignorata, tempore addito percrebuiſſe. morem adcommodari prout conducat: & ſore hoc quoque in his quæ mox uſurpentur.*

Cre-

Credibilius igitur est, jus antiquum de castis incestisve nuptiis, totum pontificium fuisse. Itaque Tacitus, lib. 1., *Consulti per ludibrium pontifices*, inquit, *an concepto, nec dum edito partu, rite nuberet.* Quod idem pluribus verbis exponit Dio *lib.* 48., consultos à Cæsare pontifices, an Liviam Neronis uxorem gravidam sibi in matrimonium accipere liceret. Neque obstat, quod Paulus, *in d. l.* 35. *de ver. obl.* leges adpellat. nam probabile est, nonnullas leges, quæ ad jus pontificium adcommodatæ essent, latas de nuptiarum jure fuisse. quod etiam paulo post ex Plutarchi lib. de Ro. quæstionibus cognoscetur. Age, cetera videamus. Nam jus R. tribus regulis comprehendi potest. Quarum prima hæc est: Inter eas personas, quæ parentum liberorumque locum obtinent, in infinitum nuptiæ jure gentium incestæ ac nefariæ sunt. §. *ergo, D. h.t.* Dixi, *jure gentium*: quoniam, etsi veteres historiæ memorant, ejusmodi nuptias apud Assyrios, Persas, Medos, Parthos, Æthiopas, Indos, aliasque præterea nonnullas gentes, probatas atque usurpatas fuisse; tamen, cum eas gentes Romani pro barbaris & humanitatis expertibus haberent, juris gentium nomen ad eas non produxerunt. Sequitur secunda regula: Inter eas personas, quæ à latere sunt, fratris & sororis nuptiæ jure gentium

inceſtæ ſunt: patrui vero & amitæ, avunculi & materteræ, jure civili tantum: idque in infinitum. De fratribus & ſororibus teſtimonium exſtat *in l. libertinus*, 8. *junctæ l. ſororis*, 39. *D. h. t.* Et certum eſt, apud complures exteras gentes, & barbaras, hujuſmodi fratrum ſororumque permiſſas nuptias fuiſſe. Quod autem de fratrum ſororumque nuptiis conſtitutum eſt Romano jure, intelligendum eſt non modo de germanis, id eſt, ex utroque parente ſuſceptis, verum etiam de conſanguineis, hoc eſt, eodem patre natis, atque etiam de uterinis, id eſt, ex eadem matre ſuſceptis. §. *inter eas*, 2. *Inſt. de nupt.* adeo ut ne vulgo quidem quæſitas ſorores ducere liceat. *l. & nihil*, 64. *D. h. tit.* Porro de patruis, avunculis, amitis, materteris, impeditior aliquanto diſputatio eſt: magnum enim video nuper inveteratum errorem patefactum fuiſſe, de patrui & fratris filiæ nuptiis: cum par idemque antehac putavimus jus eſſe de iis, quod eſt de avunculi & ſororis filiæ conjunctione; quam jure civili, non gentium, Papin. inceſtam nominat, *in l. ult. D. de cond. ſin. cauſ. & l. ſi adulterium*, 38. §. 1. *D. ad leg. Iul. de adult. l. etiam*, 56. *D. h. t.* qua de cauſa non matrimonium, ſed contubernium adpellatur, *in l. miles*, 11. §. 1. *D. ad leg. Iul. de adult. & l. qui in provincia*, 57. *D. h. t.* Sed ex fragmentis veterum juriſcon-

juriſconſultorum, nuper editis, intellectum atque animadverſum eſt, leges illas omnes proprie & præciſe ad ſororis filiam pertinere. nam, qui locus in Ulpian. regulis mendoſiſſime legebatur, nunc illorum Collectaneorum beneficio ſic reſtitutus eſt: *Inter cognatos autem ex tranſverſo gradu olim quidem uſque ad quartum gradum* (ſic enim illo loco reſtituendum eſt) *matrimonia contrahi non poterant: nunc licet uxorem ducere, ſed tantum fratris filiam, non etiam ſororis; nec amitam, nec materteram; quamvis eodem gradu ſint.* Itaque continenter ex Paulo locus hic profertur: *Inter parentes & liberos matrimonia contrahi non poſſunt: nec filiam ſororis aut neptem ducere poſſumus.* Itemque ex Papiniano ille: *Qui ſororis filiam uxorem duxerat per errorem, antequam præveniretur à delatore, diremit certum*, &c. Quinetiam imperatorum Maximiani & Diocletiani reſcriptum ſubjicitur, quo, ex latere, amitæ tantum & materteræ, ſororiſque filiæ, & ex ea neptis, nuptiæ nominatim prohibentur: nulla de patruo, vel fratris filia mentione interpoſita. Quibus ex locis perſpicitur, quod etiam à doctiſſ. J. C. Pithœo animadverſum eſt, eorundem Impp. reſcriptum, quod à Triboniano relatum eſt *in l. nemini*, 17. *C. de nupt.* interpolatum ab eodem fuiſſe, atque his verbis ex novo Con-

ſtantini jure amplificatum: *præterea fratris filia, & ex ea nepte.* Quid ergo eſt? dicet aliquis: Cum Juriſconſulti ſcribunt, avunculi, amitæ, & materteræ nuptias idcirco inceſtas eſſe, quod illæ perſonæ parentum locum ac numerum obtinent, *l. ſororis*, 39. *D. h. t.* §. *item amitam*, 5. *Inſt. de nupt.* an patruum ex eo numero excludunt? Sane illud ſcire oportet, antiquo jure ac moribus, non minus patruum quam avunculum, parentis loco numeratum: ejuſque nuptias pro inceſtis habitas fuiſſe. Cujus rei argumento eſt illud Catulli Epigramma ad Aufilenam:

Aufilena, viro contentam vivere ſolo,
Nuptarum una eſt è laudibus eximiis.
Sed cuivis quamvis potius ſuccumbere fas eſt,
Quam matrem fratres efficere ex patruo.

Nam liberi ex eo concubitu ſuſcepti, ſuæ matri & filii & fratres patrueles efficiuntur. Sed, cum Claudius imperator Agrippinam, Germanici fratris ſui filiam, deperiret, eamque ſibi juſto matrimonio ſociare cuperet, à ſenatu decretum efflagitavit, quo ejuſmodi matrimonia juſta pronunciata ſunt: ut Sueton. *in illius vita*, & Tacit. *lib.* 12., & Zonaras *tom* 2. teſtantur. Unde intelligitur, ea matrimonia uſque ad illud tempus inceſta nefariaque habita fuiſſe. *Pactum*, inquit Tacitus, *inter Claudium & Agrippinam matrimonium jam fama, jam amore illicito*

illicito firmabatur: nec dum celebrare ſolennia nuptiarum audebant. nullo exemplo deducta in domum patrui fratris filia. quin & inceſtum, ac, ſi ſperneretur, ne in malum erumperet publicum, metuebatur. Suetonius autem, *Verum*, inquit, *Agrippina, Germanici fratris ſui filia, per jus oſculi & blanditiarum occaſionem pellectus in amorem, ſubornavit proximo ſenatu, qui cenſerent, cogendum ſe ad ducendam eam uxorem, quaſi Reip. maxime intereſſet: dandamque ceteris veniam talium conjugiorum, quæ ad id tempus inceſta habebantur.* & aliquanto poſt: *Ducturus contra fas Agrippinam uxorem,* &c. Qua de cauſa Seneca *in Octavia* his verſibus illas nuptias exſecratur:

Genitamque fratris conjugem captus ſibi
Toris nefandis flebili junxit face.

Hoc autem S.C. jus annos circiter ducentos quinquaginta duravit, hoc eſt, uſque ad Conſtantini & Conſtantis imperium. Nam Capitolinus, in Anton. Philoſ., *Filiam ſuam Lucillam*, inquit, *fratri deſpondit.* Ergo Impp. illi primi nefarium illud jus abrogarunt, & capitis pœnam ei inceſto impoſuerunt; *l. 1. C. Th. de inceſt. nupt.* Eamque illorum conſtitutionem à conſuetudine (ut credi par eſt) neglectam renovavit Imp. Zeno. *l. ult. C. de inceſt. nupt. itemque l. ult. C. ſi nupt. ex reſcr. pet.*

Ex quibus, quantam labem unius tyranni insania, quantumque vitium in jus civile importarit, facile intellectu est. Quod eo etiam absurdius fuit, quia, cum patrui & fratris filiæ nuptiæ permitterentur, amitæ tamen & fratris filii matrimonium interdictum erat. *l. per adoptionem*, 17. §. 1. *D. h. t.* §. *item amitam*, *Inst. de nupt.* Ubi hæc ratio adscribitur, quia parentis loco est; proinde quasi patruus illo S.C. ex parentum numero sublatus esset. contra *l.* 2. §. 1. *D. de usuf. ear. rer.* Sed & Tacitus, *lib.* 16. testatur, amitæ consortium pro incesto habitum fuisse: ubi scribit, Neronem Silano accusatores submisisse, qui eum incesti postularent, quod cum amita sua Lepida rem habuisset. Quid ergo est, dicet aliquis, quod Xiphilinus *in Nerva* ita scribit? Ἐνομοθέτησε δὲ μὴ ἀδελφιδῷ γαμεῖν. Sane ἀδελφιδῆς nomen tum in fratris, tum in sororis filiam convenire, & Pollux & Hesychius testantur. Quare, cum de fratris filiæ interdictis nuptiis mentionem jurisconsulti nullam faciant, sed de sororis filia præcise tot locis commemorent; credibile est, ἀδελφιδῆς nomen ad sororis filiam referendum esse: quam corrupte Ambrosius *neptem*, Æl. Spartianus *neptem per sororem* adpellat. nam, cum Xiphilinus de Adriano dixisset, Τραϊάνῳ ἀδελφιδῷ ἐγγαμήσας· ille, *Trajani*, inquit, *per sororem neptem*

neptem uxorem accepit. Utcunque ſit, tantum apud Romanos etiam perditiſſimis moribus, & ſeculo corruptiſſimo, ſanguinis reverentia valuit, ut iidem auctores teſtentur, peradmodum paucos fuiſſe qui Claudii exemplum imitarentur. Quinetiam de Domitiano Tranquillus ſcribens: *Fratris filiam, adhuc virginem, oblatam in matrimonium ſibi, pertinaciſſime recuſavit.* Supereſt illa quæſtio, Quid ſit, quod, cum antiquo jure fratris filiam ducere liceret, Caius tamen ita ſcribat: *Patris adoptivi mei neptem ex filio uxorem ducere non poſſum.* l. quinetiam, 55. §. 1. D. h. t. Nam, ſi naturalis fratris filiam ducere licuit, quanto magis adoptivi? Quid igitur, ſi legeremus, *neptem ex filia?* Sed perſpicue refragatur *l. ſi qua mihi*, 12. §. *ult. eod.* Verius igitur eſt, quod contra juris rationem, & pudorem, & antiquum morem, receptum fuerat, reſtringendum potius, quam producendum fuiſſe. *l. quod vero*, 14. *D. de legib. l. quæ propter*, 162. *D. de reg. jur.* Atque id exemplum, ut inſigne & eximium, ac ſingulare, notandum puto; ſimulque deridendam Siſinnii cujuſdam Orientalis patriarchæ ſtultitiam: qui, cum de gradibus cognationis & adfinitatis, interdictiſque nuptiis, non minus verboſe quam confidenter in libro juris Orientalis ſecundo garriat; tamen auſus eſt adfirmare, nulla ſcripta lege nomi-

nominatim interdictum, ne fratres fratrum filias in matrimonium accipiant: cum tamen *libro Basilic.* 28. multis, non modo tertius ille gradus, verum etiam quartus, qui consobrinorum est, itemque sextus, quo sobrini continentur, diserte prohibeatur. Sequitur tertia regula: Inter patrueles, amitinos, consobrinos, nuptiæ novissimo civili jure permissæ sunt. §. *duorum*, *Inst. de nupt. l. celebrandis*, 19. *C. de nupt.* Varia autem & multiplex hujusce juris ratio observanda est. Nam antiquissimis temporibus ea conjugia injusta incestaque habita sunt, ut ex Cor. Taciti lib. 12. paulo ante demonstratum est: *Et sobrinarum*, inquit, *diu ignorata conjugia tempore addito percrebuerunt.* Itaque Plutarchus *in Romanis quæstionibus*, Πρότερον, inquit, οὐκ ἐγάμουν τὰς ἀφ' αἵματος, ὥσπερ οὐδὲ νῦν πλαγίους οὐδὲ ἀδελφὰς γαμοῦσιν· ἀλλ' ὀψὲ συνεχώρησαν ἀνεψιαῖς συνοικεῖν. *Prius*, inquit, *non accipiebant in matrimonium quæ sanguinis ejusdem erant, ut ne nunc quidem amitas, aut materteras, aut sorores accipiunt: sed sero consobrinarum nuptias permiserunt.* Deinde adscribit, cum quidam ad populi judicium ob consobrinæ matrimonium vocatus fuisset, absolutum; legemque latam, ut cum consobrinis connubium esset, propiore gradu non esset. Ψηφισάμενος, inquit, πᾶσιν ἐξεῖναι γαμεῖν ἄχρις ἀνεψιῶν,

ψιῶν, πὶ ὃ ἀνωτέρω κεκωλυῶ. Quamquam reperio, eorum conjugiorum consuetudinem etiam ante Plutarchi tempora percrebuisse: atque hoc jus nequaquam tum fuisse, sed in eorum, qui abstinebant, continentia potius quam in certa lege positum fuisse. Nam & Cicero *pro Cluentio* ait, ejus sororem Melino consobrino suo nupsisse. Idemque Plutarchus scribit, Brutum Catonis avunculi sui filiam in matrimonio habuisse. Sed & Sueton. *in Augusto*, & Dio *lib.* 53. memoriæ prodiderunt, Augustum filiam suam Juliam Marcello Octaviæ sororis suæ filio nuptum collocasse. Et Quintil., *lib.* 6., filium suum, immatura morte sibi ereptum, lugens, avunculo eum destinatum generum fuisse ostendit. Capitolinus de Antonino Philosopho, *Habuit uxorem*, inquit, *Anniam Faustinam, consobrinam suam.* Atque hinc videlicet illa Ulpiani regula nata est, vulgo in jure tanquam per manus tradita, Inter cognatos usque ad quartum gradum connubium non esse: quemadmodum sup. demonstratum est. Quartum autem gradum jurisconsulti, posita sumtaque superiore regula, intelligebant, quæ inter eas personas, quæ parentum liberorumque locum obtinent, conjugia prohibuit: sicuti superius docuimus. Quasi hanc regulam ita concepissent: Extra eas personas, quæ parentum liberorum-

que

que locum obtinent, connubium quarto gradu permittitur. Itaque, cum amitæ materteræque magnarum, itemque ſororis neptis, conjugium prohibent, clauſulam hanc ſubjungunt: *Quamvis quarto gradu ſint. l. per adoptionem*, 17. *D. h. tit.* ejuſque conſobrinorum matrimonii crebra in libris noſtris mentio fit. veluti *in l.* 3. *l. non ſolum*, 67. §. 1. *D. h. tit. l. uter*, 23. *& l. ſequent. D. de condit. inſt. l. Lucius*, 78. §. *filiam*, *D. ad Trebell. ac præſertim in l.* 2. *C. de inſt. & ſubſt.* ubi Antoninus ſcribit, Caſſiam quandam probabili conſilio ſub hac conditione inſtitutam, *Si conſobrino nupſiſſet.* Primus, ut opinor, Theodoſius major eas nuptias prohibuit, ut ipſius filius teſtatur *in l. un. C. Th. ſi nupt. ex reſc. pet.* Itemque Sex. Aurelius Victor: *Tantum*, inquit, *pudori & continentiæ tribuens, ut conſobrinarum nuptias vetuerit, tanquam ſororum.* Eandem autem conſtitutionem ejuſdem filii Arcadius & Honorius, primo imperii ſui anno, confirmarunt, uti patet *ex l.* 3. *C. Th. de inceſt. nupt.* quæ tamen à Triboniano conciſa & mutilata in Codicem Juſtinianeum relata eſt. *l. ſi quis inceſti*, *C. de inceſt. nupt.* Verum iidem, aliquot annis interjectis, & ſua & patris conſtitutione abrogata, nuptias illas comprobarunt. *Celebrandis*, inquiunt, *inter conſobrinos matrimoniis licentia, legis hujus*

jus ſalubritate, indulta eſt: ut revocata priſci juris auctoritate, reſtinctiſque calumniarum fomentis, matrimonium inter conſobrinos habeatur legitimum, ſive ex duobus fratribus, ſive ex duabus ſororibus, ſive ex fratre & ſorore nati ſunt; & ex eo matrimonio editi, legitimi, & ſuis patribus ſucceſſores habeantur. l. celebrandis, 19. C. de nupt. Verum ecce rurſus aliam mutationem, cum, qui illis ſucceſſerunt, Impp. Honorius & Theodoſius, eas nuptias, quaſi communi jure damnatas, ex reſcripto petendi poteſtatem fecerunt; patris, ut aiunt, exemplum imitati. *l.* 1. *C. Th. ſi nupt. ex reſcr. pet.* cujus reſcripti formulam videre licet apud Caſſiod. *Variar. lib.* 7. Utrum autem jus Imp. Juſtinianus in Inſtit. ſuis ſit ſecutus, liquido adfirmare non poſſumus. nam cum illam conſtitutionem in ſuum Codicem inſeruit: in Inſt. tum etiam, *Duorum autem*, inquit, *fratrum vel ſororum liberi, vel fratris & ſororis, conjungi poſſunt.* qui tamen locus cum in optimo Tigurino libro, tum etiam apud Theophilum, adjecta negatione legitur. quinetiam lib. *βασιλικ.* 28. ubi prohibitæ nuptiæ commemorantur, ita ſcriptum eſt: Ὁ μθίως ἀδελφὸς τοῦ θυγατέρα τοῦ θείου, ἢ τὴν θείαν, τυτέστι τοῦ ἐξαδελφοῦ μου. ἀλλ' ἀδελφὸς ὁ υἱός μου τοῦ ἐκγόνου αὐτῶν, οἵτινες λέγονται δισεξάδελφοι. *Similiter*, inquit, *neque patrui vel amitæ filiam, hoc eſt, conſobri-*

nam

nam meam: quin nec filius meus neptem ipsorum, qui inter se sobrini dicuntur.

CAPUT VI.

Intra quem cognationis gradum pie contrahi conjugia possint.

SED jam considerandum est, quæ leges pie in ecclesia Christiana de cognatorum conjugiis instituendæ sint. Nam & Orientales & Occidentales in eo convenisse video, ut, quo longius personæ, de quarum conjugio quæritur, à genarcho distant, eo minus inter se cognatæ & consanguineæ videantur. Itaque passim in illo jure Orientali & Basilicis libris videre licet patriarcharum & episcoporum responsa, quibus nuptiæ intra septimum gradum prohibentur. Ut in decreto Demetrii Chomateni: Ἡ τῶν πλαγίων δὲ, μέχρι καὶ ἑβδόμου βαθμοῦ τὴν κώλυσιν ἔχουσα, ὁπότε τοῖς βουλομένοις συναίπτεται τὸ ἄνετον παρὰ τοῦ νόμου λαμβάνει καὶ ἀνεμπόδιστον. *Ordo eorum, qui ex obliquo sunt, usque ad septimum gradum prohibitionem habens, postea copulari matrimonio volentibus facultatem à lege sumit.* Apud Romanistas autem, ante Innocentii tertii protopapatum, connubium intra septimum gradum non fuit. *De adfinitate consanguinitatis,* inquit Gregorius, *per gradus cognatio-*

nis

nis placuit usque ad septimam generationem observare. Nam & hereditates rerum, per legales definitiones sancitæ, usque ad septimum gradum protendunt heredum successionem. Non enim succederent, nisi de propagine sanguinis eis deberetur. *c. de adfinitate, 35. q. 2. & q. 3.* idemque pluribus verbis commemoratur *in c. nullum, c. progeniem, c. de consanguinitate, & quatuor seqq.* Sed multo verbosius, *55. q. c. ad sedem*: ubi Alexander, protopapa secundus, diris devovet, ac perpetui gladio anathematis eos jugulat, si quis eam legem abrogarit; causamque duobus locis aperte describit: *Quoniam*, inquit, *secundum Canones consanguinitas septimo gradu terminatur.* At Innocentius III. Alexandri fulmen & minas nihil veritus, eam legem ad quartum gradum restrinxit. *Non debet*, inquit, *reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum, statuta quandoque varientur humana; præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas, id exposcit: quoniam ipse Deus, ex his quæ in veteri testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo. Cum ergo prohibitiones de conjugio in secundo & tertio adfinitatis genere minime contrahendo, & de sobole suscepta ex secundis nuptiis cognationi viri non copulanda prioris & difficultatem frequenter inducant, & aliquando periculum pariant animarum; cum*

cessante

ceſſante prohibitione ceſſet affectus, conſtitutiones ſuper hoc editas, ſacri adprobatione concilii, revocantes, præſenti conſtitutione decernimus, ut ſic contrahentes de cetero libere copulentur, prohibitio quoque copulæ conjugalis quartum conſanguinitatis & adfinitatis gradum de cetero non excedat. Quaternarius vero numerus bene congruit prohibitioni conjugii corporalis: quia quatuor ſunt humores in corpore, qui conſtant ex quatuor elementis. *c. pen. ext. de conſanguin.* Ejus autem erroris, quod videlicet cognatio ſeptimo gradu terminetur, cauſa hæc fuit, quemadmodum ſuperius demonſtratum eſt, quoniam apud juriſconſultos legerant, ubi de naturali cognatione quæritur, non facile ſeptimum gradum excedi: partim quia vix ultra eum gradum cognatorum vita conſiſtit, *l.* 4. *D. de gradib.* partim quia in ſexto gradu cognatorum nomina deficiunt. ultimi enim cognatorum gradus ſobrinorum ſunt, ut ait Paulus *in l. ultim. §. ultim. D. eod. & lib. ſentent.* 4. *tit.* 11. Verum intelligere debebant, cum cognatio ſit ſanguinis communio, ut initio dictum eſt; inter quaſcunqne perſonas ſanguinis communio eſt, quantumvis longinqua ſit, tamen inter eos cognationem intercedere. Itaque nihilo minor inter ſobrinos cognatio eſt, qui ſex invicem gradibus diſcrepant, aut ſobri-

nis

nis natos, qui octo, quam inter fratres, qui duobus duntaxat. ut in rivulis uno ex capite accersitis, & quantumvis longe diductis, non minor, ut ita dicam, aquæ cognatio est, quam ubi inter se proximi sunt : & in arbore rami quantumvis disjuncti, non minus inter se succi communionem habent, quam qui trunco sunt proximi. Quod vero de sexto gradu à Jurisconsultis scriptum est, non eo pertinet, quasi cognatio, id est, sanguinis communio, eo gradu desinat; nam etiam ad decimum gradum adgnationis, ac proinde cognationis nomine, hereditates jure civili deferuntur : sed, quia, cum jus civile solis adgnatis hereditates detulisset: cognatos nullo numero habuisset; prætor autem, jus civile corrigens, ad successionem eos vocasset; non ultra sextum gradum eos edicto suo comprehendit. §. *ultim. Institut. de succes. cognat. l. pen. D. und. cogn.* Veruntamen, dixerit quispiam, cum in lege divina conjugium inter certas personas prohibeatur, ceteris permittatur; an non ibi desinere cognationem ostenditur, ubi prohibitio desinit? Responsio in promtu est: aliud videlicet esse propinquitatem, aliud cognationem. Matrimonium inter propinquos lex divina vetat; inter cognatos non vetat. Itaque Moses non scripsit, *Ne quis ad cognatum*; sed hoc modo, *Ne quis ad propinquum*

pinquium ſua carnis accedat; cum videlicet Iſraelii inceſta apud Ægyptios conjugia vidiſſent, ut in proœmio legis oſtenditur. Cujuſmodi etiam illud Athenienſium inſtitutum fuit, de quo eſt apud Terent. in Phorm.

Lex eſt, ut orbæ, qui ſunt genere proximi,
Iis nubant: & illos ducere eadem hæc lex jubet.

Itemque in Adelph.

— Hæc virgo orba eſt patre:
Hic meus amicus illi genere eſt proximus:
Huic leges cogunt nubere hanc. —

Propinquorum igitur matrimonia lex divina prohibet, non cognatorum. Itaque *Gen.* 24. videmus, Abrahamum Iſaaco filio uxorem ſummo ſtudio petere ex gente & cognatione ſua, Rebeccam ſcilicet, Labanis ſororem, qui Nachoris, fratris Abrahami, erat nepos; Bethuelis, Iſaaco conſobrini, filius. Item, *ejuſdem lib. cap.* 28., Iſaacus Jacobum in Meſopotamiam mittit, ut inde uxorem ex ſua cognatione adducat: ducitque Rachelem Labanis avunculi ſui filiam. Et *Num. ult. cap.* lex fertur, ut puella heres in paterna tribu & cognatione nubat: ſimulque puellæ aliquot patruorum ſuorum filiis matrimonio junguntur. Quin etiam jus hoc fuit, ut adgnato ſine liberis mortuo, proximus quiſque prolem ei ex uxore ſuperſtite excitaret, *Ruth. cap.* 3.

Qui

Qui vero propinquorum numero ſint, non cujuſquam homine nati, ſed ſolius Dei judicium eſt: qua de cauſa Deus eadem lege illos ordine nominatim enumerat; ut facile intelligatur, quos non enumerat, propinquorum numero habendos non eſſe: quoniam, ut dici ſolet, quod lege prohibitoria vetitum non eſt, permiſſum intelligitur, *l. mutus*, 43. §. 1. *D. de procur. l. qui accuſare*, 8. *D. de accuſat.* Sed locus poſtulat, ut ſingula divinæ legis capita exponamus.

Caput VII.

Legis divinæ capita, quæ ad nuptias cognatorum pertinent, expoſita.

I. *Patris tui matriſve tuæ nuditatem ne detegito: mater tua eſt; ne detegito nuditatem ejus.* Levit. 18. Levit. 20. Hoc primo capite duo animadvertenda ſunt. Primum, quia propinquorum nomina relativa ſunt, neque alterum ſine altero intelligitur; cum lex, patris, matris, conjugia prohibet, ſimul filii filiæque matrimonia interdicere: quod etſi hoc principio facile intellectu fuit; tamen ad reliqua hujus legis capita, via nobis hoc præcepto munienda viſa eſt. Pater igitur hoc capite filiam ducere uxorem vetatur; mater filio nubere: viciſſimque filia patri nubere, filius matrem ducere. Alterum

autem obſervatu dignum eſt, quod, quamvis ceteris inſequentibus capitibus nuſquam virile genus uſurpetur, quaſi apud ſolos viros hæc lex promulgetur; tamen, cum hoc primo capite pater nominetur, in ceteris, ex relationis natura, virile quoque genus ſubaudiendum eſſe. Ut, cum ita dicitur, *Ne quis amitam aut materteram uxorem ducat*, ſic accipiatur, quaſi etiam dictum eſſet, *Ne qua patruo aut avunculo ſuo nubat*. Poſtremo legis clauſula notanda eſt. Nam illis verbis, *mater tua eſt*, legis ratio & æquitas demonſtratur. quaſi ſcriptum ita eſſet: Cum natura ipſa doceat, patri & matri reverentiam deberi, contra naturam eſſe, ſi quis eorum pudorem violaret, ſi quis eorum fœditatem nudaret. Quod accidit Chamo, Noachi filio; quem ob eam cauſam pater cum progenie ſua deteſtatus eſt: *Gen.* 9. 22. itemque duabus Lothi filiabus; quarum idcirco ſuboles deteſtabilis fuit: Gen. 19. 31. II. *Nuditatem neptis tuæ ex filio, vel ex filia, ne detegito; nuditas enim tua ſunt*. Cum avus prohibetur neptem ex filio filiave uxorem ducere, vi relationis nepos aviam paternam maternamve ducere prohibetur. Legis autem æquitas his indicatur verbis: *nuditas enim tua ſunt*. quod non modo ad hoc, verum etiam ad ſuperius caput referendum eſt: ut pater filiæ, avus neptis fœditatem nudans,

ſuam

ſuam ipſius fœditatem nudare, ſuum ipſius pudorem, id eſt, quem æque carum ut ſuum ipſius habere debuerat, abjicere videatur. Ceterum quod de avo & nepte ſtatuitur, idem de proavo & pronepte ſine dubio intelligendum eſt. quod cum æquitatis paritas demonſtrat, tum etiam ætatum ratio: ut nihil ad hanc rem demonſtrandam adjectione opus fuerit. III. *Sororis tuæ nuditatem, ſive illa ex utroque parente tuo, ſive ex alterutro tantum nata ſit, ne detegito.* Levit. 18. 9. Item 20. 17. Deut. 27. 22. Tres ſororum ſpecies ſignificat. Nam aliæ ex eodem patre & matre, aliæ ex eodem patre tantum, aliæ ex eadem matre tantum gignuntur; ut ſuperius ſuo loco docuimus. Duobuſque recentibus doctiſſimis interpretibus adſentior, ut, quod Hebraice ſcriptum eſt, *ſive domeſticæ cognationis, ſive extraneæ ſit*, ſic accipiatur, ut domeſticæ cognationis nomine paterna, extraneæ materna intelligatur; quoniam liberi patrem ſequuntur, mater autem familiæ ſuæ & caput & finis eſt, ut ait l. pronunciatio, 195. in fin. D. de verb. ſignif. IV. *Amitæ tuæ nuditatem ne detegito; patris enim tui propinqua eſt. Materteræ tuæ nuditatem ne detegito; matris enim tuæ propinqua eſt.* Levit. 19. 12. 13. 14. Levit. 20. 19. Cum fratris filius amitam, ſororis filius materteram ducere uxorem prohibetur, vi

ipſa relationis & analogiæ, viciſſim patruus fratris, avunculus ſororis filiam ducere prohibetur: primum, quoniam, ut ſuperius diximus, brevitatis cauſa ſolius virilis ſexus mentio fit: deinde, quia ſubjecta legis ratio æque in illis valet; quod videlicet, ut amita & matertera, ſic etiam patruus & avunculus, parentis locum obtinent. Huc accedit nominum cognationis & adfinitatis (quæ ſancta quodammodo habenda ſunt) confuſio: nam, ut, ſi quis amitam duceret; patrem adfinis, &, ut ita dicam, ſororii haberet loco: ſoror autem fratri nurus efficeretur; frater ſorori ſocer. Eodem modo, ſi qua patruo ſuo nuberet, patrem adfinis, & (ut ita dicam) læviri haberet loco: unus frater alteri fratri gener efficeretur, alter vero alteri ſocer. Præterea, ſi nuptiæ cum patrui uxore duobus locis prohibentur, *Levit.* 18. 11. *&* *Levit.* 20. 20.; quanto magis ipſius patrui prohibendæ ſunt? Quod autem de patruo, avunculo, amita, matertera, hoc loco ſancitum eſt, etiam ad propatruum, proavunculum, proamitam, promateterteram producendum eſſe, rationis paritas oſtendit. nimirum, quoniam ſecundi patris, ſecundæ matris propinqui ſunt: atque (ut juriſconſulti dixerunt) parentum locum ac numerum obtinent. Atque hactenus quidem Moſes eos omnes, qui propinquorum

numero

numero habendi ſunt, enumeravit: ex quo intelligi poteſt, cum conſobrinos omiſerit, eos in illum numerum referendos non eſſe. Itaque videmus, *cap. Gen.* 28., Jacobum Rachelem, avunculi ſui Labani filiam uxorem duxiſſe. Item, *Num. ult.*, Moſem Dei imperio auctorem fuiſſe quatuor Tzelophchadi filiabus, ut patruorum ſuorum filiis nuberent. Sed & *cap. Iehoſ.* 15. Othoniel Axam Calebi patrui ſui filiam uxorem duxiſſe memoratur. Et in hanc ſententiam Auguſt., lib., de Civit. Dei, 15. cap. 16. *Experti ſumus*, inquit, *in connubiis conſobrinorum, quam raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat; quia id nec divina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana.* Hæc Auguſtin., diligentior, ut apparet, legis divinæ obſervator, quam Ambroſius, qui *epiſt.* 66. ad Paternum, de his nuptiis illum conſulentem, ita reſcribit: *Quid eſt quod dubitari queat, cum lex divina etiam fratres patrueles prohibeat convenire in conjugalem copulam, qui ſibi quarto ſociantur gradu?* Utcunque ſit, memorabile eſt, quod eodem loco Auguſtinus ſcribit: *Fuit*, inquit, *antiquis patribus religioſa cura, ne ipſa propinquitas, ſe paulatim propaginum ordinibus dirimens, longius abiret, & propinquitas eſſe deſiſteret, eam nondum longe poſitam, rurſus matrimonii vinculo colligare, & quodam*

modo revocare fugientem. Hæc Auguſtin. Primus autem Theodoſius Imp. Chriſtianus, ea conſobrinorum matrimonia prohibuit: quam ipſius conſtitutionem & Ambroſius & Auguſt. vehementer probant. *Theodoſius Imp.* (inquit eodem loco Ambroſius) *etiam patrueles fratres & conſobrinos vetuit inter ſe conjugii convenire nomine.* Et Auguſt. eodem loco: *Veruntamen factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur illiciti; &, quod fiebat cum conſobrina, penè fieri cum ſorore videbatur, quia & ipſi propter tam propinquam conſanguinitatem fratres vocantur, & penè germani ſunt.* Et aliquanto poſt: *Veruntamen quis dubitet, honeſtius hoc tempore etiam conſobrinorum conjugia prohibita eſſe? quia neſcio quo modo ineſt humanæ verecundiæ quiddam naturale atque laudabile, ut, cui quis debet, cauſa propinquitatis, verecundum honorem, ab ea contineat.* Hæc ille. Exſtatque apud Caſſiodor., *lib. Variar. 7.*, formula veniæ ab imperatore petendæ, ut matrimonium cum conſobrina contrahere liceret. ubi dilucide ſcribitur, idcirco eam veniam ab imperatoribus cauſa cognita fieri, quia lex, qua matrimonium illud interdictum fuerat, non Dei, ſed hominum erat, qui longius, quam lex Dei ferebat, pudicam obſervantiam (ut ejus formulæ verba uſurpemus) poſteris

trans-

transmiſerant. Poſt Theodoſium tamen, quæ varietas juris iſtius acciderit, ſupra, cum de civili jure ageremus, expoſitum eſt. Nam etiam *in Baſil., lib.* 28. *titul. de injuſt. nupt.*, interdicuntur nuptiæ non modo inter conſobrinos, qui ἐξάδελφοι dicuntur, verum etiam inter ſobrinos, qui διεξάδελφοι eodem loco adpellantur. Quinetiam Demetrius Chomatenus, *in jure Orientali*, ſcribit, ſynodalibus quibuſdam decretis interdictas fuiſſe nuptias uſque ad ſeptimum gradum: *ut non liceat*, inquit, *ſobrino ſobrini ſui filiam accipere, cum ſit ejus ἀνεψιά*. Quod idem Alexius patriarcha teſtatur, legem fuiſſe, quæ connubium iis permittebat, qui octo inter ſe gradibus diſtarent; qui vero ſex, prohiberet. Sed, præterquam quod ſuperius docuimus, hanc ſeptimi gradus prohibitionem ex manifeſto eorum errore natam eſſe, qui cognationem eo gradu deſinere exiſtimabant; videmus, D. Auguſtinum, eo, quem paulo ante citavimus, loco, iſtam Græcorum ſuperſtitionem repudiaſſe, & ſobrinorum ſobrinarumque matrimonia probaſſe. Antiquos enim patres religioſos laudat, quibus curæ fuerat, propinquitatem (hæc illius verba ſunt) nondum longe poſitam rurſus matrimonii vinculo adligare, & quodammodo revocare fugientem. Ex quibus de Cano-

nistarum, & qui Canonistas secuti sunt, imperitia existimare licet, qui in genealogia nuptiarum prohibitionem usque ad quartum à genarcho gradum produxerunt; hoc est, usque ad sobrinis natos natasque, qui jure civili octavo inter se gradu disjuncti sunt.

CAPUT VIII.

Decreta ex lege Dei, ad nuptias adfinium pertinentia.

I. *NVditatem uxoris patris tui ne detegito; nuditas patris tui est.* II. *Nuditatem mulieris & filiæ ipsius (id est, privignæ tuæ) ne detegito: filiam filii ipsius, aut filiam filiæ ipsius, ne uxorem ducito: propinquæ sunt patris tui, flagitium esset.* Levit. 18. 8. III. *Is qui cum uxore patris sui concubuerit, nuditatem patris sui detexerit, ambo necantor.* Lev. 20. IV. *Exsecrabilis, qui cum uxore patris sui concubuerit; quia detexit oram vestimenti patris sui.* Deut. 27. De directo adfinium ordine, qui parentum & liberorum locum obtinent, duæ sunt leges; quarum priore connubium interdicitur inter privignum & novercam, provitricum & proprivignam: causaque hæc profertur, quia vitricus matris propinquus, noverca patris propinqua facti sunt; hoc est, per conjugium quasi alteri parentes effecti sunt. quapropter nudando ipsorum pudore,

pudore, ſimul nudari parentum pudor, hoc eſt, violari parentum verecundia intelligitur. Quam rationem Philo in ejus legis ratione expoſuit: Τοσαύτῳ ὁ ἡμέτερος νόμος φυλακὴν πεποίηται καὶ πρόγραμμα, ὥστε οὐδὲ θυγατέρα τελευτήσαντος πατρὸς ἄγεσθαι μητρυιὰν ἐφῆκε, διά τε τὴν εἰς τὸν πατέρα τιμὴν, καὶ διότι μητρυιᾶς καὶ μητρὸς ὄνομα συγγενὲς, εἰ καὶ μὴ τὸ τῆς ψυχῆς σύνηθες πάθος· ὁ γὰρ ἀλλοτρίας ἀπέχεσθαι διδαχθεὶς ὅτι μητρυιὰ προσερρήθη, πολὺ μᾶλλον ἀφέξεται τῆς φύσει μητρός. Id eſt, *Ac tantam hac in re lex cautionem adhibuit, ut ne privigno quidem permiſerit patre mortuo novercam in matrimonium accipere; cum ob patris reverentiam, tum quia* μητρυιᾶς & μητρὸς *nomina cognata ſunt. nam qui ab aliena ſibi temperare didicerit, quoniam ei* μητρυιὰ *dicebatur, multo magis ab ea, quæ mater naturalis eſt, ſe continebit.* Item aliquanto poſt: Μήδ' αὖ θυγάτηρ, κόρην, ἢ παρθένον, ζώσης μὲν τῆς γυναικὸς ἐπάγεσθαι, οὐδὲ μὴν ἀποθανούσης. δυνάμει γὰρ ὅμα πατρῷος πατὴρ, ὀφείλει τιμὴν ὁμοίαν τῇ γυναικὶ ἐν τάξει θυγατρὸς πέφυκεν. *Privignam*, inquit, *ducere non licet, neque viduam, neque virginem, non modo uxore vivente, ſed ne illa quidem mortua. Cum vitricus patris locum obtinuerit, æquum eſt, ut uxore ſua natam filiæ loco habeat.* Hæc Philo. Atque hanc legem ſecutus Paulus, 1. *Cor.* 5. conjugium novercæ ut inceſtum

& nefarium deteſtatur. I. *Nuditatem nurus tuæ ne detegito: uxor filii tui eſt; ne detegito nuditatem ejus.* Levit. 18. 15. II. *Qui mulierem & matrem ipſius uxorem duxerit; ſcelus admiſerit: ambo igni cremantor; ne inter vos flagitium maneat.* Levit. 20. 14. III. *Exſecrabilis, qui cum ſocru ſua concubuerit.* Deut. 27. 28. Sequitur alterum caput legis de directo adfinium ordine, quo connubium diſerte interdicitur inter ſocerum & nurum, generum & ſocrum. Ex legis autem ſententia, etiam ſuperiorum & inferiorum, ut ex priore legis capite cognoſci licet: ex quo eadem legis hujus ratio perſpicitur, nimirum, quia cum hi parentum liberorumque loco ſint, nudari eorum pudor non poteſt, ut non ſimul reverentia, quæ parentibus debetur, lædatur. Γαμβροὶ γὰρ ἀνθ' υἱῶν πενθεροῖς, καὶ ἀντὶ πατέρων γαμβροῖς πενθεροί· inquit Philo, *lib. de Monarch.* 2. id eſt, *Generi ſuis ſoceris filiorum loco ſunt; viciſſimque ſoceri ſuis generis loco parentum.* I. *Nuditatem uxoris fratris tui ne detegito; nuditas fratris tui eſt.* Levit. 18. 15. II. *Qui acceperit uxorem fratris ſui, facinus exterminatione dignum admiſerit, nuditatem fratris ſui detexerit; ſine liberis ſunto.* Levit. 20. 21. III. *Nuditatem filiæ uxoris patris tui, cognationis patris tui; ſoror tua eſt; ne detegito nuditatem ejus.* Levit. 18. 11. Quod jam ſuperioribus

rioribus legis capitibus demonſtratum eſt, non tantum verba legis, ſed etiam ſententia ſpectanda eſt. Itaque cum uxoris fratris nuptiæ nominatim prohibeantur, quia quaſi ſoror eſt, ex ſententia legis & paritate rationis earum quoque omnium perſonarum interdictæ nuptiæ intelliguntur, quæ ſororum fratrumve locum obtinent. Itaque intelligendum eſt, Conjugium non eſſe cum quondam fratris uxore, ſororis marito, mariti fratre, uxoris ſorore. quæ perſonæ omnes vere proprieque adfines ſunt. Eundemque in numerum referendam arbitror filiam uxoris patris; de qua, *Levit.* 18., *verſ.* 11., cautum eſt. ut ſuperioribus verſibus prohibitæ intelligantur ſorores natæ ex priore matrimonio, cum frater ex poſteriore ſit natus; hoc autem verſu, natæ ex poſteriore. Atque ita video locum à quibuſdam converſum. Neque enim iis adſentior, qui nuper ſic verterunt: *Nuditatem filiæ uxoris patris tui, cognationis patris tui,* hoc eſt, quæ per matris ſuæ nuptias patris tui cognata facta eſt, *ne detegito:* ut ſcilicet comprivigna intelligatur. Quod comprobare idcirco non poſſum; quia, ut jam ſuperius aliquoties demonſtratum eſt, cum cognatus adfinis mei mihi adfinis non ſit, ſequitur, ut comprivigni adfines dici non poſſint. *l. generali*, 34. §. 2. *D. de rit. nupt.* Neque ullus (ut opinor)

in lege Dei alius oſtendi locus poteſt, quo iſta quaſi adfinitas nominetur, & ad leges nuptiales referatur. Utcunque ſit, Philo de duarum ſororum nuptiis ita ſcribit: Πάλιν δύο ἀδελφὰς ἅμα τὸν αὐτὸν οὐκ ἐπιτρέπει, οὔτ' ἐν τῷ αὐτῷ, οὔτ' ἐν διαφέροσι χρόνοις, κἂν τύχῃ ἡ μὲν ἔτι γαμετῇ παρεστώσῃ ἀπολυομένῳ. Ζώσης γὰρ ἔτι τῆς συνοικούσης, εἴτε καὶ ἀπηλλαγμένης, ἐάν τε χηρεύσῃ, ἐάν τε καὶ ἑτέρῳ γαμηθῇ, τὴν ἀδελφὴν οὐχ ὅσιον ὑπεξέλαβεν ἐπὶ τὴν τῆς ἠτυχηκυίας παρέρχεσθαι· ἀλλὰ διδάσκων ταύτας, τὰ συγγενικὰ δίκαια μὴ λύειν, μηδὲ ἐπιβαίνειν πάθεσι τῶν οὔπω πεπραγμένων καὶ χένων, μηδ' ἐπιβρύνεσθαι καὶ ἐπιτερπῶς ἐπιφέρειν δεδιπλασιασμένην ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν ἐκείνης καὶ ἀνιᾶσθαι πεφυκότας αὐτάς. Id eſt, quemadmodum nos quidem convertimus: *Praterea non permittit lex, unum duas ſorores habere in matrimonio, neque eodem tempore, neque diverſis: ac ne tum quidem, cum priori miſſum eſt repudium. Nam, dum prior vel in matrimonio eſt, vel repudiata eſt, ſive vidua maneat, ſive alteri nubat, legiſlator non pium putavit, hanc in illius infortunata bona venire; docuitque illas, cognationis jura ſervare, neque in earum miſerias, quæ ſanguine ipſas contingunt, inſultare, atque inſolenter cum eorum inimicis oblectari.* Hæc Philo. Porro, ne hoc quidem prætereundem videtur, quod *Deut.* 25. *verſ.* 5. alia lex profertur, qua huic noſtræ abrogatur; ut, ſi unus è duobus

bus fratribus, indiviſam adhuc paternam hereditatem ſimul poſſidentibus, alter ſine liberis moriatur, ſuperſtes ejus viduam vel ducat, vel dotet: ut, qui primus ex eo matrimonio naſcetur, demortui fratris nomen ferat, ejuſque filius cenſeatur. qui ſpecialis caſus eſt, proprie, peculiariter & reſtricte ad civitatis Iſraëliæ rationem adcommodatus, neque ad gentem aliam ullam producendus, atque propter cujuſque familiæ & heredioli rationem à legiſlatore exceptus: ut Joſephus *lib. Antiquit.* 4. teſtatur. Ubi vero frater liberos reliquerat, nefariæ cum ipſius vidua nuptiæ cenſebantur. Itaque idem, *lib.* 17., de Archelao loquens: Τὸ παῤῥίδι, inquit, ὧδε ἔδοξεν ποιησάμενος, Γλαφύρᾳ μὲν τὴν Ἀρχελάου γυναῖκα, Ἀλεξάνδρου δὲ τοῦ ἀδελφοῦ γαμετὴν γενομένην, ἐξ ἧς ἦν τέκνα αὐτῷ, οὐ πάμπαν ὂν Ἰουδαίοις, γαμετὰς ἀδελφῶν ἄγεσθαι, γαμεῖν. I. *Nuditatem fratris patris tui ne detegito, ad uxorem ipſius ne accedito; amita tua eſt.* Levit. 18. 14. II. *Qui cum amita ſua concubuerit, nuditatem patrui ſui detexerit, ſine liberis moriuntor.* Levit. 20. 20. Cum patrui uxoris nuptiæ ob eam cauſam interdicuntur, quoniam amitæ locum ac nomen obtinent; ex legis ſententia & rationis paritate ſequitur, ut etiam cum amitæ marito interdictæ intelligantur, quia quaſi patruus eſt: item-

que ex altero latere, ut connubium non ſit cum avunculi uxore & materteræ marito; quoniam illa materteræ, hic avunculi locum & nomen obtinet: viciſſim autem etiam in lineis inferioribus, ne connubium ſit cum fratris ſororiſve filii uxore, fratris ſororiſve filiæ marito, vel cum filia fratris aut ſororis meæ uxoris: denique, ut ſummatim complectamur, ut, quibus in cognationis gradibus nuptiæ interdictæ ſunt, iiſdem in adfinitatis gradibus prohibitæ intelligantur: hoc eſt, ut conjunx à conjugis cognatis æque ut à ſuis abſtineat; propter rationem ab ipſo Deo multis locis deſignatam, Quia vir & uxor per matrimonium una perſona cenſentur.

CAPUT IX.

Index nominum cognationis, eorumque expoſitio.

HOc loco peropportunum videtur, cognatorum omnium nomina & adpellationes exponere, tam eorum qui ad directam lineam, quam qui ad tranſverſam pertinent. Ac primum omnium, *pater* dicitur, ex quo quis natus eſt; & cum filio confertur, ac primo gradu numeratur. *l.* . .§. 3. *& l. ult.* §. *primo gradu, D. de grad.* Sed Perſius primum, ſecundum, tertium patrem facit,

facit, ex quo quis prima, ſecunda, tertia generatione natus eſt, hoc eſt, avum & proavum: ut Cornutus in illis verſibus interpretatur, quos ſup. protulimus:

——— *Quare ex me, quis mihi quartus*
Sit pater, &c.

Mater à noſtris ea ſola dicitur, quæ genitrix eſt, non etiam nutrix, ut apud alios auctores, quemadmodum Nonius teſtatur: & cum filio filiave confertur, ac primo gradu numeratur. *d.* §. 3. *de grad.* Plaut. Menæch.

Ita forma ſimili pueri, ut mater ſua
Non internoſſe poſſet, qua mammam aabat,
Neque adeo mater ipſa, qua pepererat.

Avus dicitur, patris vel matris pater, & cum nepote confertur, ac ſecundo gradu numeratur, *d. l. ult.* §. *ſecundo gradu.* Sed alius eſt paternus, alius eſt maternus. ille confertur cum nepote nato ex filio; hic cum nepote nato ex filia. *Proavus*, avi vel aviæ pater, patris vel matris avus; & cum pronepote confertur, ac tertio gradu numeratur. *d. l. ult.* §. *tertio.* Sed alius eſt paternus, alius maternus: ille confertur cum pronepote ex nepote, nato ex filio vel filia; hic cum pronepote ex nepte, nata ex filio vel filia. *Abavus*, proavi vel proaviæ pater, avi vel aviæ avus, patris vel matris proavus: confertur autem cum abnepote, & quarto gradu numeratur. *d. l. ult.* §. *quarto.* *Atavus* & *adavus*,

abavi

abavi vel abaviæ pater, proavi vel proaviæ avus, patris vel matris abavus: confertur cum atnepote, & quinto gradu numeratur. *l. ult. §. quinto gradu, D. de grad. Tritavus* ataviæ vel atavi pater: & cum trinepote confertur, ac sexto gradu numeratur. *d. l. ult. §. sexto gradu. Parentes* generali nomine dicuntur pater, avus, proavus, abavus, atavus, tritavus: & cum liberis conferuntur. *Majores* restricto nomine dicuntur, qui supra parentes sunt: & cum posteris conferuntur: neque proprium in Latina lingua nomen habent. *l. 4. §. parentem, D. de in jus voc. l. ult. §. parentes, 7. D. de grad.* Generaliter autem *majorum* nomine parentes continentur. Plaut. in Milit. glor.

Ibi majores sunt siti, pater, avus, proavus, abavus.

Item in Persa:

Nam nunquam quisquam majorum meorum fuit,
Quin parasitando paverit ventrem suum:
Pater, avus, proavus, abavus, atavus, tritavus.
Vnde hunc ego quæstum obtineo, & majorum locum.

Parentes autem adpellantur generali nomine, non modo qui per patrem, avum paternum, proavumve paterni avi patrem, verum etiam qui per matrem, aviam, proaviam, Titium

tium contingunt. *l. adpellatione*, 51. *D. de verb. ſign.* niſi forte illa differentia adjungatur, *parentes virilis ſexus:* velut *in l. ſi quis*, 5. §. 2. *D. de adgnoſc. lib. Filius* cuique dicitur, qui ex eo genitus eſt: & cum patre confertur, ac primo gradu numeratur. *d. l.* 1. §. *primo gradu. Nepos* vere proprieque dicitur, qui ex filio filiave natus eſt: & cum avo confertur, ac ſecundo gradu numeratur. *d. l. ult. §. ſecundo gradu.* ſed ille uſitate his verbis deſignatur, *nepos ex filio*; hic vero, *nepos ex filia*. Depravata autem conſuetudine nepos vulgo dicitur, fratris ſororiſve filius, ut *in gloſſ. l.* 1. *C. de ſucceſſ. edict.* contra Latini ſermonis rationem. nam hic nullum in Latina lingua nomen habet, ſed hoc modo deſignatur, *fratris ſororiſve filius*, ut Paulus teſtatur *in l. ult. §. tertio gradu, D. de grad.* Et illam depravatam conſuetudinem video non modo D. Ambroſii temporibus uſurpatam fuiſſe; à quo, *lib. epiſt.* 8. *ep.* 66., neptis perſpicue ad avunculum refertur: verum etiam Spartiani; qui *in Hadriani vita* ſic ſcribit: *Ad amicitiam Trajani pleniorem rediit, nepte per ſororem Trajani uxore accepta.* Quod Xiphilinus ſic expreſſit: Τρωιάνου ἀδελφιδῆν ἐγγαμήσας. *Nepos ex fratre* promiſcue dicitur, idem qui nepos fratris. *Nepos ex ſorore*, idem qui ſororis nepos. *l.* 7. *D. de legit. tut. §.* 1. *Inſt. de leg. adgn. tut. l. nemini*, 17. *C. de nupt. Nepos mei fratris*

neptiſve

neptisve me patruum magnum adpellant, inquit Paulus *d. l. ult. §. quarto gradu, D. de grad. Pronepos* est, qui ex nepote ex filio filiave natus est; & ad proavum refertur, ac tertio gradu numeratur. *d. l. ult. §. tertio gradu, D. de grad. Abnepos*, pronepotis proneptisve filius, nepotis neptisve nepos, filii filiæve pronepos; confertur cum abavo, & gradu quarto numeratur. *d. l. ult. §. quarto gradu. Atnepos*, sive *adnepos*, abnepotis vel abneptis filius; confertur cum atavo, & quinto numeratur gradu. *d. l. ult. Trinepos*, filii filiæve adnepos; confertur cum tritavo, & sexto numeratur gradu. *d. l. ult. Posteri* proprie & stricte dicuntur, qui infra trinepotem sunt. *l. ult. §. parentes, D. de grad.* & cum majoribus conferuntur. Generaliter autem eo nomine liberi omnes continentur. *l. quod his, 83. §. ult. D. de leg. 3.* Itaque tyrannicum illud Caligulæ fuit, de quo Sueton. *Negabat*, inquit, *jure civitatem Romanam usurpare eos, quorum majores sibi posterisque eam impetrassent, nisi filii essent: neque enim intelligi debere posteros ultra hunc gradum. Frater* tribus modis dicitur: nam aut per eundem patrem tantum, aut per utrumque eundem accipitur. *l. ult. §. secundo gradu, D. de grad.* Qui ex eodem patre & eadem matre natus est, *germanus* adpellatur:

latur: ut Corn. Fronto teſtatur. Plaut. Menæchm.

— Hi ſunt gemini germani duo:
Nam & patrem & matrem commemorant
pariter, qui fuerint ſibi:

& paulo poſt:

Spes mihi eſt, vos inventuros fratres ger-
manos duos,
Geminos, una matre natos, & patre uno,
una die.

Qui vero ex eodem patre tantum natus eſt, *conſanguineus* dicitur; qui ex eadem matre tantum, *uterinus*. *l. fratres*, 27. *C. de inoff. teſtam. l.* 3. *C. de legit. tut. l. pen. & l. ult. C. de legit. hered.* §. 1. *ſ. ceterum*, *Inſt. de leg. adgnat. ſucceſſ.* Cæſar comment. Gall. 1. *Sororem ex matre, & propinquas ſuas, nuptum in alias civitates collocaſſe.* Illi, *adgnati* ſunt; hic, *cognatus* tantum. *l. ult. C. ad ſenat. Tertyll.* Conferuntur autem promiſcue omnes inter ſe germani, conſanguinei & uterini; & ſecundo numerantur gradu. *l. ult. ſ. ſecundo gradu. D. de grad.* Sane animadverti, antiqua lege Pompeia, quos germanos & conſanguineos adpellavimus, *patrueles* ex patris perſona dici: quos vero uterinos, ex matris perſona *matrueles*. *l.* 1. *D. ad l. Pomp. de parric.* qua de re *in obſer.* 5. diſputavimus. *Conſanguinitas* apud auctores noſtros non generaliter pro cognatione, & communio-

ne

ne ſanguinis, uſurpatur; ſed ſpecialiter pro adgnatione, quæ eſt inter fratres & ſorores ex eodem patre natos: & *ſpecies adgnationis* dicitur *in §. pen. Inſt. de ſucc. cognat.* Videturque id non legis 12 tab., ſed legis Voconiæ verbum fuiſſe. Nam, cum in l. 12 ſimpliciter ita ſcriptum eſſet: *Si inteſtato moritur, cui ſuus nec exſtabit heres, adgnatus proximus familiam habeto*: Voconia lex ei abrogavit, ſtatuitque, *ut adgnata, niſi conſanguinea, ſuccederet*; eo verbo fraternitatem ex patre ſignificans, *l.* 1. §. *pen. D. de ſuis & legit.* non tantum naturali, verum etiam adoptivo. §. 1. *Inſt. de legit. adgn. tut. l.* 2. §. *ſed etſi ipſa*, 19. *l.* 3. *D. ad Tertyl. Sanguinis* autem nomine proprie in libris noſtris communio ſanguinis, id eſt, naturalis cognatio, deſignatur. *l.* 2. *D. und. cognat. l.* 8. *D. de regul. jur. l.* 23. *D. de adopt. l.* 12. *D. de man. vind. Conſanguinei* autem frequentiſſime ab adgnatis ſeparantur. velut *in l.* 2. §. 1. *D. und. legit. l.* 2. *D. de ſuis & legit. Fratris* nomen etiam patrui filio tribuitur, ſed cum *patruelis* adjectione. Itaque duorum fratrum filii, quia ſecundi patris filii ſunt, fratres inter ſe adpellantur. Cic. de Fin. 5.: *Cicero frater noſter, cognatione patruelis, amore germanus.* Plaut. in Pœnulo: *Carthaginenſes fratres patrueles duo fuere.* Et multo poſt, Agoraſtocles, patruelis alterius filius, Pœnum

num ſibi propiorem ſobrino, qui patris ſui frater patruelis fuerat, idcirco patruum adpellat: *O patrue mi patruiſſime.* Pœn: *Quid eſt, fratris mei gnate?* hoc eſt, fratris mei patruelis. Nam paulo poſt una ex filiabus ſic loquitur: *Hic ſuos cognovit modo, & hunc ſui fratris filium.* nimirum patruelis. Itaque non multo poſt, in eadem ſcena, mendum eſſe oportet, in loco, *Vos eſtis amba mea filia, & hic eſt cognatus veſter, Hujuſce fratris filius Agoraſtocles.* Nam pro *hujuſce* legendum adfirmo, *Iachonis*; quem fratrem ipſius patruelem fuiſſe, ex ſuperioribus ſcenis intelligitur. *Sororis* eadem, quæ fratris, adpellatio eſt. *Fratris filius* is dicitur, qui cum patruo & amita confertur. *l. fratris*, 21. *C. de inoff. teſt.* & tertio gradu numeratur. *l.* 3. *C. de legit. her. & d. l. ult.* §. *tertio gradu.* qui tamen, ut ſup. diximus, depravata conſuetudine, nepos nominatur. *Sororis filius* is dicitur, qui cum avunculo vel matertera confertur. *d. l. fratris.* & tertio numeratur gradu. qui tamen, eadem corrupta conſuetudine, nepos adpellatur. *Fratris nepos* dicitur, qui cum propatruo confertur; & quarto numeratur gradu. *d. l. ult.* §. *quarto gradu.* qui interdum *nepos ex fratre* dicitur, ut ſup. docuimus. *Sororis nepos* dicitur, qui ad avunculum magnum refertur; qui & *ex ſorore nepos* interdum adpellatur; & quarto numeratur

ratur gradu. *d.* §. *quarto gradu. Fratris, ſororis pronepos* dicitur, qui ad patruum avunculumve majorem refertur; & quinto numeratur gradu. *d.* §. *quinto gradu. Patruus* dicitur frater patris; & cum fratris filio confertur, ac tertio numeratur gradu. *d. l. ult.* §. *tertio*, *D. de grad. l.* 2. §. 1. *D. de ſuis & legit. l. patruo*, 7. *C. de legit. her. l. pen. D. de legit. tutor.* Interdum autem *patruum* vocari fratrem patris patruelem, à fratris patruelis filio, paulo ante, ex Plauti Pœnulo demonſtravimus; quippe cum patruelis filius, fratris filius adpelletur. *Propatruus* dicitur, qui & *patruus magnus*, avi frater; & cum fratris nepote confertur, quartoque reperitur gradu. *l. ult.* §. *quarto gradu*, *D. de grad. l. pen. D. de leg. tut. Patruus major*, eſt proavi frater, patris & matris patruus magnus; & cum fratris pronepote confertur, quintoque reperitur gradu. *d. l. ult.* §. *quinto*, *verſ. patruus major. Patruus maximus*, eſt abavi frater; qui & *abpatruus* dicitur; & ad fratris abnepotem refertur, ſextoque reperitur gradu. *d. l. ult. §. patruus maximus. Amita*, eſt patris ſoror; & cum fratris filio confertur: ac tertio gradu ab illa eſt. *l. ult.* §. *tertio gradu*, *l.* 5. *C. qui pet. tut. Amita magna*, vel *proamita*, avi paterni ſoror; & cum fratris nepote confertur; à quo quarto gradu eſt. *l.* 1. §. *quarto*, *l. ult.*

ult. §. *quarto*, *D. de grad. l. per adoptionem*, 17. §. *ult. D. de rit. nupt. l. pen. C. quæ pet. tut. Amita major*, eſt proavi paterni ſoror; & cum fratris pronepote confertur, quintoque reperitur gradu. *d. l. ult.* §. *quinto gradu. Amita maxima*, eſt abavi paterni ſoror; & cum fratris pronepote confertur, & ſexto numeratur gradu. *d. l. ult.* §. *ſexto gradu. Avunculus* dicitur frater matris; & cum ſororis filio confertur, *l. fratris*, 21. *C. de inoff. teſt.* ac tertio numeratur gradu. *l. penult. D. und. legit. l. ultim.* §. *tertio gradu*, *D. de grad. l.* 6. *C. commun. de ſucceſſ. Avunculus magnus* dicitur, qui aviæ frater eſt; & cum ſororis nepote confertur, quartoque numeratur gradu. *l. ult.* §. *quarto gradu, de grad. Avunculus major* dicitur, qui proaviæ frater eſt; & cum ſororis pronepote confertur, quintoque reperitur gradu. *l. ult.* §. *quinto gradu. Avunculus maximus* dicitur, qui abaviæ frater eſt; & cum ſororis abnepote confertur, ſextoque numeratur gradu. *d. l. ult.* §. *ſexto*. Idem etiam *abavunculus* adpellatur. *l.* 3. *D. eod. Matertera*, dicitur matris ſoror, quaſi *mater altera*, (ut Feſtus ſcribit,) & cum ſororis filio comparatur. *d. l. fratris*, *C. de inoff. teſt.* ac tertio numeratur gradu. *d. l. ult.* §. *tertio*, *D. de grad. l. patruo*, 7. *C. de legit. hered. Matertera magna*, dicitur

dicitur aviæ ſoror; & cum ſororis nepote confertur, quartoque numeratur gradu, *d.l. ult.* §. *quarto. Matertera major*, dicitur proaviæ ſoror; & cum ſororis pronepote comparatur, quintoque numeratur gradu. *d. l. ult.* §. *quinto. Matertera maxima*, dicitur abaviæ ſoror; & cum ſororis abnepote comparatur, ſextoque numeratur gradu. *l.* 3. *&* *d. l. ult.* §. *ſexto, de grad. Patrueles*, interdum præciſe, interdum conjuncte *fratres patrueles*, invicem dicuntur duorum fratrum filii; qui propterea ſemper inter ſe conferuntur: veluti *in l. dotem*, 16. §. 1. *D. de caſtr. pecul.* ſimiliterque *ſorores patrueles*, quæ duobus ex fratribus natæ ſunt: & quarto gradui adſcribuntur. §. 3. *Inſt. de grad.* Neque unus dici patruelis poteſt, quin eodem quoque nomine alter viciſſim adpelletur. Nam patruelis, eſt patrui filius, filia. *l.* 1. §. *quarto gradu. & l. ult.* §. *eod. grad.* Vetuſte tamen *patrueles fratres* dicuntur, in lege Pompeia de parricidis, qui ex eodem patre nati ſunt. ut ſup. notavimus. *Conſobrinus* proprie & ſpecialiter eſt materteræ filius. Itaque dupliciter hoc nomen uſurpatur, cum aut duæ materteræ ſunt, aut una tantum. Nam qui duarum ſororum filii ſunt, *conſobrini* dicuntur, quaſi *conſororini*. ac tum inter ſe referuntur; eſtque alter alteri conſobrinus, quippe alter alteri materteræ filius.

Rurſus

Rurſus conſobrinus dicitur, cum ex una parte matertera eſt, ex altera avunculus: ut puta cum ex fratre & ſorore filii prognati ſunt; tum enim ambo invicem conſobrini adpellabuntur, atque inter ſe conferuntur, quippe cum ille avunculi, hic materteræ filius ſit. *l.* 1. *§. quarto. l. ult. §. eod. gradu, D. de gradib.* Sed recepta conſuetudine latius hoc nomen productum eſt, ut generaliter patrui, amitæ, avunculi, materteræ filios comprehendat, quartoque numerentur gradu. *l.* 1. *§. quarto. l. ult. §. eod. gradu, D. de grad. l.* 1. *C. und. legit.* Quod cum ita ſit, nihil mutandum eſt apud Paulum, *lib. ſent.* 4. ubi ſic legitur: *Conſobrinus, conſobrina, id eſt, avunculi & matertera filius, filia. Amitinus, amitina, id eſt, amita filius, filia. Itemque conſobrini, qui ex duabus ſororibus naſcuntur.* Ubi video, eſſe, qui abſurdiſſime delenda hæc verba cenſent, *& matertera.* Item illa, *itemque conſobrini, qui ex duabus ſororibus naſcuntur. Amitinus, amitina, amita filius, filia,* inquit Paulus, *lib. ſent.* 4. *t.* 11. Itáque uſurpatur *in l.* 5. *C. commun. de ſucc.* Confertur cum conſobrino; ut, qui mihi, ex amita mea natus, amitinus eſt, eidem ego, ex avunculo ipſius natus, ſim conſobrinus. *Amita tua filii* (inquit Juſtin.) *conſobrinum te adpellant, tu illos amitinos.* §. quarto gradu, Inſt. de grad. Quod cum

aptiſſime quadret atque conveniat, permirum mihi videtur, quod & Caius, *in l.* 1. & Paulus, *in l. ult.* §. *quarto gradu, D. de grad.*, amitinos inter ſe, ſicut & patrueles inter ſe, conferri ſcribunt; quaſi amitini ſint, ut Nonius ſcribit, fratrum maris & feminæ filii, hoc eſt, fratris & ſororis filii inter ſe. Quod mihi uſque eo novum videtur, ut verear, ne tribus locis mendum inrepſerit apud Juſtinianum, Caium, Paulum. Difficile hoc dictu eſt. Sed certe apud Juſtinianum oratio non cohæret. nam, cum ita ſcripſiſſet, *At, eos, qui ex fratre & ſorore progenerantur, amitinos proprie dici, putant*: mox contrarium ſubjungit, *Itaque*, inquiens, *amitæ filii conſobrinum te adpellant, tu illos amitinos.* Quæ nemo ſanus congruere adfirmabit. Cogitandumque arbitror, ecquid potius ita ſcripſerit: *Eos, qui ex fratre & ſorore progenerantur, conſobrinos & amitinos proprie dici, putant.* Nam, quid eſt argumenti aut rationis, eum, qui ex avunculo natus eſt, amitinum adpellare? Itaque apud Caium commodius ita legeretur: *Item conſobrini, conſobrinæ, amitini, amitinæ, id eſt, qui quæve ex fratre & ſorore propagantur.* l. 1. D. de grad. Et apud Paulum: *Ex fratre & ſorore conſobrinos, conſobrinas; amitinos, amitinas*: ut (quemadmodum ſuperius dictum eſt) conſobrinus cum amitino, viciſſimque

simque hic cum illo conferatur: quod & Justiniani testimonium, & nominis ratio, & Pauli locus in Sententiis, apertissime flagitant. *Sobrini* proprie sunt, inquit Caius, qui ex fratribus patruelibus, aut consobrinis, aut amitinis, undique propagantur. Itaque in themate cognationis, patrui magni, amitæ magnæ, avunculi magni, materteræ magnæ nepotes, sobrini dicuntur ei de quo quæritur. Constanterque veterem sententiam meam retineo, ut apud Caium, *in l. 3. D. de grad.*, sic emendetur: *Item patrui magni*, &c., *nepos, neptis, qui ex fratribus patruelibus, aut consobrinis, aut amitinis, undique propagantur*; & *proprie sobrini vocantur*. alioqui bis idem eodem loco numeraretur. Conferuntur ergo inter se sobrini. nam qui me illo nomine adpellat, eundem ego vicissim eodem nomine adpello. qui & sexto à me numeratur gradu. *Proavi pronepotes*, ait Paulus, *ei, de cujus cognatione quæritur, sobrini sunt, & invicem huic illi sobrini*. d. l. ult. §. sexto gradu, versic. ex quibus. Quod ad eorum sententiam refellendam valet, qui hos inter se consobrinos dici putant, propter eos Pauli locos, ubi sic nominantur. ut lib. sent. 4. tit. 11. §. sexto gradu: *Patrui magni nepos, neptis, id est, propioris sobrini filius, filia; qui consobrini vocantur*. Et §. seq. ubi consobri-

ni filium, filiam, ſeptimum in gradum refert. Itemque *l. ult. §. quarto gradu, D. de grad.* ubi ſic legitur: *Sororum fratrumque meorum nepotes, neptes, item mei, inter ſe conſobrini ſunt.* Nam, pro *conſobrini* legendum ac reſtituendum eſſe *ſobrini*, cum utriuſque nominis differentia diligenter ubique ſervata convincit, tum etiam aliorum locorum ſexcentorum auctoritas, in quibus conſtanter iſtæ adpellationes diſtinguuntur. Cic. lib. offic. 1.: *Sequuntur fratrum conjunctiones, poſt conſobrinorum, ſobrinorumque.* Ælius Gallus juriſconſultus, apud Feſtum: *Sobrinus eſt patris mei, matriſve meæ, conſobrini filius. Sobrino natus*, dicitur ſobrini filius, ſeptimoque cenſetur gradu: confertur autem cum propatrui, proamitæ, proavunculi, promaterteræ nepote. Quem enim ego ſobrino natum adpello, is me vocat propatrui ſui nepotem. Cauſa autem adpellationis eſt, quia in ſobrinorum gradibus cognationis nomina deſinunt. Qua de cauſa, cum ſobrinii filius proprium in Latina lingua nomen non habeat, demonſtrativo nomine adpellabitur. *l. ult. §. ult. D. de gradib. §. ult. Inſt. de ſucc. cogn. l. 1. §. 2. D. und. cogn.* & apud Paul. *d. lib. ſent. 4. tit. 11. §. ult. & §. pen.* ubi tamen mendoſe legi *conſobrini filii, filiæ*, reſtituendumque *ſobrini*, ſup. demonſtravimus.

Propior

Propior ſobrino (qui & *propius ſobrino*, & *propior ſobrinus* adpellatur) is demum dicitur, qui propatrui, proamitæ, proavunculi, promateterteræ filius eſt, quaſi qui uno gradu citerior eſt quam ſobrinus : atque idem ipſe patri ejus, de cujus cognatione quæritur, conſobrinus eſt ; quintoque numeratur gradu. *l.* 1. *in fin. l.* 2. *l. ult. §. quinto gradu, D. de grad.* & apud Paul. *lib. ſent.* 4. *tit.* 11. & Juſtin. §. *quinto gradu*, *Inſt. de grad.* Ex quo intelligitur, propiorem ſobrino cum eo tantum conferri, qui patruelis, amitini, ac generaliter conſobrini filius eſt ; ut, quem ego ſobrino propiorem nomino, is me conſobrini ſui filium adpellet. Similiterque Paulus, *in d. l. ult. §. ſexto gradu*, dilucide ſcribit, patrui majoris filium, patri ejus, de cujus cognatione quæritur eſſe propiorem ſobrino. Et, paucis verſibus interjectis, patrem ejus, de quo quæritur, pronepoti proavi eſſe propiorem ſobrino. Item, *in §. ſeq.*, patrui maximi filium, qui ſeptimo gradu eſt, avo ejus, de cujus cognatione quæritur, propiorem ſobrino adpellat. & paulo poſt, patrui majoris nepotem, avo ejus, de cujus cognatione quæritur, propius ſobrino.

Itaque in hac tabula,



in qua Laban Jacobo ſobrinus eſt, Bethuel erit Jacobo propius ſobrino : viciſſimque cum Jacobus Labano ſobrinus ſit, Iſaacus Labano dicetur propior ſobrino; utpote qui uno gradu, quam ſobrinus, citerior ſit. Et, cum *Geneſ.* 24. dicatur Iſaacus Rebeccam, Labani ſororem, in uxorem duxiſſe; Latine ſic effemus : Rebecca propiori ſobrino nupſit ; Iſaacus conſobrini filiam duxit. Atque ita videmus, propiorem ſobrino vocari, *in l.* 2. *C. commun. de ſucc.* Quod cum ita ſit, idque perſpicue à Paulo Maſſurii auctoritate confirmetur, ac tam multis locis conſtanter à juriſconſultis tradatur, neminem dubitaturum arbitror, quod apud Feſtum mendoſe ſic legatur : *Propius ſobrino mihi eſt conſobrini mei filius* : proinde quaſi nomen hoc reciprocetur, ſicut ſobrini aut conſobrini appellatio : ut, quemadmodum propatrui filius

filius Titio eſt propior ſobrino, ita viciſſim Titius illi propior ſobrino ſit. In quo vitium eſt apertiſſimum. Nam, cum propior ſobrino ſic dicatur, qui ſobrino citerior eſt, ut jam diximus; ſatis conſtat, conſobrini nepotem ſobrinum non eſſe. Præterea Caius, Paulus, Imperator, iterumque Paulus conſobrini filium à propiore ſobrino ſemper accurate diſtinguunt, eoſque in computandis quinti gradus perſonis ſeparatim enumerant; ut ea nomina confundi ſine temeritate non poſſint. Quo probabilior mihi eorum ſententia videtur, qui *in l. 2. C. und. legit.* verba illa, *id eſt, à conſobrina natum*, gloſſema vel indocti, vel ſemidocti interpretis fuiſſe arbitrantur, ſub illis Imp. verbis ſubjecta, *Cum propiorem ſobrinum*, &c. præſertim cum de jure propioris ſobrino conſulenti, nihil opus gloſſemate fuerit; non magis quam *in l. 2. C. comm. de ſucc.* De propiore ſobrino mentio fit *in l. 5. D. de injur. l. 1. D. ad leg. Iul. repet. l. 3. D. ad leg. Pomp. de parricid. & in Collectaneis, tit. 9.*

Caput X.

Index nominum adfinitatis, eorumque inter ſe relatio.

Socer, eſt viri aut uxoris pater. *l. 4. §. 6. D. de grad.* & ad generum nurumque

refertur. *Socrus*, est viri aut uxoris mater; & ad generum nurumque refertur. late tamen etiam ad uxoris aviam & proaviam producitur. *d. l.* 4. §. *& quid*, 6. *D. de grad. l.* 14. §. *ult. D. de rit. nupt. Prosocer* (qui & *socer magnus* dicitur) est uxoris aut mariti avus; & ad progenerum & pronurum refertur. *d. l.* 4. §. 6. *& l.* 3. §. *ult. D. de postul. Prosocrus* (quæ & *socrus magna* dicitur) uxoris aut mariti avia est; & ad progenerum pronurumque refertur. *d. l.* 4. §. 6. *Lener*, filiæ maritus; & cum socero socruve confertur. *d. l.* 4. §. *& quid.* Capitolin. in Anton. Pio: *Gener per majorem filiam Lamia Syllanus*; *per minorem, Marcus Antoninus, fuere. Nurus*, filii uxor; & cum socero socruve rationem habet. *d. l.* 4. §. 6. Late tamen etiam ad nepotis ex filio filiave nea nati uxorem hoc nomen producitur. *l.* 6. *D. eod. l. adoptivus*, 14. §. 4. *D. de rit. nupt. Vitricus*, maritus alter matris; & cum privigno, privigna, confertur. *d. l.* 4. §. 6. *& l.* 3. *C. commun. de succes. Noverca*, altera patris uxor; & cum privigno, privigna, confertur. *d. l.* 4. §. 6. *D. de grad.* Late tamen etiam ad avi & proavi uxorem hoc nomen producitur. *l. adoptivus*, 14. §. 4. *D. de rit. nupt. Privignus*, uxoris filius ex alio marito, itemque mariti filius ex alia uxore natus; & cum vitrico vel noverca

verca confertur. *d. l.* 4. §. 6. *D. de grad.* Late tamen etiam ad uxoris nepotem & pronepotem hoc nomen producitur. *l.* 14. §. 4. *D. de rit. nupt.* Transfertur etiam hoc nomen ad eum, qui ex non nupta, quæ poſt alteri nupſit, natus eſt. *l. privignus*, 7. *D. eod.* Sed in eo, qui ex uxore mea, quæ poſt divortium alteri nupſit, & filium ſuſceperit, proprie non uſurpatur. *l. ſi qua mihi*, 12. §. 4. *D. de rit. nupt.* *Privigna*, uxoris filia ex alio marito, itemque mariti filia ex alia uxore nata; & cum vitrico vel noverca confertur. *d. l.* 4. §. *& quid.* *Conſoceri* dicuntur inter ſe, quorum unius filius alterius filiam uxorem duxit. Tranquill. Claudio: *Appium Silanum conſocerum ſuum occidit.* Superius autem dixerat, Claudium filiam ſuam Octaviam Silano adoleſcenti, Appii filio, deſponſaſſe. Credo, eadem ratione *compriviguos* dici poſſe, quorum unus novercæ filius alteram vitrici filiam, aut ex contrario, uxorem duxit. velut *in* §. *mariti*, *Inſt. de nupt. l. cum hic ſtatus*, 32. §. *ſi ſocer. & paſſ. D. de don. int. vir.* Atque hæc quidem eorum nomina ſunt, qui parentum liberorumve locum obtinent. §. *adfin. Inſt. de nupt. l. ultim. D. de rit. nupt.* Sequitur eorum recenſio, qui fratrum & propinquorum numerum obtinent. quorum nomina in Latina lingua perpauca exſtant, ſed

diſciplinæ cauſa nobis fingenda, & ſuppo-
nenda erunt. *Fratria*, fratris uxor. Quam-
quam Nonius, *Fratriæ*, inquit, *adpellantur fratrum inter ſe uxores.* Quod ſi verum eſt, mendum eſſe apud Modeſtinum videtur, ubi ſic legitur: *Duorum fratrum uxores, janitrices dicuntur, apud Græcos εἰναίτηρες.* Corrigendumque, *fratriæ. l. 4. §. 6. in fin. D. eod. Fratriſſam* autem fratris uxorem Canoniſtæ adpellant, 35. *q.* 5. *c. quod autem.* Cicero, pro Cluentio: *Nam cum eſſet gravida Auria fratris uxor. Sororius*, ſororis maritus: novum & commentitium. Nam (ut Iſidorus teſtatur, *lib. Etym.* 10. *c.* 7.) nullum in Latina lingua nomen habet. Cicero, pro C. Rabirio: *Cariorem huic ſororis maritum, quam ſororis filium fuiſſe.* Idem, Philipp. 2.: *Dixit in ſororis ſuæ virum; vitricum tuum. Lævir*, frater mariti; vetus eſt. *l.* 4. §. 6. *Lævir*, inquit Nonius, *dicitur frater mariti, quaſi lævus vir. Profrater*, frater uxoris; novum, & à nobis fictum, quoniam ei Latinum (ut eodem loco Iſid. teſtatur) nomen deeſt. Cicero, pro Domo: *Quis ergo adfuit? Frater*, inquit, *uxoris meæ.* Tranquill. in Jul. *L. Cinnæ*, *uxoris fratri, reditum in civitatem confecit.* *Glos*, ſoror mariti; vetus eſt. *l.* 4. §. 6. *D. de grad.* Et apud Feſtum: *Glos*, inquit, *viri ſoror, à Græco γάλως.* Nonius etiam fratris

uxori

uxori hoc nomen tribuit. *Glos*, inquit, *adpellatur mariti ſoror, atque eadem fratris uxor. Proſoror*, ſoror uxoris; novum eſt, & à nobis excogitatum, quoniam (ut eodem loco Iſid. ſcribit) Latinum nomen non habet. Porro in patrui & amitæ, avunculi & materteræ gradibus, Latina nulla exſtant adfinitatis nomina. Itaque efferre illa ſic cogemur: *Patrui* vel *avunculi uxor*; *amitæ* vel *materteræ maritus*. Capitolinus, in Anton. Philoſ.: *Alexandria, filia Caſſii, & Druncianus, gener, commendati amitæ marito*. Item: *Amita Martii virum Antoninum Pium Adrianus ea lege in adoptionem legit*. Item in Anton. Pio: *Ita ſibi ille adoptaret M. Antoninum, fratris uxoris ſuæ filium*. Quod idem de propatruis, proavunculis, proamitis, promateterteris, ceteriſque ſuperioribus intelligendum eſt. Conferuntur autem inter ſe hoc modo:

Lavir, frater mariti.	*Fratria, fratris uxor.*
Fratria, fratris uxor.	*Glos, ſoror mariti.*
Sororius, ſororis maritus.	*Profrater, frater uxoris.*
Sororius, ſororis maritus.	*Proſoror, ſoror uxoris.*

FINIS.

FRANCISCUS HOTMANUS, J.C.,

DE

SPURIIS,

ET

LEGITIMATIONE.

CAPUT I.

Spuriorum definitio, nominis notatio, & divisiones multiplices.

SPURIUS, generale nomen est, quod iis omnibus convenit, qui sine patre justo nati sunt. Cujus adpellationis originem haud scio an satis commode jurisconsulti ad Græcam notationem retulerint: quasi qui ἀπορρώδην concepti sint. nam si ita esset, hoc quoque nomen usurpatum à Græcis fuisset. Quare videamus, num probabilius sit, quod Plutarchus scribit: Cum ii qui sine patre justo nati essent, iisdem literis designarentur, quibus prænomen Romanum *Spurius* scribitur, hoc est, SP.; tandem eo rem consuetudine lapsam esse, ut *spurii* adpellarentur. Quam multi autem

autem ejuſmodi primis urbis Romæ incunabulis fuerint, cum ex Dionyſii *lib.* 4. intelligi poteſt, tum etiam ex eo, quod Livius *lib.* 10. teſtatur, reliquos ſane non multos *patricios* eſſe nominatos: quaſi qui patrem ciere poſſent: itemque *ingenuos*. *An unquam fando audiſtis*, inquit, *patricios primo eſſe factos, non de cælo delapſos, ſed qui patrem ciere poſſent*. id eſt, nihil aliud quam ingenuos. Spurius ergo eſt, qui ſine juſto patre natus eſt: hoc eſt, qui patrem demonſtrare non poteſt: vel qui poteſt quidem, ſed non eum, qui jure Quiritium probatus eſt. Hinc illud, ſive Valerii Maximi, ſive alterius: *Spurii dicuntur, patre incerto nati: quaſi ἀπάτορες*. Et Ulpianus, tit. regul. 4: *Qui matre*, inquit, *certa, patre autem incerto, nati ſunt, ſpurii adpellantur*. Itaque, quoniam, ubi legitimæ nuptiæ ſunt, patrem liberi ſequuntur, *l. cum legitimæ*, 19. *D. de ſtat. hom.* proinde jus poſtliminii, patri competens, etiam ei, qui apud hoſtes ex eo & uxore ipſius natus eſt, competit: ac reſcriptum eſt, eum qui cum ſola matre in civitatem revertiſſet, ſpurium habendum eſſe: quippe qui tum demum, cum in civitatem adfertur, naſci videatur. *l. divi*, 25. *D. de captiv.* Nam, ut patrem definimus eum, quem nuptiæ demonſtrant, *d. l.* 19. *D. de ſtat. hom.* eodem modo filium nominamus eum, qui ex viro & uxore

ipſius naſcitur. *l. filium, 6. D. de his qui ſunt ſui vel alien.* Denique, ſpurii in libris noſtris paſſim opponuntur juſtis liberis. ut *l. 4. in fin. D. de in jus voc. l. ult. C. quand. mul. tut. offic. l. ult. C. qui petant tut.* quemadmodum apud Græcos νόθοι opponuntur γνησίοις. ut *Novell.* 89. & apud Euripidem *in Andromacha:* Νόθοι τε πολλοὶ γνησίων ἀμείνονες. De hoc autem *nothorum* vocabulo Quintilianus, *lib. 3. c. 6.*, ita ſcribit: *Nothum, qui non eſt legitimus, Græci vocant.* Latinum rei nomen (ut Cato quoque in oratione quadam teſtatus eſt) non habemus, ideoque utimur peregrino. Jam vero ſpurii paſſim in iiſdem libris noſtris *vulgo quæſiti* adpellantur. ut *l. vulgo quæſiti*, 23. *D. de ſtat. homin.* proque iiſdem nomen hoc uſurpatur. uti patet ex collatione *l. 2. & l. 4. D. und. cognat.* cum Ulpiani *tit. reg.* 5. Unde, quemadmodum ſpurii juſtis liberis; ſic etiam vulgo quæſiti, jure quæſitis opponuntur. *l. patronus*, 18. *D. de bon. libert. l. ſi quis liberis*, 5. §. 3. *D. de adgnoſc. lib.* & juſtus pater opponitur matri quæ vulgo concepit. *l. lege Iuliæ*, 44. §. 3. *D. de rit. nupt.* Rurſus, adpellantur & *filii naturales.* ut *in rub. C. de nat. lib. & l. ult. D. de his qui ſunt ſui vel alien. l. omnes*, 17. §. 1. *D. quæ in fraud. cred. l. naturalis*, 5. *D. de præſcript. verb. l. ult. C. de confirm. tut. l. ult. C. qui pet. tut.*

tut. Qua de causa pater naturalis confertur cum filia vulgo quæsita. *in l. adoptivus*, 14. §. 2. *D. de rit. nupt. & l.* 3. *D. de lib. caus.* Spuriorum autem divisio est multiplex. Nam alii ex concubinatu nascuntur, alii ex scortatione, alii ex stupro, alii ex adulterio, alii ex incestu. Vel hoc modo planius: Ex concubina, ex meretrice, ex virgine, vel vidua honestæ existimationis, ex adultera, ex cognata, ex serva non concubina, aut ex peregrina. *l.* 25. *D. de captiv.* ex uxore injusta; ut ea, quæ sine patris jussu ducta est. Apul. lib. 6.: *Impares nuptiæ, & præterea in villa, & patre non consentiente factæ, legitimæ non possunt videri: ac per hoc spurius iste nascetur.* De quibus omnibus eo, quem proposuimus, ordine differendum est. Ac primum de iis qui ex concubinis nascuntur. De quibus ipsis nonnihil prius explicandum est. Nam earum genera duo in libris nostris reperio: unum, quod ante Justinianum in usu fuit: alterum, quod à Justiniano nove inductum est, & suis legibus atque conditionibus definitum.

Caput II.

De concubinis, & earum jure.

Ergo, quod ad antiquum jus attinet, *concubina* dicebatur mulier, sive serva, sive

ſive libera, innupta, quam quis non uxoris loco, ſed concubinatus tantum cauſa, ſine ſtupri crimine, habebat. Nam ſervas quoque pro concubinis haberi ſolitas, patet *ex l. denique*, 8. *D. de pignor. l. pen. D. de reb. auct. jud. poſſid. l. ult. C. comm. de man.* &, qui ex iis naſcebantur, ſervi erant; filiique naturales dicebantur. *l. ult. de his qui ſui vel. l. naturalis, D. de præſcr. verb. l. ult. C. de confirm. tut. l. naturali*, 7. *D. eod. l. ult. C. quand. mul. tut. effic.* neque aliud juris, quam alii ſervi, habebant. *l.* 3. *C. de inceſt. nupt.* Rurſus, harum concubinarum duo erant genera. Nam aliæ, honeſtæ, matronæ, matresf. adpellabantur: veluti ingenuæ; quæ, teſtatione interpoſita, ſeſe alicui in concubinatum dabant. *l.* 3. *D. de concub.* aut libertæ; quæ ſuis ſe patronis jungebant. *l. probrum*, 41. §. 1. *D. de rit. nupt. l.* 3. §. 1. *D. de don. int. vir. & ux. l. ſi uxor*, 13. *D. de adult.* ubi matronæ & matresf. adpellantur. atque adeo traditur, eas, ſi ſeſe alteri proſtituerint, adulterii accuſari poſſe: non tamen jure mariti, ſed jure extranei. Aliæ vero, probroſæ & turpes habebantur: veluti, quæ, libertæ, ſeſe alteri quam patrono in concubinatum tradebant. *d. l. probrum*, §. 1. *& l. cum tabulis*, 16. §. 1. *D. de his qua ut indign.* De quo §. idcirco paulo copioſius explicandum eſt, quoniam ex eo

maxime

maxime tota pendet illa disputatio, An ex concubina nati, spurii, & vulgo quæsiti, dici antiquo jure possent. Cum enim viri unius cum una muliere concubinaria consuetudo est, neque sine patre certo natus ex ea filius videtur, neque vulgo quæsitus. Huic hominum nonnullorum disputationi objicimus primum auctoritatem *l.* 2. *&* 4. *D. und. cogn.* itemque §. *vulgo*; *de succ. cogn.* ubi traditur, bonorum possessiones unde cognati iis concedi qui spurii & vulgo quæsiti sunt. de quibus enim potius illud accipiendum est, quam de iis qui ex honesto concubinatu nati, & jure civili probati sunt? qui si spuriorum nomine non intelliguntur, ecquonam, quæso, alio nomine illa bonorum possessio iis deferetur? Præterea Ulpianus, *in d. l. cum tabulis*, rem omnem perspicue demonstrat. Cujus hanc esse sententiam arbitror, longe ab aliorum opinione dissidentem: *Cassianus senator Rufinam ingenuam, pleno & maritali honore dilexerat, ex eaque puellam susceperat.* Honos autem ille non concubinas, sed uxores facit, extra quam si corpore quæstum fecerint. *l. in libera, D. de rit. nupt. l.* 3. §. 1. *D. de don. int. vir. & uxor. l.* 3. *D. de concub. l. donationes*, 31. *D. de donat.* Cum Cassianus testamentum faceret, filiam illam, ex ea conjunctione natam, heredem instituit. mortuo

Cassia-

Cassiano, legitimi heredes institutionem oppugnabant, hac de causa, quod dicerent, Rufinam, imprudente Cassiano, vulgo corpore quæstum feciſſe: tametsi non palam: *ut in d. l. probrum, de rit. nupt.* ac proinde tantum abeſſe, ut illa uxor fuerit, ut ne concubinæ quidem loco habenda sit: stuprum enim cum ea commiſſum fuiſſe. *d. l. in libera. & l.* 3. *D. de concub.* Imperatores tamen reſcripſerunt, institutionem valere: quia concubinæ sine dubio hereditatum capaces sunt: sive illæ honeſtæ, sive probroſæ sint. quodsi cum concubinis teſtamenti factio est, multo magis cum iis qui ex ipsis nati sunt. Postremum argumentum sumi poteſt *ex l. Imperatores*, 29. §. 1. *D. de probat.* ubi natus ex adulterio uxoris, spurius adpellatur. nam, si ex uxoris adulterio natus, spurius est; quanto magis qui ex concubinæ scortatione susceptus erit? Atque hoc nimirum illud est, quod Papinianus scribit, apparuiſſe post Cassiani mortem, filiam illam vulgo quæsitam fuiſſe: hoc est, Rufinam, imprudente Cassiano, vulgo corpore quæstum feciſſe. Neque movet, quod hæc non Cassiani, sed Rufinæ filia nominatur: quia, cum apparuerit, eas nuptias non fuiſſe, Cassiani filia dici non potuit. Quare, ut rem in pauca conferam, non puto, Rufinam veram uxorem fuiſſe; post ejus autem

tem è vita exceſſum, filiam ejus in concubinatum à ſuo vitrico adſcitam eſſe. Et in fine, ut nonnulli putant, corrigendum, *vulgo quaſitam fuiſſe apparuit*. Primum, quia nulla exſtat litera, unde ſignificetur, puellam iſtam in concubinatum habitam fuiſſe. Deinde, arbitror, *ex l.* 1. §. 3. *D. de concub.* privignæ concubinatum pro nefario & flagitioſo numerari. quandoquidem, utrum mulier patri ſe & filio proſtituerit, an vero vir cum matre & filia rem habuerit, nihil interſit. *l. ſi qua mihi*, 12. §. 1. *D. de rit. nupt.* Præterea, quorſum, quæſo, ad propoſitum illa adjectio pertineret, puellam vulgo quæſtum feciſſe? Atque hæc quidem & de veteris juris concubinatu & de primo ſpuriorum genere dicta ſint. Secunda ſpecies ſpuriorum, eſt eorum propria, qui ex meretrice nati ſunt. Tertia vero eorum, qui ex virgine, vel vidua honeſtæ exiſtimationis, quæſiti ſunt. de quibus teſtatur *l. ſi qua illuſtris*, 5. *C. ad Orphic. & l. privignus*, 7. *D. de grad. l. ex libera*, 6. *C. de ſuis & legit.* Quarta, eorum eſt, qui ex adultera nati ſunt: de quibus apertiſſime loquitur *l. Impp.* §. 1. *D. de probat.* & Caius *lib. Inſt.* 1. *c.* 4. Quinta, eorum, qui ex cognata per inceſtum ſuſcepti ſunt: de quibus *l. ſpurii*, 6. *D. de decurionib. & l.* 2. *C. Th. de inceſt. nupt.* & Caius, *lib. Inſt.* 1. *c.* 4. Unde Ulp. reg. tit. 5.

Si

Si quis, ait, *eam*, *quam non licet*, *uxorem duxerit*, *incestum matrimonium contrahit*: *ideoque liberi non fiunt*; *sed*, *quasi vulgo concepti*, *spurii sunt*. Hæc cum ita sint, tamen, ut in plerisque aliis juris nostri quæstionibus, disciplinæ causa, singulæ res singulis nominibus distinguuntur. Similiter in hoc tractatu, interdum vulgo quæsiti nomen ei proprie & peculiariter tribuitur, qui ex ea, quæ corpore quæstum fecit, natus est; & ab eo separatur, qui ex honesta concubina susceptus est: velut *in l. privignus*, 7. *D. de gradib. & adfin.* Similiter spurius ab eo qui ex incestu natus est. *l. spurii*, 6. *D. de decurionibus*. Sed hæc hactenus. Nunc consequens est, ut de novo concubinarum genere, quod solum à Justiniano probatum est, disseramus. Ergo, ex Justiniani jure, concubina est mulier libera, innupta, quam vir cælebs domi concubinatus causa solam habet. Liberam enim concubinam esse oportere, satis ex eo intelligitur, quod intestato succedit. *l. si qua illustris*, §. 1. C. *ad Orphic.* itemque *Novel.* 89. §. εἰ δὲ τις τοίνυν πρόικα. ubi Julianus, *Concubinam*, inquit, *dicimus talem*, *quæ*, *libera constituta*, *in domo defuncti erat*. itemque *Novell.* 18. §. βλέψωμεν, his verbis: εἴη ἢ αὐτῷ κεῖ τὸ οἶκον, ἕως περιλοῦ, ἐλευθέρα τε γυνὴ, οὐ παλλακῆς σχήματι συνιοῦσα. Quinetiam Justin.

in

in l. ult. C. commun. de manum. ſtatuit, ut, ſi quis forte ancillam ſuam pro concubina habuerit, neque de ipſa, natiſve ex ea, quidquam in teſtamento ſtatuerit; tum & ea, & ex illo concubinatu nati, poſt domini mortem liberi ſint. Innuptam autem eſſe eam oportere, non modo Juſtinianico, ſed etiam vetere jure, propter adulterii crimen, ſuperius dictum eſt. *ex l. ſi uxor*, 13. *D. de adulter.* Addidimus autem, concubinam à viro cælibe tantum haberi poſſe, propter Conſtantini conſtitutionem *in l.* 1. *C. de concub. & l. ult. C. commun. de manumiſſ.* Qua ex re differentia inter veteres concubinas & has recentes intelligitur. Nam, ut in commentario de verbis juris docuimus, jure vetere etiam maritis habere concubinas licuit. Solam autem, addidimus, propter hæc Juſtiniani verba, quæ in utraque illa Novella poſuit: Εἰ δὲ ἐκκεχυμένα τὰ τῆς ἐπιθυμίας αὐτῷ γένοιτο, καὶ ἄλλας ἐπ' ἄλλαις ἐπεισαγάγοι τῇ σωτείρᾳ παλλακαὶς, καὶ πολλῶν ἔχοι γυναικῶν πορνευομένων, (οὕτω γὰρ εἰπεῖν κάλλιον,) μισητὸς μὲν ἡμῖν ὁ τοιοῦτος, &c. Id eſt: *Quod ſi profuſa ipſius libido fuerit, &, præter primam concubinam, alias ſuper alias inducat, pluresque habeat meretrices, (ſic enim verius adpellandæ ſunt,) odio is nobis erit: neque hujus legis beneficio fruetur.* Hæc cum ita ſint, illud intelligi debet,

debet, è quinque ſpuriorum generibus, quæ antiquo jure probabantur, quatuor à Juſtiniano ſublata fuiſſe: unumque id ſolum eorum comprobatum, qui ex concubinis nati eſſent: quos Græco nomine νόθους, interdum etiam ex Romana conſuetudine φυσικοὺς, adpellat. quorum tamen duo hæc genera obſervavimus: unum eorum, qui ex certis concubinis; alterum eorum, qui ex non juſtis uxoribus ſuſcepti erant. id eſt, ex iis mulieribus, quæ uxorum quidem animo habebantur, ſed, contra leges & præſcripta Juſtiniani ductæ, uxorum jure non cenſebantur. Quod Juſtinianus, *in fin. Novellæ* 74., his demonſtrat verbis: Εἰ δὲ καὶ τοῦτο γένοιτο, μὴ μὴν τοι ὅτι καταδικασμένης ἀποβέλλοιεν συναφείας, ἔσονται νόθοι· καὶ ὅτι παρ' ἡμῶν φιλοτιμηθέντων τοῖς νόθοις, εἴτε ὅτι ἀληθείας, εἴτε ἐξ ἀληθείας, τεύξονται.

CAPUT III.

De ſpuriorum & nothorum jure veteri & novo.

NUNC proximum eſt, ut de ſpuriorum jure conſideremus. Hæc autem conſideratio duplex eſt: primum ex veteris juris ratione; tum deinde ex novi, quod à Juſtiniano introductum eſt. Ac veteris quidem juris ratio hæc fuit, ut ſpurii omnes, gentilitatum

tilitatum & adgnationum expertes essent: quippe cum adgnatio à patre sit: patrem autem spurii non habeant. *l.* 2. *&* *l.* 4. *D. und. cognat.* Sed cum vulgo concepti matrem sequantur, ut ait *l. cum legitima*, 19. *D. de stat. hom.* ac proinde cognationem per matrem adepti sint: quod caput prætor in edicto de cognatis posuit: id caput etiam ad spurios productum est. *d. l.* 4. *&* §. *vulgo quæsitos*, 4. *Inst. de succ. cogn.* Quod cum ita sit, facile intellectu est, quam inepte à nonnullis dubitetur, utrum spurii cives Romani, an vero peregrini essent. Quamquam ejus rei dubitationem Justinianus, *initio Novell.* 89., adtulisse videtur. ubi sic scribit: Τὸ τῶν νόθων ὄνομα τῇ Ῥωμαίων νομοθεσίᾳ πρώην ἐδιαιρέθησαν· εἰ δή τις ἐν αὐτῷ φιλανθρωπία, ἀλλ' ὡς ἔκφυλόν τι καὶ παντελῶς ἀλλότριον τῆς πολιτείας νομίζεται. Nam, si nothi pro exteris & plane à civitate alienis numerabantur; quomodo Rom. cives haberi potuissent? Quod etiam video Alciatum adfirmasse, *lib. parerg.* 4. *cap.* 6. Sed, cum *in l.* 1. §. 2. *D. ad Tertyl.* & §. *ult. ad Orphic.* legitima matris hereditas iis ex Orphiciano S.C. deferatur; item *in l.* 2. *&* 4. *&* *l. Modestinus*, *D. und. cogn.* & §. 4. *Inst. de succ. cogn.* bon. possessio unde cognati, iis & inter se, & inter matrem & ipsos concedatur: quid stultius est, quam dubitare, an cives R. fuerint?

fuerint? Præterea, cum *in l.* 4. *in fin. D. de in jus voc.* in jus vocatio iis adverſus matrem denegetur; perſpicuum eſt, eam adverſus alios omnes iis dari. *l. ex eo*, 18. *D. de teſtib.* Item videmus, eos heredes inſtitui, & cum iis teſtamenti factionem eſſe. *in l. cum tabulis*, 16. §. *quoniam*, *D. de his quæ ut indign.* & *l. Lucius*, 45. *D. de vulg. ſubſt. l. Lucius*; 88. §. *Damæ*, *D. de leg.* 2. *l. ult. D. de jur. de lib. l. omnes*, 17. §. 1. *D. quæ in fraud. cred.* neque id tantum, verum etiam de inofficioſo matris teſtamento queri poſſe: *l. ſi ſuſpecta*, 29. §. 1. *D. de inoff. teſt.* Item *in l.* 3. §. 1. & *l.* 6. *D. de decur.* ſpurios in decurionum ordinem adlegi: atque adeo etiam eos, qui ex inceſtu nati ſunt. Ad illa ergo Juſtiniani verba, quæ ſane nimium effuſe concepta ſunt, ita reſpondendum eſt: ſpurios omnis civilis juris expertes fuiſſe, duntaxat quod ex adgnatione comparatur. quoniam, ut ait Ulp. *in l.* 4. *D. und. cogn.*, adgnatio per patrem quæritur: ſpurii autem patrem non habent. Itaque nihil nos moveat, quod eodem loco Alciatus objicit *ex l.* 1. & *l. nec apud*, *C. de inſt. hered.* & *l.* 1. §. 2. *D. de leg.* 3. nam ibi nulla omnino ſpuriorum mentio eſt: ſed deportatorum aut peregrinorum duntaxat. Denique ἀπόρρητον Juſtinianus eadem immoderatione dicendi uſurpavit. qua uſum eundem videmus,

nius *in Novella* 153. *de infantib. expoſit.* & Conſtantinum, *in l.* 1. *C. de natur. lib.* Atque hæc quidem juris antiqui ratio fuit. Juſtiniani autem Novellis conſtitutionibus omnes (ut ſuperius dictum eſt) ſpuriorum ſpecies, præter unam nothorum, ſublatæ ſunt. Nothos autem definit, qui ex concubina nati ſunt: hoc eſt, ex muliere innupta, quam vir cælebs domi concubinatus cauſa ſolam habuit. Hujus autem juris origo prima ad Conſtantinum Imp. referenda eſt: quemadmodum teſtatur Juſtinianus, *initio Novell.* 89., & Zeno, *in l. divi*, 5. *C. de natur. lib.* Sed ea ratio, ſemel ab illo inchoata, poſtea à conſequentibus imperatoribus mirifice amplificata eſt, uſque ad tempora Juſtiniani: hoc eſt, per ſpatium annorum ducentorum. Ergo de Juſtinianico jure videamus. Id autem duplex eſt. nam prius, eſt de ſpuriorum conditione: alterum, de legitimatione. Spuriorum ergo conditio hæc à Juſtiniano definita eſt, ut ex inteſtati cauſa, ſi quidem juſti liberi exſtent, boni viri arbitratu alantur: ſi non exſtent, ſextans eis debeatur. Ex cauſa vero teſtamenti, ſi juſti exſtent, ſola eis uncia relinqui poſſit. ſi teſtatoris parentes exſtent, bes: ſi ſoli, quantumvis. *Novell.* 89. at in matris bonis, ut pro juſtis liberis habeantur. *l. ſi qua illuſtris, C. ad ſenat. Orphic.*

Hoc autem loco aliquot pragmaticorum quæstiones necessario tractandæ sunt. Quarum prima hæc est, An nothis aliqua legitima debeatur. Qua quæstione nihil absurdius fingi potest. Nam, cum legitima in locum querelæ inofficiosi introducta sit, quomodo pater in illos inofficiosus dici poterit, cum justis liberis existentibus non liceat ei amplius uncia illis relinquere? ut modo *ex Novella* 89. dictum est. Etsi autem ex causa quidem intestati, si justi liberi non exstent, sextans iis debeatur: qua de causa tertia sextantis pars eorum legitima esse videretur: tamen, cum legitima non nisi ex testati causa debeatur, quomodo inofficiosus dici poterit, qui etiamsi inofficiosissimus esse cupiat, tamen non nisi in uncia esse possit? Quare concludendum arbitror, nihil iis legitimæ nomine deberi: sed ejus nomine alimenta boni viri arbitratu adtribuenda esse. Altera quæstio est, An filiæ nothæ dos à patre debeatur. Nam exstat Ulpiani testimonium *in l. uxorem*, 41. §. *pater naturalis*, 11. *D. de legat.* 3. ubi aperte scribitur, patrem non teneri dotem spuriæ filiæ constituere. Indeque vulgaris nata opinio est, patrem nothis puellis dotem non debere. Sed videamus, an lex illa nihil ad jus novum, hoc est, à Justiniano inductum, pertineat. nam jure antiquo pater naturalis filiam alere non cogebatur.

gebatur. *l.* 5. §. 4. *D. de adgnoſcend lib.* tantum abeſt, ut dotare teneretur. Sed cum jure novo boni viri arbitratu alimenta debeantur; ſtatuendum putarem, ex boni quoque viri arbitratu, pro facultatum paternarum modo, ei dotem, quæ quodammodo alimentorum locum obtinet, conſtituendam eſſe. Tertia quæſtio eſt, Ad quem dos, ſi qua nothæ conſtituta eſt, ſoluto matrimonio revertatur. De quo quia nihil toto jure conſtitutum eſt, non dubitarem, ad eum modum nobis reſpondendum eſſe, quem de ceteris dotibus *in lib. de Dotib.* explicavimus.

Caput IV.

De nothorum paternis & maternis hereditatibus.

Nunc conſequens eſt, ut de nothorum hereditatibus diſſeramus. Nam Juſtinianus, *Novella* 89. §. 13., ſtatuit, ut, quod jus nothis in parentum hereditatibus tribuitur, idem parentibus in illorum ſucceſſionibus concedatur. Quod non ita facile ad explicandum videtur. Nam, ſiquidem nothus liberos habeat, verum eſt, patrem ipſius egentem, arbitratu viri boni, ipſius facultatibus alendum eſſe. Quod ad alterum caput adtinet, quo conſtitutum eſt, ut, ſi pater juſtos liberos non habeat, ſextans notho,

decunx legitimis patris heredibus adtribuatur; non video, quemadmodum in nothi persona reciprocari possit. Nam, si nothus liberis careat, non sextans, sed as integer patri debebitur. ex causa autem testati, jus hoc manifestum est, ut nothus, liberos habens, patri suo unciam relinquere debeat. sed si pater liberos non habeat, patrem habeat; dictum est, eum posse bessem notho relinquere, trientem patri debere. quod quemadmodum contrariam in partem verti possit, obscurum est. pater enim patri suo trientem tantum debet: cum notho bessem relinquat. at nothus, liberos non habens, poterit extraneis bessem relinquere: suo vero patri, trientem. Postremus autem articulus, in quo dictum est, si pater neque patrem, neque liberos habeat, totum assem posse notho relinquere; reciprocationem non admittit. Quæ quidem omnia de patrum hereditatibus ultro citroque deferendis dicta sunt. Nunc de maternis videamus. Nam antiquo jure multiplex spuriorum jus in maternis hereditatibus fuit. Septuplex autem observavimus. Primum, ut ex Orphiciano S. C. matris intestatæ heredes essent legitimi. *l.* 1. §. 2. *C. ad Tertyl.* §. 3. *Inst. de Orphic.* Secundum, ut iis legitima in bonis maternis deberetur: alioqui inofficiosi querela uterentur. *l. si. suspecta*, 29. §. 6. *D. de inof.*

inof. teſt. Tertium, ut bonorum poſſeſſio unde cognati iis deferretur. *l.* 2. *l.* 4. *D. und. cogn.* §. *vulgo quæſitus*, *Inſt. de ſucc. cognat.* Quartum, ut mater illos alere cogeretur. *l.* 4. *l. ſi quis à liberis*, §. 4. *D. de adgnoſ. lib.* Quintum, ex Juſtiniani conſtitutione, ut una cum juſtis liberis æquis ex partibus ſuccederent. *l. ſi qua illuſtris*, 5. *C. ad Orphic.* Sextum, ut patronæ liberi vulgo quæſiti, materni liberti bonorum poſſeſſionem acciperent. *l. patrona*, 18. *D. de bon. libert.* Septimum, ut mater iis tutorem petere cogeretur. *l. ult. C. qui pet. tut.* Verum exoritur quæſtio, utrum jus illud omne per Juſtiniani Novellam confirmatum, an vero abrogatum ſit? Quod potius videtur: cum §. 1. ita ſcribat: Καλῶς ἔχειν ᾠήθημεν, ἐν μιᾷ διαθέξει τὸ πᾶν συναγαγεῖν, ἥπερ ἀντὶ πάντων δέοι ἂν καὶ περὶ τῶν νόθων διορθῶσαί τε καὶ νομοθετῆσαι. id eſt, *Optimum factu putavimus, jus omne de nothis unam in conſtitutionem conferre, quæ pro omnibus ſufficiat, ad ea, quæ ad nothos pertinent, & emendanda, & conſtituenda.* Cum enim dicat, ſe jus nothorum omne in eam Novellam contuliſſe; omne, quod reliquum eſt, abrogaſſe intelligitur. Alterum argumentum ſumi poteſt *ex* §. 4. ubi Juſtinianus ſcribit, eum nothum, qui legitimatur, ſoli patri legitimum fieri: reliquis omnibus patris adgnatis, cognatiſve, non

fieri; neque ullam cum ejus cognatione partem aut communionem habiturum. Tertium, quod, cum in Novellam 118. omne jus legitimarum hereditatum contulerit, in Novellam autem 18. omne id, quod est de Falcidia liberorum; nullam tamen in utraque spuriorum mentionem faciat. Atque hæc quidem ita disputari possunt: sed cum Justinianus nihil de maternis nothorum hereditatibus statuerit, probabilius arbitror, ubi de juris antiqui abrogatione non constat, eo standum esse. *arg. l. sancimus, C. de leg. præst. & l. præcipimus,* 32. *§. ult. C. de adpell.*

CAPUT V.

An nothi, ex nobilibus nati, nobilitatem retineant.

DEINCEPS illa tractanda quæstio est, de qua passim à pragmaticis disputatur, An nothi, ex nobilibus parentibus nati, nobilitatem retineant. Videndum est autem, quid utramque in partem adferri possit. Cum enim maternam cognationem retineant, qua de causa bonorum possessio unde cognati inter ipsos defertur, *l.* 2. *l.* 4. *l. Modestinus, D. unde cognat.*; difficile dictu est, eos posse cognationem sine nobilitate retinere. quippe, cum matris conditionem

nem

nem sequi dicantur. *in l.* 1. *in fin. D. ad municip. l. cum legitimæ*, 19. *l. lex naturæ*, *D. de stat. hom.* Præterea, quod ad novum jus attinet, hodie nothi sine patre dici non possunt. Nam ex Novellis Justiniani tam certum habent patrem, certamque matrem, quam qui ex justissimis nuptiis procreati sunt. Itaque etiam ab intestato patri heredes designantur. Quodsi legitimati sunt, quia tunc in patrum potestatem redacti sunt, ut posterius intelligetur, *ex l. ult. D. de adopt. & ex l. ult. D. de his qui sunt sui vel al.* probabiliter disputari posset, eos suitatem usquequaque adeptos esse; quasi jus suitatis individuum sit: quemadmodum videmus, *in l. qui in provincia*, 57. §. 1. *D. de rit. nupt.* statum eorum, qui ex incestu nati fuerant, ab Imp. ita confirmari, ut plane pro legitimis habeantur. Sic videmus, *in l. divi*, 5. *C. de nat. lib.* legitimatos duobus locis adpellari *suos*, & potestati patris subjectos: item *in l.* 6. *& l.* 7. *eod. tit.* Contra tamen, quod ad matris familiam attinet, illa pugnant. Primum, quod nobilitas jure nostro definitur claritas generis: ac proinde ex majorum origine defertur. *l.* 1. *C. de dignit.* Spuriorum autem origo ex eo tantum die, quo nati sunt, numeratur. l. ejus qui, 9. D. ad municip. *Ejus*, inquit, *qui justum patrem non habet, prima origo à matre, eoque die quo ex ea editus est,*

numerari debet. Præterea mulier familiæ ſuæ & caput & finis eſt. *l. pronunciatio*, 195. *in fin. D. de verb. ſign.* feminarum autem liberi in familia earum non cenſentur. *l. ſeq. eod.* Denique Juſtinianus, *in l. ſi qua illuſtris*, *C. ad Orphic.*, ſi bene lex attendatur, concubinatus & ſpuriorum nomen à nobilibus feminis apertiſſime removet. Etſi autem novo jure certum patrem habeant, non tamen filii jus adipiſcuntur: quia ſuitas, filiatio, adgnatio, cognatio, ſunt, uti ſuperius diximus, individua. *l. quæſitum*, 34. *D. de adopt.* Quod autem ad legitimatos attinet, jus antiquum, quo per principis reſcriptum ſuitatem adipiſcebantur, aperte *per Novell.* 89. abrogatum eſt: ubi Juſtinianus ſanxit, ut legitimati ſoli patri legitimati ſint, non etiam generi: idque certæ duntaxat portionis cauſa. Unde adparet, legitimationem eſſe jus quoddam definitum, & certis tanquam terminis ita circumſcriptum, ut longius produci non poſſit. Cum autem claritas generis per totam familiam diffuſa & plane individua ſit, atque in adgnatione & gentilitate poſita; quomodo ex ea ſola parte nobilitatem adſequerentur? Præterea, nobilitas, eſt jus familiæ: cujuſmodi eſt jus ſacrorum. *l. familiaria*, 5. *D. de relig. l. jus familiarum*, & *l. pen. C. eod.* Atque hæc quidem ex noſtris libris, & Juſtinianici

juris

juris ratione sic disputantur. Sed, cum nobilitas omnibus ætatibus ex variis cujusque gentis institutis æstimata sit; consentaneum est, receptam consuetudinem sequendam esse: quemadmodum videmus, apud Germanos, Venetos, aliasque gentes nonnullas, spurios postremorum hominum numero haberi: apud Delphinates autem, quod Guido Papius testatur, eos, qui ex nobili patre nati, & ab eo adgniti sunt, nobiles censeri. Jure vero civili, quod libris nostris continetur, absurdum est, existimare, nobilitatem iis etiam per legitimationem concedi. Legitimatio enim, ut constat ex *Novel.* 89., jus ex sola patris persona tribuit. nobilitas autem, totius generis & familiæ communis est. Ea vero jura esse inter se diversissima, perspicue traditur *in l.* 3. *D. de interd. & relegat.* Atque hæc quidem de primo nothorum gradu ita se habent. Antevero quam ad legitimationem accedamus, pauca de secundo dicenda sunt. nam Justinianus, *d. Novel.* 89. §. 12. *in fin.*, statuit; ut, quæ in Codice de istiusmodi nepotibus dicta sunt, teneantur. Constitutum autem fuerat *in l. ult. C. de natur. lib.* ut, sive ex justo filio nepos naturalis susceptus esset, sive ex naturali filio justus nepos; si justi liberi exstent, unciam ei relinqui liceat: sin minus, quantumvis. Ab intestato vero, ut hujusmodi neporibus

ſucceſſionis jus nullum eſſet. Quid ergo, ſi avus, quo de agitur, patrem habeat? an beſſem relinquere nepoti poterit, ut patri ſuo trientem legitimarium relinquere cogatur? Quod certe prima ſpecie videtur: ſed conſtitutionis illius verba repugnant. *In nepotibus*, inquit, *non eadem obſervatio eſt, ubi legitima ſoboles minime facit impedimentum.* Item: *Ea enim ſubſiſtente, veterum conſtitutionum tenorem*, &c. Quod cum ita ſit, nulla ſobole ſubſiſtente, ſequi videtur, ut veterum conſtitutionum tenor non obſervetur: ac proinde nepos ab avo inſtitui in beſſe non poſſit. Quod ſane concoquere non poſſum. Et, vere ut dicam, nimium perplexe ac tenebricoſe lex illa concepta eſt. Nam, ſi pater ſuo notho tantundem poteſt relinquere; quidni avus legitimo nothi filio perinde, ut cuivis extraneo, poterit?

CAPUT VI.

DE LEGITIMATIONE.

Et quatuor tractatæ quæſtiones in hoc argumento.

HACTENUS de ſpuriorum jure & conditione ſatis dictum eſſe arbitramur. nunc tempus eſt, ad eorundem legitimationem accedere. Sed prius, quid ſit legitimatio, conſiderandum eſt. Quod enim vulgo naturalium reſtitutio definitur *ex Novell.* 74.,

ex parte quidem verum eſt, ſed non ex toto. Natalium enim reſtitutio, jus omne, quod quis integris natalibus adipiſci poteſt, adtribuit. *l.* 2. *de natal. reſt.* Legitimatio vero tantum abeſt ut jus adgnationis integrum alicui præſtet, ut ſoli patri legitimum faciat: ab aliis vero omnibus trium generum adgnatis prorſus eum alienum relinquat. *Novel.* 89. §. 4. Quin ne integrum quidem adgnationis jus ei in parentis perſona tribuit: hoc eſt, ut ſuitatem obtineat. quemadmodum olim factum fuiſſe, argumento eſt *l. ult. D. de adopt.* Nam legitimationis jus omne hoc eſt. primum, ut juſtis liberis exſtantibus legitimari nothus, niſi per conjugium & decurionatum, non poſſit. deinde, ut legitimatus ſoli patri ab inteſtato heres ſit: ceteris non ſit. inſtitui tamen ab omnibus heres poſſit: ſed à patre non majore ex parte, quam quæ minima alicui adtributa eſt. Quod cum ita ſit, videndum, an legitimationis definitio commode tradi hæc poſſit: *Legitimatio eſt, cum ex concubina ſuſceptus, ita patri ſuo heres ab inteſtato deſignatur, ut etiam inſtitui ab eo heres poſſit: dum tamen ne majorem, quam quivis ex juſtis liberis, hereditatis partem capiat.* Quibus verbis omne, ut opinor, legitimatorum jus, quod quidem ad ſucceſſiones pertinet, continetur. Proba-

turque definitio hæc ex *Novell.* 74. & *Novell.* 117. §. 2. ubi γνήσιος ποιεῖσθαι Justinianus eos dicit, quos recepta in scholis consuetudine legitimari dicimus. Tribus autem modis legitimatio contingit: per decurionatum, concubinæ matrimonium, & principis rescriptum. Primum autem à Theodosio posteriore institutum fuisse, Justinianus testatur *in Novel.* 89. ejusque constitutio exstat *in l.* 3. *C. de natur. lib.* sed ea tota ratio à Justiniano emendata, formam hanc habet: ut liberi, sive ex concubina, sive ex ancilla susceptι, atque hi quidem manumissi, per cooptationem in curiam, & suitatis, & gentilitatis, & adgnationis jus adipiscantur: aut, si feminæ sunt, per decurionis matrimonium. Secunda legitimationis ratio, à Constantino primum instituta, postmodum à Justiniano ita confirmata est, ut matrimonium cum concubina contractum, sive ea ingenua, sive libertina, sive serva & postea manumissa fuerit, liberos, & ante & post matrimonium conceptos, legitimos faciat. *l. divi*, 5. *l. cum quis*, 10. & *l. seq. C. de natur. lib.* & *Novell.* 89. Tertiam fieri diximus per principis rescriptum: ut, si pater, aut ipsi nothi, ex patris testamento imperatori preces obtulerint, jus legitimorum adsequantur; si modo legitimi non exstent. Nam si legitimi exstent,

ſtent, nothi non poterunt, niſi per decurionatum & conſequens parentum matrimonium, legitimari. *eadem Novel.* §. κἀκεῖνο, 9. & §. 11. Ex his igitur patêre arbitror. quidnam ad illam quæſtionem reſpondendum ſit, An per legitimationem integrum filiiſa. jus, hoc eſt, ſuitas, adquiratur. Quod propterea videri poſſet, quia Juſtinianus, *in* §. 2. *de hered. qua ab inteſt.* his utitur verbis: *Heredum ſuorum jura nanciſcuntur.* item, *juſtos & in poteſtate patris fieri.* Quibus conſentanea ſunt quæ ab eodem ſcribuntur *in* §. *ult. de nupt. & in l.* 5. *l.* 6. *l.* 7. *& l.* 11. *C. de nat. lib. in Novell.* 74. ἐξουσίας ἔχειν. item, μηδὲν τῶν νομίμων παίδων διαφέροντας. Sed verius eſt, legitimatione non integram ſuitatem adquiri: verum ex parte tantum; hoc eſt, quatenus ad ſolam patris perſonam pertinet. quippe, cum legitimati, ut ſuperius *ex Novell.* 89. dictum eſt, ab omnibus aliis patris propinquis & cognatis, ab omni, inquam, ipſius cognatione & familia, plane alieni ſint. Quoniam de nothorum jure & legitimatione diximus, ſupereſt, ut de ceteris ſpuriis, quorum quatuor genera ſuperius protulimus, breviter explicemus. Summa autem eorum, quæ Juſtinianus de iis ſtatuit, hæc eſt: ut ſpurius, aliunde quam ex concubinatu ſuſceptus, neque nothus, neque naturalis adpe-

letur; neque ullum in patris hereditate, vel ex teſtati, vel ex inteſtati cauſa, jus habeat: ac ne à ſuis quidem parentibus ei alimenta debeantur. *Novel.* 74. & 89. *in fin.* Verba autem illius hæc ſunt: Τὰς γὰρ ἀπὸ τῆς καθ' ἡμᾶς μεμισημένων τε, καὶ ἀλλὰ τοῦτο κεκωλυμένων γάμων, ἀποῖόν ἐστιν, οὐδὲ γόθους καλητέον, οὐδὲ μεταδοτέον αὐτοῖς οὐδεμιᾶς φιλανθρωπίας, ἀλλ' ἔξω καὶ τοῦτο λιμωξέα τῶν πατρῴων, τὸ γινώσκειν, ὡς οὐδ' ὁπωσοῦν οἱ τῆς ἀμαρτανούσης ἐπιθυμίας αὐτῶν ἔξεισι παῖδες. Hujus autem hæc: Πρότερον μὲν γὰρ παῖς ὁ ἐκ συνελεύσεων (οὐ γὰρ καλέσομεν γάμων) ἢ νεφαρίων, ἢ ἰγκλέσων, ἢ ἑταιρικῶν ἀποκλήρων, οὔτε οὐδὲ φυσικὸς ὀνομασθήσεται, οὐδὲ λήψεται ἀπὸ τῶν γονέων, οὐδὲ ἔξεστί τινα ἀπὸ τοῦ πατρὸς τὴν πατρῴαν νόμην μεῖξαι. Sed quæri video, utrum natus ex viro marito, & muliere ſoluta, in nothorum, an vero in ſpuriorum numero cenſeatur. Qua quæſtione vix ulla abſurdior eſt. Et tamen pragmatici, ut opinor, omnes, nothorum iis jus ſine controverſia concedunt. in his Alexander, Salicetus, Paulus Caſtrenſis, Socinus, &, qui argutiſſime hanc ſententiam defendit, Philippus Decius, *conſil.* 306. Primum autem & ſummum illorum argumentum ducitur *ex l.* 1. *C. de adulter.* quaſi ea lege tradatur, mariti ſcortationem lege nulla vindicari. Itaque ſic argumentantur:

Soli

Soli ex damnato concubitu procreati ab hereditatibus repelluntur. Scortatio mariti, lege non damnatur. Ex ea igitur scortatione nati, ab hereditate repellendi non sunt. Sed adsumtio falsa est. Non enim, si uxor agere lege Julia non potest, ut ibi traditur; continuo verum est, mariti scortationem legibus non damnari. Præterea, si nati ex concubina, quam vir maritus habeat, repelluntur, *l.* 1. *C. de concub. & Novell.* 89.; atque adeo ex secunda concubina suscepti, ut *Novell.* 18. *&* 89.: quanto magis, qui ex ea, in qua stuprum aut scortatio commíttitur, repudiandi sunt? Denique, quo nomine intestati hereditatem peterent, cum neque nothi, neque naturales adpellentur, ut Justinianus *in fin. Novell.* 89. apertissime testatur? Sed de matris hereditate Socinus urget vehementius. nam, olim spurios omnes matri successisse, superius dictum est. quod si abrogatum non fuit, quidni etiam nunc valeat? Quæ fuit mens aut Socini, aut aliorum, cum illa tam dilucida verba *l. si qua illustris, C. ad Orphic.*, non animadverterunt? *Si concubina procreaverit liberos ex licita consuetudine, ab homine libero habita*, &c. Quid enim planius dici potest, ut intelligatur, si non licita consuetudo fuerit, matri liberos non successuros? Altera eorundem quæstio, aliquan-

aliquanto obſcurior, hæc eſt: An ex meretrice natis relinqui teſtamento poſſit. Quod illi ſumma contentione defendunt, hanc unam ob cauſam, quia meretricius concubitus extra legis pœnam eſt: *l. ſi ea quæ*, 22. *& l. qua adulterum*, 29. *C. de adulter.* ac proinde ex meretricio concubitu nati, inter eos, qui ex damnato concubitu nati ſunt, cenſendi non ſint. Quid ergo eſt? Qui *in Novell.* 18, & rurſus *Novell.* 89., tam acriter eos repellit qui ex ſecunda concubina procreati ſunt; eos ne admittet, qui ex meretrice, quæ longe tetrior eſt, ſuſcepti erunt? Quorſum igitur *Novell.* 69. tam aperte exquirit, ut, qui ad legis beneficium admittentur, nati ſint ex concubina, domi retenta, nomine & titulo concubinæ? τοῖς μὲν τοιοῖς ταῦτα νομοθετεῖται, ἔνθα παντελῶς ἀναμφισβήτητός ἐστιν ἡ τε τῆς παλλακῆς καὶ τὴ τῆς οἴκοι σχέσις, ἡ τε τῶν παίδων ἐκείνη γνησιότης προφή. Neque mihi ſophiſta neſcio quis cavilletur, ibi de cauſa inteſtati Juſtinianum loqui: cum ſatis conſtet, omnem illam concubinarum & nothorum definitionem non ad illius loci anguſtias reſtringendam, ſed fuſe ad integrum Novellæ diſcurſum producendam eſſe, ut verba illa modo prolata demonſtrant. Denique, ne multis morer, contendo, ſcortationem omnem ex novo jure *Novella* 14., quæ eſt *de lenonibus*, inter damnatos concubitus

cubitus numerandam esse: cum aperte Justinianus ibi sanxerit, ne meretrices vel palam in fornicibus & lupanaribus, vel clam in ædibus privatis habeantur, sed omnes è Christianorum civitatibus tanquam pestes exterminentur. Ad hunc ipsum locum illa quoque vulgaris pragmaticorum quæstio pertinet, An parentes natis ex damnato concubitu alimenta debeant. quippe cum Imp. *Novella* 89. *in fin.* his utatur verbis: οὐδὲ ἀποξενήσεται αὐτὸ τῶν γονέων, οὐδὲ ἔξεστι τινὰ αὐτὸς τὴν παρὸν νόμον μετασχεῖν. Et *Novell.* 74: ἀλλ' ἔστω καὶ τοῦτο πρωρεία τῶν πατέρων, τὸ γινώσκειν, ὡς οὐδ' ὅπως οἱ τῆς ἀμαρτανούσης ἐπιθυμίας αὐτῶν ἔχουσι παῖδες. Quo eodem illud Ulpiani pertinet, *in l.* 1. §. 2. *D. de adgnosc. lib.* ubi ait, patrem cogi alere filiam, dum tamen juste quæsita sit. Denique, si iis alimenta legare liceat, fraudis facultas dabitur: cum id legatum in totam vitam pertineat. *l. Mela ait*, 34. *D. de alim. legat.* Contra tamen illud pugnat quod dici solet, acerbum esse, parentum delicta liberorum pœnis lui: *l. crimen*, 26. *D. de pœn. l. spuriis*, 6. *D. de decurion.* item, naturæ legem, & sanguinis vim, civili ratione non extingui. §. *ult. de legit. adgnat. tut. & l. eas obligationes*, 8. *D. de capit. minut.* Qui vero alimenta denegat, necare videtur, *l. necare*, 4. *D. de lib. adgnosc.*

Ut in

Ut in pauca conferam, cum eos alere mater jure civili jubeatur, *d. l.* 5. §. 4. *D. de adgnosc. lib.* ex æquo & bono statuendum putarem, si mater, unde ipsos alat, non habeat, & fortunæ tenuis sit, non modo patri licere iis alimenta relinquere, sed etiam magistratus imperio cogendum esse, usquedum sese spurii exhibere possint. *arg. d. l.* 5. §. *sed si filius*, 7. *eod.* Legare autem iis, tanquam extraneis, nullo modo permittendum est; ne, quod una ratione prohibitum est, altera concedi videatur. contra *l. scire oportet*, 21. §. 1. *D. de tut. & cur.* &, quod in eorum odium inductum est, ut ἀπόπτιοι censeantur, in eorum favorem contorqueatur, contra *l. si quis solidum*, 72. *D. de hered. inst.* Quod enim pragmatici quidam objiciunt *ex l. extraneum*, 9. *C. de hered. instit.*, plane absurdum est. non enim quia extranei sunt, propterea illis legare non licet; sed, quia Justiniani lege, ut indigni & incapaces, repudiati sunt. quemadmodum deportatis non propterea legare non licet, quia extranei sunt, sed quia peregrini, & civitatis jure multati sunt. Nunc de nepote, qui ex spurio natus est, videamus. Nam Bartholus, *consil.* 118. quem alii secuti sunt, respondit, eum instituí heredem posse, propter *l. emancipatum*, 7. *D. de senat. l.* 3. *D. de interdict.*

interdict. & releg. l. 1. §. *pen. D. contr. tab.* Verum animadvertere debuerat, leges illas agere de nepote, cui jus adgnationis una cum hac luce quæsitum est. quod in his nepotibus locum non habet. Præterea, illo Bartholi instituto magna fraudandæ legis facultas aperitur: quia ususfructus saltem ad patrem spurium revertere-tur. *l. cum oportet*, 6. *C. de bon. quæ lib.* Et, cum avi in nepotem benevolentia per filii personam transeat, *l. dotem*, 6. *D. de collat. bon.* hoc casu, avi in filium benevolentiæ locus, jure quidem civili, nullus est. Sequitur illa disputatio, An spurii, sive, ut pragmatici loquuntur, bastardi nomen, convitiandi animo in quempiam conjectum, injuriarum actionem ei pariat. Cujus quæstionis argumentum nostri sumserunt *ex l.* 3. *D. de lib. & post.* cum pater in suo testamento ita locutus est: Ex mea uxore natus exheres esto. Quod non arbitror; cum injuriarum actio, non ex adfectu tantum convitiantis, sed ex eventu, id est, læsa alterius existimatione, nascatur. *l. eum qui*, 18. *D. de injur.* Si tamen legitimatus spurius fuisset, quoniam per legitimationem illa macula eluitur; dandam actionem existimarem. cum etiam ei, qui, ut debitor, adpellatus est, cum debitor non esset, ea actio concedatur.

l. item

l. item apud, 15. §. *si quis*, 33. *D. eod. tit.* Antequam autem finem huic libro imponamus, operæ pretium est, veteris & novi juris comparationem breviter strictimque percurrere. Nam illo jure, quinque spuriorum genera, æqueque omnia, probabantur: novo jure, unum duntaxat, nothorum scilicet. Illo, spurii jus cognationis habebant: hoc, non habent. Illo, legitimi matris heredes erant: hoc, sunt etiam matris heredes, atque adeo, justis exstantibus liberis. *l. si qua illustris, C. ad Orphic.* Illo, legitimam in matris bonis habebant: hoc, neque in patris, neque in matris, habere possunt. Illo, patris intestati nulla ex parte heredes erant: hoc, patris intestati ex sextante tantum heredes sunt; si modo justi liberi non exstent: nam si exstent, boni viri arbitratu alendi sunt. Illo, à patre instituì quavis ex parte poterant: hoc, à patre, si justi exstent: non plus uncia; si parentes, besse; si neutri, asse integro locupletari possunt. Illo, per solum principis rescriptum legitimari poterant: hoc, duobus amplius modis, per decurionatum, & insequens matrimonium. Illo, justis exstantibus, legitimari non poterant. primum, quia per solum principem legitimabantur. deinde, quia non tam bona erant conditione quam adoptati. constat autem, eum,

qui

qui juſtos habet liberos, adoptare non poſſe. *l. nec ei*, 17. §. 3. *D. de adopt.* Hoc vero jure, juſtis exſtantibus, per matrimonium & decurionatum legitimari poſſunt; per principem non poſſunt. *Novell.* 74. & aliis ſupra prolatis locis. Quod autem ad veteris & novæ legitimationis comparationem attinet, ſic habendum eſt. Nam ſimilitudo quidem hæc eſt: quod, ſicut antiquo jure legitimatus etiam ab inteſtato plane legitimus heres erat; ita & novo jure: ſicuti cum aliis ab inteſtato pariter æquabiliterque ſuccedebat; ita hoc jure, juſtis exſtantibus, ab inteſtato æquabiliter ſuccedit: ſicut olim legitima ei debebatur; ita hoc jure, cum ab inteſtato ſuccedat, debetur. Differentia autem triplex eſt. nam olim legitimatio uno modo fiebat; nunc tribus. olim jus ſuitatis integrum tribuebat; nunc mutilum, & reſpectu patris duntaxat. olim legitimatus inſtitui à patre quavis ex parte poterat; nunc non majore ex parte quam quivis ex juſtis liberis.

CAPUT ULT.

An Christianis concubinas habere liceat.

ATQUE hæc quidem ita concluſa ſunto: tametſi quaſi coronidis loco non alienum fore arbitror, vulgatam illam quæſtionem explicare, An Chriſtiano jure concubinas habere liceat: cum Juſtinianus, qui florentiſſimis eccleſiæ temporibus vixiſſe creditur, earum habendarum poteſtatem faciat; dum tamen una duntaxat, & à viro cælibe, habeatur: quod ipſius ætate à Chriſtianis uſurpatum fuiſſe, nemo, opinor, negaverit. Eo accedit, quod in antiquis religionis noſtræ monimentis, aliquot concubinarum mentio fit ejuſmodi, ut non aperte damnentur: veluti de Agar, Bala, Zilpa, & illa Gedeonis, quæ non nominatur. Poſtremo, quod vulgo dictitatur, concubinatum jure Canonico interdictum eſſe propter *c. dicat aliquis*, 32. *q.* 4. (bona venia dictum ſit,) pugnare apertiſſime arbitror cum *c. is qui non habet*, *& ſeq.*, *diſtinct.* 34. ubi ex concilio Toletano verba hæc proferuntur: *Is qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur: tamen ut unius mulieris.*

aut

aut uxoris, aut concubinæ ſit conjunctione contentus. Quod enim magnus quidam ſeculi noſtri Theologus, *in lib. Iud. cap.* 8. verba illa interpretatur de iis, quæ vere concubinæ non erant, ſed uxorum animo domi habebantur, quamvis ſolenniter ductæ non fuiſſent, nemo ex Juſtiniani Novellis non videt quam alienum ſit: cum perſpicue appareat, concubinas domi habere licuiſſe, neque animo, neque dignitate uxoris. Alioqui enim, liberæ mulieris conſuetudinem non pro concubinatu, ſed pro matrimonio jure civili haberi, ſatis conſtat *ex l. in libera*, 24. *D. de rit. nupt. l. donationes*, 32. *D. de donat.* Hæc cum ita ſint, tamen verioremem contrariam eſſe ſententiam, vel hinc licet intelligatur: quia D. Paulus, leges eccleſiis deſcribens, ſtatuit, ut quiſque vitandæ ſcortationis cauſa uxorem ducat: &, quoties de maris & feminæ conjunctione præcepta dat, diſerte maritos & uxores nominat: ut facile intelligatur, illam Juſtinianici ſeculi maculam fuiſſe: quemadmodum, de patrum veteris teſtamenti vitiis in concubinarum & plurium uxorum habendarum conſuetudine, ſatis jam inter noſtros theologos convenit. Eodem accedit, quod Leo Philoſophus, Imp. Conſtantinopolitanus, illam ætatis Juſtiniani licentiam repreſſit: & *Novell.* 91. conſtituit, ne Chriſtianis concubi-

nas

nas habere liceat; præclaram illam ex Solomonis proverbiis rationem ſubjungens, indignum eſſe, cum è fonte ipſo puram aquam haurire poſſis, lutulentam quærere; neque cuiquam difficile ſit, vitæ ſociam & conſortem invenire. Cujus exemplum imitatus Conſtantinus Porphyrogenneta, conſtituit, ut apud Chriſtianos nullum diſcrimen inter concubinatum & ſcortationem putaretur: neque cuiquam Chriſtiani nominis habere concubinas liceret: quemadmodum Harmenopulus teſtatur *lib. 4. cap. 7.*

F I N I S.

RERUM & VERBORUM,

Auctorum item,

Qui vel emendantur, vel notantur,

INDEX.

A.

Abducere filiam vi patriæ potestatis. 402, 403, 404

Absens, & furiosus pater, in quanam re similes? 399

Absens, & invitus. Vide, Patronus.

Acceptilatio inutilis, pro pactione valet. 391

Accipiter circus, nuptiarum augurium. 39

Accursius, notatus. 230

Ἀδελφιδῆς *nomen.* 422

Ἀδελφῶν ἔτυμον. 326

Adfines personæ. 443

Adfines conjugis, alterius conjugis cognati. 446

Adfinitas, & conjugium. 376

Adfinitas, & necessitudo. 358

Adfinitas, per adoptionem. 409. 410

Adfinitatis & cognationis gradus ad nuptias prohibiti, iidem. 446

Adfinitatis nominum & graduum index. 463

Adgnasci. 29, 318. *invito nemo potest heres.* 341, 397

Adgnatio, genus consanguinitatis. 451, 452. *civilis cognatio, adoptionis genus.* 409. *ex adoptione quenam?* 412, 413. *cognatio, filiatio, suitas, individua.* 488. *à patre.* 479, 480

Adgnatorum nomina, & appellationes, eorumque sanctitas. 410

Adoptatus; & mulier in familiam transiens mariti. 314

Adoptatus non adgnatus, nec cognatus fit. 411

Adoptare, & emancipare, contrarii civiles actus. 111, 182, 204

Adoptare, solius emancipati. 411

Adoptio. 22. *adrogatio.* 120

Adoptio, quasnam impediat nuptias? 202, 204. *quas cognationes contrahat?* 204

Adoptio, qua nuptias impedit, vel secus. 409

Adoptio spuriorum. 500, 501

Adoptio, legitimatio. 500, 501

Adoptionis constantis, & dissoluta, jura diversa. 415

Adoptione jus originis non mutatur. 109

Adrogatio, & conventio in manum. 25

Adrogatio an ingenuitatis jura conferat? 120.

Libertini.

Adscriptitii connubium. 392
Adstipulatio liberorum, & consponsiones parentum. 340
Ælia Sanctia lex. 18
Æs & libra. 295, 310, 312
Affectus & animus habentis, concubinatum vel matrimonium discernit. 34, 35, 36
Agnus femina, pellicis sacrificium. 37
Alciatus, notatus. 479, 480
Alexander, I. C., notatus. 494
Alimenta denegans, necare videtur. 497
Alloquium depennatum. 67
Ambrosius, notatus. 422, 437, 449
Amita adoptiva, & patris adoptivi. 414
Amitinorum nuptiæ. 424
Ἀναγκαιοτιμία. 264, 277
Analogia. Vide, Legis.
Ancilla, usu in uxorem acquiri potest. 102
Ἀνεψιαὶ, *quænam?* 220. *sobrini filia.* 439
Anianus, I.C., notatus. 223
Animus. Vide, Affectus.
Annus utilis, & continuus. 187, 408
Ἀνυφέρνη, & φέρνη. 259, 260
Antoninus, Caracalla.
Anulus sponsalitius. 4, 5. *pronubus.* 4, 267, 311, 317, 352
Anulorum aureorum jus. 121, 122
Ἀποδιαλία. 276, 277
Ἀποτίμημα, *quid?* 259, 262
Apuleius, emendatus. 83

Apuleii seculum. 243
Aqua, Neptunus, terram obnubens. 50.
Ignis.
Arrha sponsalitia. 4, 267, 338, 354. *provincialibus mulieribus data, quomodo restituenda, vel secus.* 192
Arrharum sponsalitiarum pœna. 362
Arsica, id est, Artaxerxis, & Cyri, controversia. 111
Arthemenis & Xerxis controversia. 110
Artis ludicra effectus in jure. 122, 124. *quales artes?* 127, 128, 129
As Caianus. 283
Asses tres nuptiales sponsæ. 71, 295
Assidui lex. 18
Attellana. 125
Auguria nuptiarum. 37
Augustinus, emendatus. 157, 158
Augustus cum Iulia filia incestum committit. 198
Avi benevolentia in nepotem per filii personam transit. 499
Auspices. 37, 254, 255, 276
Avunculus nemo fit per adoptionem. 204

B.

BAnnum, quid? 370
Barbara gentes, Romanis quænam? 417

Barbaris jus connubii à Romanis denegatum. 393
Basium, & osculum. 269
Bastardus, spurius, 499
Boethii ævum. 17. *is notatus, & emendatus.* 18, 19
Βόστρυχος, *casaries.* 285

C.

C & Ↄ, *quid notent?* 73, 283
Caius, Caia, maritus & uxor, dominus & domina. 73, 283, 303
Caia Cæcilia, prima conjux textrix vel lanifica, 42, 73, 283. *Tanaquil.* 63, 68
Caius, l. C., *emendatus.* 224, 412, 458, 459
Calathus. 87
Calendarum novarum dies posteri, nuptiis infausti. 8. *ipsaque calendæ.* 276
Caligulæ mater ex incesto, quod Augustus cum filia Iuliæ commisit, procreata. 198
Caligula, vel tricesimo die pater fieri ex uxore, glorioſum duxit. 247. *monstrum, cum omnibus ſororibus ſtupri conſuetudinem fecit.* 203. *notatus.* 450
Camilla, præministra. 70
Camillus, quis? 68, 69, 70, 71
Canonicum jus, notatum. 502
Canonistæ. Vide, Decretalistæ.
Cantus. Lydius.
Capillus. Crinis.

Capillos & ungues in nave deponere, religiosum olim. 286
Capitis diminutionum exempla. 19, 22, 26
Caracalla, novercam ducit. 199
Carpimus, ad faces nuptiales. 58
Cassianorum secta. 389
Castor, quis? 65
Castrensis, notatus. 494
Cato Censorius octogesimo exacto anno filium genuit. 155
Causa ab origine invalida, quomodo effectum tandem acquirat. 117, 118
Cella inscripta, lupanarium. 144
Cerei nuptiales. 60. Faces.
Χαμαιπιτυς, *sponsa conductor.* 281
Χοῖρος, *porca virginea.* 326
Χρυσάργυρον, *tributum meretricium.* 148
Cicero, emendatus. 77. *incestum cum filia committit.* 197, 198
Cimo Atheniensis sororem germanam in matrimonio habuit. 202
Cingulum novæ nuptæ. 42, 328
Cinxia Iuno. 43, 44, 49, 75, 328
Clarissimatus dignitas. 110
Claudianus, emendatus. 94
Claudius Agrippinam fratris filiam uxorem ducit. 207
Claudii imperatoris uxor luparia. 144
Claves novæ nuptæ matrisfamilias. 77, 268, 311, 317

Clodius, inceſtûs cum ſorore ſuſpicione laborans. 205

Coemtio viri & mulieris. 17, 19, 20, 27, 294, 295. *matrisfamilias propria.* 21, 298. *domina bonorum mariti.* 317. *ejus nomen.* 30

Cœna nuptiales. 80, 81, 82

Cognatus adfinis mei, mihi non adfinis. 443

Cognati conjugis, alterius conjugis adfines. 446

Cognatorum conjugia prohibita. 425. *uſque ad quartum gradum.* 425, 429. *ſeptimumque.* 428, 429. *& ſextum.* 439

Cognatorum nomina in ſexto gradu deficiunt. 430

Cognatio, quid? 430. *adgnatio, filiatio, ſuitas, individua.* 488

Cognatio, & propinquitas. 431, 432

Cognatio civilis, adgnatio; adoptionis genus. 409. *ejus ratio in nuptiis.* 411

Cognatio domeſtica, & extranea. 435

Cognatio naturalis, ſanguinis communio. 452

Cognationis jus, quantum ad nuptias. 416. *gradus pro nuptiis licitis.* 428. *eorum qui octo gradibus diſtarent.* 439. *gradus ad nuptias prohibiti, iidem & adfinitatis.* 446. *nominum & graduum index.* 446

Collocare nuptam. 94

Colus nuptialis. 63
Comari, liberorum hominum. 285
Communicatio sacrorum. 310, 311. *& bonorum, inter virum & uxorem.* 315, 316, 341. *usu ductam.* 319. Socia.
Comprivigni, non sunt adfines. 443
Concubitus à Decretalistis pro connubiali habitus. 384
Concubitus sponsi & sponsæ divina lege improbatus. 364
Concubitus, stuprum. 384
Concubina. 471, 472, 476. *an uxori adjungi possit?* 240
Concubina & uxores. 33, 34, 35, 36, 297, 298
Concubinas habere, an Christianis licitum? 502
Concubinis nati. 473, 493
Concubinatus, scortatio. 504
Concubinatus, & nuptiæ. 298
Concubinatui quæ ætas habilis? 101
Confarreatio. 16, 17, 292, 293
Conjugium. Matrimonium. Nuptiæ. *genus matrimonii & nuptiarum.* 388
Conjugium, & adfinitas. 376
Conjugii contractus, sponsalia de præsenti. 379
Connubium, quid? 278. Matrimonium. Nuptiæ.
Consanguinitas, adgnationis species. 451, 452.

an

an gradu septimo terminetur? 429, 430, 439

Consensus tacitus. 400

Consobrinæ. Sobrinæ.

Consobrini, an propinqui? 437. *eorum nuptiæ.* 424. *διαιξαδέλφων matrimonium lege humana prohibitum.* 439

Consponsiones parentum, & liberorum adstipulatio. 340

Constantinus, in l. 1. *C. de natur. lib., notatus.* 481

Constitutum quodque modo contrario dissolvitur. 383

Consuetudo, & matrimonium. 34

Contubernium, & matrimonium. 418

Conventio viri in manum mulieris. 307. *& mulieris in manum viri.* 16, 19, 20, 21, 293, 301, 317, 318. *capitis minima minutio.* 22. *cum tutorum auctoritate.* 25. *quid efficiat?* 26. *ejus species.* 26, 27. *jura.* 28. *per usum annuum.* 33

Convivia, sacrificia. 325

Corona novæ nuptæ. 41, 50

Corporis partes numinibus consecratæ. 272

Corylus, ad faces nuptiales. 58

Crinem summittere, sordidoque capillo & promisso sive demisso prodire, lugentium. 287

Crines senis, nuptæ novæ cultus. 39, 280.

Cumerum, vel cumera, quid? 68, 69, 282

Curator, & tutor. 265
Curator, & cessicus tutor. 322, 323
Curator, an & quando pupillam ducere possit? 405
Curatoris auctoritas. 342. *heredes, tutelæ periculo obstricti* 406. *datio.* 159, 188, 343
Curatores, & pupilla. 180, 181, 188
Curis, hasta. 40
Cyri & Artaxerxis controversia. 111

D.

Damnata persona, quænam? 133
Darii liberorum controversia. 110
Deberi ex testamento, ex stipulatione. 313
Decius, notatus. 494
Decretalistæ, notati. 346, 375, 381, 382, 383, 384, 391, 440. *sacrilegi.* 384
Deductio in domum. 361, 390, 391
Δελφάκιον, *pudendum virgineum.* 326
Δέλφαξ, *porcæ virgineæ.* 326
Depennatum alloquium. 67
Deportatio. 19
Δέσποινα, *uxor.* 304
Despondendi verbum. 349, 350
Desponsata, quodammodo nuptæ. 361
Desponsata, & nova nupta, ex mutatione domicilii discretæ. 55
Δεσπότης, & κύριος. 306
Destinandi verbum. 347, 348

Destinata puella. 347
Diffarreatio. 17
Dicis causa. 20, 292. νόμῳ χάριν. 312
Dicta virgo. 253. *uxor.* 351
Dictum, verbotenus pronunciatum. 258
Διεγερτικὸν ἐπιστυλάμιον. 331
Dies, naturalis, & civilis; & illius initium. 276
Dijovis filius, Διόσκυρ@, *Castor,* Σάγκ@, *Hercules.* 65
Diminuendi verbum. 27
Dionis interpres, notatus. 7
Dionysius Halicarnasseus, emendatus. 212, 213, 218, 219. *Vide &* Halicarnassensis.
Διόσκυρ@, *quis?* 65
Διοσξάδελφοι, *sobrini.* 439
Divortium Romæ per annos DXX *nullum fuit.* 388
Divortium per internuncios. 374
Divortii libertas, qualis olim? 388
Divortii legitima causa, absentia virorum longa. 310
Dius Fidius. 65
Dius Camillus. 69
Divum, id est, calum. 65
Doarium. 263
Dolo malo facta auctoritas, lege non habetur rata. 159
Domicilium etiam in villa. 292
Domicius, deus. 49, 328

Domiduca, Iuno. 44, 49, 75
Domiducus, deus. 49, 328
Dominium plenum, & non plenum. 315.
Esse alicujus.
Dominii continuatio; successio. 318
Dominus, domina, quomodo de marito, & uxore intelligenda? 303
Dominus absque jure vitæ necisque, quisnam? 305
Dominus, & possessor. 297
Dominus bonitarius. 316
Domitianus cum Iulia fratris filia, tanquam uxore, palam versatur. 208
Donatus, notatus. 266
Donatio immodica, quatenus revocetur. 160
Donatio pupilla à tutore facta. 185
Donationis nomen. 259. *dote minor.* 261
Donationes. Munera. *in concubinam collatæ.* 35. *quasi inter conjuges.* 115. *quasi ad conjuges.* 184. *inter conjuges.* 29, 317. *nullæ.* 361, 377. *ante nuptias.* 101. *propter nuptias.* 259, 260, 261, 338
Donationes invalidæ. 160, 191
Δόρυ, κύελς. 41
Dos, an donationum species, vel contractus? 320. *donatione major.* 261. *an osculo amittatur?* 270, 271
Dos, & matrimonium. 183, 184, 191
Dotis petitio. 100. *datio, dictio, promissio.* 158, 159, 160. *promissio, & futurum matrimonium.*

monium. 229. *forma.* 321. *& ritus.* 257. *& natura.* 319. *nomen, ante usucapionem.* 102

Dotis nomine prastita. 315

Dotis nomine, id est, in bonis suis tantum, non in dominio. 320

Doti dicta. 315, 316, 319

Dotem dicere, promittere. 258

Dotes inanes injustarum nuptiarum, & incestarum. 114, 115

Dotalitium, dotarium. 263

Ducere. Uxorem.

Ducere, & nubere. 50

E.

Elogium, titulus, inscripti lupanarii. 144, 145

Emancipare, & adoptare, contrarii civiles actus. 111, 182, 204

Emancipata abduci à patre non potest. 403

Emancipatus injussu patris uxorem ducens. 404, 405

Emancipati justas citra parentum consensum nuptias contrahunt. 230

Emancipatio patriam solvit potestatem. 398

Emancipationis rescissio. 232

Emere, provincialibus interdictum. 191

Ἐπαύλια. 96, 264. *postridie nuptiarum.* 277

Epithalamiorum usus priscus. 331
Epulæ geniales. 81
Esse in bonis ejus, & fieri ejus. 32, 296, 315
Ἐξάδελφοι, *consobrini.* 439
Exheredationis justa causa an matrimonium contractum contra parentum voluntatem? 403, 404, 405
Ἐξώπροικα. 263
Extramuranæ meretrices. 143
Εὐγενὴς, *ingenuus.* 135

F.

Faces nuptiales. 56, 57, 58, 59, 60, 78, 281, 291
Factum, non voluntas, apprehenditur. de artium ludicrarum exercitio. 132
Familiæ emtor. 312
Far, quid? 15. *an ζέα?* 293. *nuptiarum & sacrificiorum.* 12, 16, 293
Februarius, infernalis mensis, reliquorum mensium confrater. 41, 55. *ejus nonnulli dies nuptiis habiti ominosi.* 10, 41. *parentalia nempe.* 275
Femina. Mulier.
Feminæ, & servi, eodem apud barbaros gradu habitæ. 305
Fenus exercere, provincialibus interdictum. 191
Feriæ, nuptiis religiosæ & infaustæ. 276

Fescennini versus. 90, 91, 284, 332
Festus, emendatus. 462, 463
Fidius, Hercules, Σάγκτος. 64, 65, 66
Filiatio, adgnatio, cognatio, suitas, individua. 488
Filius, quis? 469
Filii appellatione continetur & filia, non nepos. 113
Filiorum conditio, & honor, natalibus partus. 111, 112, 113
Filiorum & filiarum, emancipatorum, non idem juris. 233
Filiorum genera. 406
Filii naturales. 470, 472 478, 493
Filii & filiæ provincialium. 193. *& tutorum.* 194, 195
Filiarum nubentium jura. 398
Filias abducendi jus an patri competat, quæ sine ejus voluntate nupsissent? 234
Flagella, servile supplicium. 129
Flamines, & flaminicæ. 70
Flaminius, camillus. 69
Flammeum, velum nubentis flaminicæ. 50. *luteum.* 53
Fornicaria, πόρνη. 141
Fortunatis vel trimestres nasci liberos. 247
Fratris filiam an ducere liceat? 206, 423, 424
Fratrum duorum eadem conjux. 214, 216, 444, 445

Fulgen-

Fulgentius Placiades, emendatus. 67
Funalia Faces nuptiales.
Furiosus & absens pater, in qua re similes? 399
Furiosi, inter invitos. 170
Futinus, deus. 328

G.

Γαμήλιος *Iuno.* 45
Generi & nurus adoptio. 413
Geniales epulæ. 81. *tædæ.* Faces.
Genitrix, mater. 447
Genius, deus. 330
Γνήσιοι, *justi liberi.* 470. *legitimi.* 491
Γνησίως ποιεῖσθαι, *legitimari.* 492
Gradus sextus cognatorum. 430, 431
Gradus quartus cognationis secundum Canonistas, octavus secundum jus civile. 440
Gravida. Prægnans.
Grundiles lares. 327

H.

Halicarnassensis, emendatus. 66
Halicarnassensis interpres, notatus & emendatus. 66
Hasta, summa armorum & imperii. 40. *calibaris.* 40
Ἡμίγαμος γυνή. 300

Heraclii illicita cum fratris filia conjunctio. 208
Hercules, Fidius, Σάγκτος. 64, 65, 66
Heredes sui. 29, 397
Heredum successio ad septimum usque gradum. 429. *& decimum.* 432
Hesychius, emendatus. 211
Ἱερεῖς οἱ ἐπ' οἰωνοῖς. 37
Honorius duas Stiliconis filias, unam post alteram, in matrimonio habuit. 217
Honestas nuptiarum, quid requirat? 342
Honestatis publicæ ratio. 410
Honor & reverentia, legis æquitas naturalis. 396, 398. Sanguinis.
Humores quatuor in corpore, & quatuor gradus prohibitorum connubiorum. 430
Hymenæus. 84
Ἱπόβολον. 261. Ἱπόλεως χωρίον. 262

I.

Idus, nuptiis infausta & religiosa. 276
Ignis & aqua nuptiarum. 78, 288, 289, 311
Ignorans, & invitus. Patronus.
Imperitia, id est, juris legumque inscitia. 190
Impuberum nuptiæ nullæ. 361. Sponsaliorum personæ.
Incestæ. Nuptiæ.

Infantes, inter invitos. 170. *quinam?* 371
Ingenuus, & ἐλεύθερος. 135. *quis?* 136, 469
Inscripta cella, lupanarium. 144
Invitus. Patronus.
Isidorus, notatus. 48
Iterduca luno. 43, 49, 75
Iudicata rei auctoritas. 137
Iuga luno. 48, 49
Iugales dii. 329. *tada.* Faces.
Iugatinus, deus. 49, 328
Iuglandes, Iovis glandes. 89, 331
Iugum conjugatorum, quale? 48, 49
Iulia lex, de maritandis ordinibus, explicata. 105, 107, 113, 124, 127, 132, 143, 161
Iulianus Patricius, emendatus. 179
Iunia lex. 256
Iuniæ idus, fausti nuptiis dies. 10, 11, 276
Iunii mensis etymon. 46, 47
Iuno, sorore dulcior. 331. *Cinxia.* 43, 49, 75, 328. *Curitis.* 41. *Domiduca.* 44, 49, 75. Γαμήλιος, *vel* Γαμηλία. 45. *Iterduca.* 43, 49, 75. *Iuga,* Ζυγία. 48, 49. Τελεία. 44, 45. & Τελειας *victima.* 45, 46. *Vnxia.* 43, 49, 75
Iupiter Τέλειος. 44, 45
Iure gentium, id est, usu. 309
Iure quæsiti, justi liberi. 470
Ius dominii, & matrimonii. 304
Ius gentium ad barbaros se non extendit. 417

Ius plenum, & jus Quiritium. 307
Ius naturale non ſcriptum, ſed natum. contra inceſtum. 197, 201
Iuſſum, voluntas. 229
Iuſſûs verbum patrisfamilias in matrimonio à filio contrahendo. 400.
Iuſti, legitimi. 35
Iuſtinianici ſeculi macula. 503
Iuſtinianus, emendatus. 458, 463. *notatus.* 480, 481

K.

Κάδωλοι, *camilli.* 70
Κάλαθος. 87
Κάμαξα, *lupanar.* 141
Καταπιμπλὴν ἐπιθαλάμιον. 331
Κυάσιλλον. 85
Κυρία, *quanam Epicteto?* 304
Κύριος, & δεσπότης. 306
Κύριοι, *tutores.* 25
Κύρις, δόξυ. 41

L.

Lactantius, emendatus. 93
Lanarum ſuperſtitioſa religio. 73, 74
Lanificia, matronarum priſcarum cura. 87
Largitates ſponſalitiæ. 267, 275
Lares grundiles. 327

Lectus nuptialis. 91, 92. *genialis.* 330
Legatum inutile. 30
Legitimati, sui. 487
Legitimatio. 488, 489, 490, 491, 492, 493.
adoptio. 500, 501. *vetus; & nova.* 501
Legitimi, justi. 35
Lex, emendata. 348
Leges, notata. 449, 490
Lex Papia, Popæa. 356. Julia.
Lex pro aliquo scripta, contra eum valere non debet. 232
Legis beneficio indignus, qui commisit contra. 167
Legis non verba tantum, sed paritas & sententia, ac reciproca consequentia, spectanda. 358, 413, 414, 418, 420, 422, 433, 434, 436, 442, 443, 445
Leges ea, quæ ἐπὶ τὸ πλεῖον accidunt, spectant; non quæ ἐπὶ τὸ ἔλαττον. 155
Leges. Sumtuariæ.
Lenæ, quænam? 137
Libellum repudii mittere. 374
Liberi injusti. 403. *quorum natales parentum deteriorem sequuntur sortem & conditionem, ut conclusio in syllogismis.* 104, 392, 472, 486
Liberi justi, γνήσιοι. 470. *patrem sequuntur.* 435, 469. *sub potestate, & emancipati.* 341
Liberorum jus, & solidi capio. 158

Liberis ſuſcipiendis quanam ætas idonea. 152, 153
Liberta divortium. 170
Liberti, quinam fiant cives Romani? 224
Libertini & liberti alieni adrogatio non admiſſa. 121
Libertus ingenuus. 122
Limen, Veſtæ ſacrum. 76, 290
Livius, emendatus. 213, 314
Lombardus, notatus. 378, 385
Lucius Tarquinius Superbus; & Tullia, Arruntis fratris uxor. 210
Luctûs tempus. 241, 242
Ludovicus Vives, notatus. 45
Lugere, in quaſnam cadat? 361, 377
Lupanaris vocabulum. 141
Luparia. 143
Lydii cantus modus querulus. 84

M.

MAjugena, ſponſaliorum numen priſcis. 255
Maius menſis nuptiis infauſtus. 8, 275
Mancipationum ſolennia. 20
Mancipatio ſenum coemtionalium. 313, 314
Manturna, dea. 49, 328
Manumiſſionis jura. 162
Μάρανσις, & σβέσις. 213
Marcus Cato in Originum fragmentis, emendatus. 64

Marcus Crassus fratris defuncti uxorem duxit. 214
Maritus. Vir. *quando?* 291, 384. *qualis dominus?* 305, 307. *pater familiæ; successor, & heres in bonis uxoris.* 317, 318, 319
Mariti eligendi ambiguitas arbitrio judicis committenda. 398
Mariti deductio. 292
Maritorum novorum sumtus in convivia & sportulas erogandi. 83
Martianus Felix, emendatus. 43, 44
Martii mensis. Saliorum.
Masinissa rex, post octoginta sex annos Methymnum genuit. 154
Matertera patris adoptivi, filio extranea. 412. *& mater.* 411
Mater, quæ vulgo concepit. 470
Matris turpitudo præ patris spectata. 124
Mater. Mulier.
Materfamilias. 12, 294, 296. *quænam?* 21. *& qualis?* 317
Matrisfamilias bona omnia, dotis nomine, viri fiunt. 315
Matrimi pueri. 62, 69, 281, 293, 330
Matrimonium. Nuptiæ. Sponsalia. *quid?* 278, 279, 388. *unde dictum?* 21. *mente coeuntium, non tabulis, contrahitur.* 36. *per as & libram.* 295, 310, 312. *justum, an dirimi possit, debeatve?* 118, 119. *injustum, sed convalescens.* 401, 402, 403.

provincialium. 190, 193. *contra parentum voluntatem contractum*, 400. *an justa exheredationis causa?* 403, 404. 405

Matrimonium, & consuetudo. 34
Matrimonium, & contubernium. 418
Matrimonium, & dos. 183, 184, 191
Matrimonium, & nuptia. 387
Matrimonii soluti jura. 320, 321
Matrimonio ingenuorum quænam persona idonea, vel secus? 101, 102, 104, 105, 122, 133, 135, 136, 150, 151, 152
Matrimonium captivitate solvi. 172, 173, 176
Matrimonium confarreare. 15, 293
Matrimonia solennibus stabilita. 95
Matrimonia farreacea. 293
Matrimonia bene concordantia, jure patriæ potestatis non conturbanda. 234, 235, 309
Matrimoniorum verus finis, liberi quærendi. 152, 255, 256, 388, 389. *persona.* 389, 391, 393. *species. Vide*, Uxorum quærendarum modi. *honestas consideranda.* 381. *ea quid requirat?* 397. *jus, quale?* 340. *injustorum ratio & causa.* 186
Matrona, quænam? 21. *uxor.* 34
Μέδιος Φίδιος. 66
Medioximus, semideus. 67
Mens. Vide, Affectus.
Mensia lex, naturæ derogans. 104

Mentio, μνησεία, μνησύς. 336. & *pactum.* 337, 338

Mercurius, Camillus. 70

Meretrix, & proſtibulum. 146

Meretrices publicarum libidinum victima. 140. *nuda proſtare ſolita.* 146

Meretricum profeſſio, apud ædiles nomen edere ſuum coactarum. item veſtimenta. 147. *quæſtus, vectigali obnoxius,* 148. *conditio.* 148

Meretrice nati. 496

Methymnus, filius Maſiniſſæ, poſt annum ejus octogeſimum ſextum natus. 154

Minor duodecim annis domum ducta, quomodo juſta uxor fiat? 117

Miſcella lex. 298, 299

Μνησ-ὺς, *μνησεία.* Mentio.

Modeſtinus, emendatus. 466

Modius falſus. 401

Mola ſalſa. 13, 14. *farrea.* 15.

Moſchopulus, emendatus. 15

Moſis interpretes quidam nuperi, notati. 443

Mulier, familiæ ſuæ & caput & finis eſt. 435. *nam liberi in familia earum non cenſentur.* 488

Mulier in familiam mariti tranſiens; & adoptatus. 314

Mulier, & pupillus. 24, 323

Mulieris perpetua tutela. 304

Mulieris liberæ conſuetudo, matrimonium. 503

Mulieres, illicitis nuptiis maculantes seſe; & pupilla, laqueis tutoris irretita. 186
Munera nuptialia. 96, 264. *ſponſalitia.* 353. *& arrha.* 354
Mutinus, deus. 328
Mutuam dare pecuniam, provincialibus interdictum. 191

N.

Nãgs, quid? 77, 78
Naſcendi cauſa. 79
Natalium reſtitutio. 122
Natales. Liberi.
Natus ex viro marito, & muliere ſoluta. 494
Natis ex damnato concubitu an alimenta debeant parentes? 497
Naturalis filius, adoptivus. 109, 111. *emancipatus.* 111. *in ſervitute quæſitus, libertinus manet.* 121. *ut & emancipatus.* 111
Neceſſitudo, & adfinitas. 358
Nefariorum nomen, unde? 293
Nepos non juſſu patris uxorem ducens, patri tamen heres adgnaſcens. 398. *ex ſpurio, an heres inſtituatur?* 498
Nepotis, & neptis, in contrahendo matrimonio jura. 196, 197, 227, 228, 396, 397, 399, 400. *vecum abuſus.* 449, 453.

Nepti ex filio, cum adoptato non est connubium. 414
Neptuni nomen. 50
Neronis Sporus. Pythagoras.
Nobilitas, quid? 487. *spuriorum.* 488, 489
Nona, nuptiis infausta & religiosa. 276
Nonius Marcellus, emendatus. 79, 80. *notatus.* — 350, 351, 458
Notha filia dos. 482, 483
Nothi. 470, 478, 481, 495. *Vide,* Spurii.
ἀπάτορες. *hodierni patrem habent.* 487, 488
Nothis an debeatur aliqua legitima? 482
Noverca, patris propinqua. 440
Nubere, quid? 50
Nubere, & nubes, à tegendo. 279
Nubentes. Nuptæ novæ.
Nuces spargi novis maritis, consuetum olim. 88. *quare?* 88, 89, 331. *qua in tutela Iovis.* 331
Nuncium mittere. 362, 374
Nupta nova, & desponsata, ex domicilii mutatione discreta. 55. *in altum tolli solita.* 60. *& sublimis vehi.* 61. *& manu duci.* 62. *limen transiliebat.* 75. *in lecto collocata.* 94, 330
Nupta nova. Uxoris. *ædes, earumque ornatus.* 71. *postes.* 73, 287. *asses tres, ad maritum delati.* 71, 295. *claves data.* 77, 268, 311, 317. *cultus.* 39, 50. *deductio*

in

in cubiculum. 330. *pellis lanata.* 77. *unctio.* 74. *utensilia, quæ ante illam gestabantur.* 68

Nuptæ, & sponsæ, jura. 166, 167

Nuptas novas, rapi solitum. 53. *& traduci in viri domum noctu.* 54, 55, 57, 59

Nuptiæ. Matrimonium. *quid?* 28. *& unde dictæ?* 279. τέλος. 45. *sanctæ federatæ.* 60. *an inter absentes?* 373. *uti contrahantur?* 378. *ante pubertatem.* 390, 391. *in linea recta in infinitum interdictæ.* 410. *cognatorum.* 433. *adfinium.* 440. *incestæ.* 196, 198, 199, 200, 248. *& injustæ.* 226, 241, 415, 420. *quomodo convalescant?* 116, 117, 118, 119. *illegitimæ.* 292. *contra leges, stuprum.* 384. *intempestivæ.* 152. &c. 156

Nuptiæ, & concubinatus. 298

Nuptiæ, & matrimonium. 387

Nuptiæ, & sponsalia. 381, 382

Nuptiarum consensus, eorum in quorum sumus potestate. 226, 227. *vel non sumus.* 230

Nuptiarum dies. 8, 275, 325. *& postridie nuptiarum, & dies crastinus, vel repotiorum.* 277. *Nuptiarum deductarum frequentatio.* 82. *aqua & ignis.* 78. *tres gradus.* 368. &c. *jus antiquum, totum pontificium.* 417. *jus Romanum, & ejus regulæ.* 417. *nomen.* 50. *numina.* 44, 49. *verba,*

verba, cujus temporis? 361. *injustarum effectus.* 114, 115
Nuptiis quænam ætas habilis? 98. *ante quam tamen filiam locare permissum patri.* 101. *ac marito domum ducere.* 117
Nuptiales cœnæ. 80, 81
Nuptiale pretium. 21
Nutrix, non est mater. 447
Nyctelia sacra. 328
Νύμφαγωγοί. 281
Νύμφης ἔτυμον. 279

O.

Obnubere, quid? 50
Obrogari, quid? 157
Observantia pudica ultra propinquitatis gradus in lege Dei expressos. 438
Οἴκημα, *lupanar.* 141, 142
Omina, auguria. 38
Ὀπλήεια. 264, 278
Oscula solita, & quotidiana. 273
Osculum sponsaliorum. 353
Osculum, & suavium. 269, 270, 271
Otho germanam in modum justæ uxoris propalam habuit. 203
Ovidius, notatus. 105
Οὐλαὶ χελιδναί. 15

P.

PActa puella, pacta nuptia, pactum matrimonium. 253, 336, 347, 350. *Pacta dotalia.* 319

Pactum, & mentio sponsaliorum. 337, 338, *nudi nulla obligatio.* 357, 379. *Pactiones etiam gravissimæ inter absentes.* 373, 374

Παῖδας ἔχειν, *quid?* 214

Palam, quid? 139, 149

Panis farreus. 293

Paphnutius episcopus in Niceno concilio, omnes alios aliter sentientes in suam opinionem adduxit. 169

Papia lex. Julia.

Papinianus, emendatus. 475

Papyrius Camiliam sororem gravidam fecit. 203

Papyrii pueri prudens figmentum, quo matrem, instantius percontantem quid in senatu egissent patres, elusit. 237, 238

Παρανύμφοι. 254

Παράφερνα. 263, 315, 324

Parentalia, nuptiis ominosi dies. 10, 41, 275

Parentum potestas. 233, 308, 309, 310, 395, 396, 398, 399

Πάροχος, *sponsæ conductor.* 281

Participem fieri omnium bonorum; humani juris. 317

Partus. Liberi.

Paryſatis filiorum controverſia. 110
Pater, quis? 123, 469, 470, 471, 482
Patris appellatione an avus comprehendatur? 123
Patria poteſtas. Abducere. Parentum.
Patriciorum nomen. 469
Patrimi pueri. 56, 62, 69, 281, 293, 330
Patronus, in lege Iulia, quis? 162. *ejus jura.* 163, 167, 170
Patronus invitus. 167. *ignorans, & abſens.* 168, 169
Patroni jus integrum conſervandum. 121, 122
Patruelium nuptiæ. 424
Patrui & amitæ, filii filiæque fratris, adoptivorum, par ratio. 414
Paulus Diaconus, emendatus. 221
Paulus, I. C., emendatus. 78, 125, 458, 459 460. *notatus.* 449, 494
Peculium, quod ad virum, & quod ad mulierem. 324
Pecuniæ alienæ numeratio. 117
Pellex. 37, 240, 298
Pellis lanatæ novæ nuptæ. 77
Peregrini, ex cive Romana. 104
Pertunda, Dea. 49, 329
Petronius Arbiter, emendatus. 146
Φέρνη, & ἀντιφέρνη. 259, 260
Φυσικοὶ, *naturales filii.* 478
Pietas in parentes inæqualis poteſtatis, æqualis tamen. 398

Picumnus, vel Pilumnus, deus. 39
Πίστιος Ζεύς. *Fidius Hercules.* 65, 66
Plautus, emendatus. 453
Πλόκαμος, *casaries.* 285
Plutarchus, emendatus. 46, 47, 68, 75, 76
Plutarchi interpres, notatus. 44, 45, 220
Pœnitentia anteactæ vitæ maculam non abolet. 196
Poetarum assentatoria natura in Ovidio notata. 105
Polliceri, & promittere. 257, 258
Polygamia. Uxores duas.
Pompa nuptialis. 280
Popæa lex. Julia.
Porcus, nuptiis immolari solitus. 16
Porca nuptialis. 326, 327
Possessio. Usus.
Possessor, & dominus. 297
Postium ornatus in nuptiis. 73, 74, 287, 288
Prægnans, an in alius manum convenire possit? 244
Prætextatus sermo. 284
Pragmatici, notati. 494
Prema mater, dea. 49, 329
Priapus, deus. 329. *ejus fascinum.* 92, 93. *terriculamentum.* 93
Privigna, cognata vitrici. 443
Προαύλια. 276, 277
Proculianorum secta. 390
Promittendi. Spondendi.

Promittere, & polliceri. 257, 258
Promissa puella. 253
Promissio nimia invalida. 159, 160. *conditionalis, obligationem suspendit.* 385
Pronubi. 254
Pronuba. 255, 330. *nuptam in lecto collocare solita.* 94, 330
Προθεσμία τ῀ γάμων. 275
Προτέλεια. 45. *quid?* 211. τὰ & πρωτέλεια. 252
Πρωτόλεια, *quid sint?* 211
Propinqui, quinam? 433, 440
Propinquitas, & cognatio. 431, 432. *Vide,* Cognationis.
Proseda, meretrix. 146
Προσφθεγκτήρια. 264
Prostibulum, & meretrix. 146
Prostibulorum nudorum prostandi mos. 146
Provincialis mulier quomodo in uxorem possit duci officium gerenti? 193
Provincialis mulier, & pupilla. 191, 192
Provincialium filii & filia. 193, 194. *potestas.* 394. *sponsalia, nuptiaque.* 343
Provincialibus, quæ interdicta? 190, 191
Proxeneta. 253
Pubertatis æstimium ex annis. 390
Pudentilla cum viri mortui fratre tabulas facit nuptiales. 215
Puella Suburrana. 142
Pueri patrimi, & matrimi. 62, 69, 293, 330.

Pultis uſus priſcis Romanis, quam panis, frequentior. 13
Pupillus, & mulier. 24, 323
Pupillorum jus in nuptiis promittendis. 342
Pupilla, laqueis tutoris irretita; & cetera mulieres, illicitis nuptiis maculantes ſeſe. 186. *& provincialis mulier.* 191, 192
Pupillarum nuptiæ prohibitæ. 179, 186, 405, 406, 407
Puriter facere. i. ſacrificare. 289
Pythagoras Neronis. 51, 55

Q.

Quaſillum. 85
Quaſi adfinitas. 444
Quaſi conjuges. 184
Quaſi extranea perſona. 184
Quaſi filius, 112, 113
Quaſi ingenuus. 137
Quaſi nepos. 113
Quaſi patroni. 163

R.

Radi comam, lugentium. 287
Ratio naturalis, animis noſtris divinitus indita atque impreſſa. contra inceſtum. 197, 201
Receptitia bona. 263

Relatio. Legis.
Religiosa, id est, infaustæ nuptiis dies. 276
Remancipata. 30
Repentalia. 96
Repotia. 95, 277
Repromittendi. Spondendi.
Repudium sine causa, adulterii crimen. 382
Repudium, & ejus multa. 274
Repudium infectum. 383
Repudium, quodnam tempus exigat exspectandum priusquam in alîus manum conveniat repudiata? 244
Repudium per internuncios. 374
Repudium mittere. 362
Repudii formula. 357. *& solennitas.* 383
Rei judicatæ auctoritas. 137
Res uxoria. 315, 323
Reverentia. Honor. Sanguinis.

S.

SAcra nuptialia. 310. *nyctelia.* 328. *eorum molestia.* 311. *& interemtio.* 311, 313
Sacrificia nuptialia. 325, 326
Salicetus, notatus. 494
Saliorum dies, nuptiis infausti habiti. 10, 275
Salsæ fruges. 13, 14
Saltationes, sacrificia. 325
Salutationes perfunctoriæ. 273. *& quotidianæ.* 273
Sanctia

Sanctia lex. 18
Sanctitas nominum & appellationum inter agnatos. 410, 415, 416. *& cognatos atque affines.* 436
Sangus, Sancus, Saga, Σάγος. 63, 64, 65, 66. *semideus.* 67
Sangi Fidii simulacrum. 66
Sanguinis ratio, vera cognatio. 409
Sanguinis communio, naturalis cognatio. 452
Sanguinis reverentia, quantum valeat? 423.
Honestas. Honor.
Σβέσις, & μάρανσις. 213
Scævola, I. C., emendatus. 78
Scortatio, an lege damnata? 494, 495, 496, 497
Semones dii. 67. *semidei.* 67
Senatoris filius. 109
Senatusconsultum de pupillarum nuptiis. 405, 406, 407
Senex capularis, testatoribus aliquibus usui. 311, 312, 313. *coemtionalis.* 313, 314
Senes comitiales. 314
Senum generantium exempla. 154, 155
Sepulcrorum jura. 313
Servus dotalis. 320
Servus hostium factus, pro nullo habetur. 173
Servus vitio liber. 401
Servum non fuisse domini, sed tantum in ejus bonis. 296. *& quî domini fiat?* 300

Servi, & femina, eodem apud barbaros habita gradu. 305
Servi, quî cives Romani efficiantur? 224
Serva partus, servus. 472
Servitus libera mulieris. 306
Servius, emendatus. 21. *notatus.* 48, 266, 301, 347, 349
Sextus Pompeius Ruffus, emendatus. 66, 69
Silentium, quandoque pro jussu & consensu. 229
Simplones, vel simpulones, sponsorum amici. 329
Simpulum, quale vas? 329
Sisinnius, notatus. 423
Sobrini filia, ἀνεψιά. 439
Sobrini, διεξάδελφοι. 439
Sobrinorum & sobrinarum diu Roma ignorata conjugia. 220. *probata. eorumque nati nataque quo gradu distent?* 439, 440
Socci nova nupta. 50
Socia sacrorum nulli patrifamilias invito adsciscenda. 341
Societas leonina. 317
Societas matrimonii, & negotiationis, comparata. 383
Societas vita, quodammodo dominam facit. 28, 29, 318
Socinus, notatus. 494, 495
Solidi capio. 157, 158
Sorboniſta, notati. 385

Sororum ſpecies tres. 435
Sororum duarum nuptiæ. 217. *omni modo prohibitæ.* 444
Sororis germanæ inceſtus. 203
Soror conſanguineæ patris adoptivi, filio adoptivo amita. 414
Σῦ *pro σοὶ, in* Matth. c. 1. v. 20. 364, 365
SP. ſine patre, *juſto ſcilicet; id eſt, ſpurius.* 468
Spartianus, notatus. 422, 449
Sperata nuptiæ, ſperata puella, & ſperatus. 252, 253, 350, 351
Spina alba nuptiarum facibus auſpicatiſſima. 56, 57, 58
Spondendi, promittendi, repromittendi verba, futuri temporis demonſtrationem continent. 375
Sponſus, ſponſa, ante nuptias, & poſt ſponſalia. 100. *eorum nomina.* 1, 2, 335
Sponſus. 266. *gener.* 365. *ejus definitio.* 376. *cultus.* 284
Sponſa. 347, 350. *deſignata uxor.* 364
Sponſa, & ſponſalia. 253, 264, 265, 266
Sponſa, & uxor. 358, 359, 360
Sponſæ aſſes tres nuptiales. 71, 295. *ingreſſus in domum mariti.* 290. *raptus in nuptiis.* 53, 290
Sponſæ, & nuptæ, jura. 166, 167. Uxoris.
Sponſæ velari ſolitæ. 50, 274
Sponſalia, an contractus? 357. *in diem contrahun-*

trahuntur. 386. *an jure, vel sub conditione, contrahantur*? 385. *quid*? 380. *ea quid faciant*? 391

Sponsalia, & nuptia. 381, 382

Sponsalia de futuro, & præsenti. 379

Sponsaliorum verba, cujus temporis? 352, 361, 375

Sponsaliorum nomen. 1, 2, 251. *etymologia, stipulatio, & definitio*. 335, 336, 337, 338, 375, 376. *forma*. 345, 346, 351, 352, 353, 354. *consensus*. 3. *ætas*. 6, 8. *jus* 354, 355, 358, 362. *jura, ex lege Mosaica & Christianorum*. 363. *quatuor*. 367, 368. *quanam obligatio*? 357, 380, 385. *personæ*. 338, 343, 367, 368, 371, 373. *διλογία*. 365, 366, 367, 373, 374. *cœna*. 82. *hora*. 277

Sponsaliorum & nuptiarum æqualis vis & communio. 344, 358, 361, 367, 368. *differentia in re & tempore*. 361, 376, 380

Sponsalibus an renunciare liceat? 382

Sponsalitiæ pœnæ. 355, 356, 358, 371, 382

Sporus. Pythagoras.

Spurius, à notho, & naturali, distinctus. 493, 494. *bastardus*. 499

Spurii. Nothi. Vulgo quæsiti.

Spurii. 227. ἀπάτορες. *& ideo agnationis expertes, sed cognationem per matrem habent: & cives sunt Romani*. 469, 479, 480. *nobilesque*. 486

Spurio-

Spuriorum nomen 468. *definitio.* 469. *divisiones.* 471, 475, 478, 481. *adoptio.* 500, 501. *hereditates.* 483, 489, 491. *jus.* 478, 479, 500. *conditio & nobilitas.* 481, 486, 487. *origo.* 487

Stipulatio nulla sine præcedente pacto : non vicissim. 336

Stipulationis in sponsalibus jus singulare ac novum. 357

Stipulationes in diem. 386

Stuprum. 34. *quid ?* 384

Suavium, & osculum. 269

Subarrhare. 269

Subigus pater, deus. 49

Submœniana uxores. 142

Suburrana puella. 142

Successio ; continuatio dominii. 318. *reciproca inter virum & uxorem.* 319

Suidas, emendatus. 86

Suitas, 487, 491, 492, 493, 501. *filiatio, adgnatio, cognatio, individua.* 488

Sumtuariæ leges. 81, 96, 329

Συνοικεῖν, *quid ?* 214

T.

Tabulæ sponsaliorum. 3, 4. *non faciunt matrimonium.* 36. *nuptiales.* 215, 266

Taciturnitas, quando assensus ? 341

Tacitus consensus. 400
Tadæ jugales, geniales. 56, 57, 58, 59, 60.
Faces.
Talantum, calathus. 85
Τάλαυρος. 86, 87
Talassio. 84. *quid?* 85, 86
Ταλάσιος, Ταλασία. 86
Tanaquil. Caia Cæcilia.
Τελεία Ἥρα. 44, 45
Τελείας Ἥρας ἱερεῖον. 45, 46
Τέλειος Ζεύς. Τέλειοι, οἱ γεγαμηκότες. Τελειωθῆναι, γῆμαι. Τέλος, *nuptiæ.* 44, 45
Testamentum falsum. 401
Testamentum per æs & libram. 312
Testamenta feminis citius quam masculis facere licet. 99, 100
Teuchira, urbs Cyrenaicæ præfecturæ. 62
Textrix primæ, conjux. 42
Theologus magnus, notatus. 503
Theologi, non boni jurisconsulti. notati. 379
Θεὰ πρηλεκὰ, ταὶ, ϖελέλεια. 45, 264, 278
Θελὶξ ἀνδεκαποδώδης. 285, 286
Tibia nuptialis. 83. *zygia.* 83
Titulus, elogium, inscripti lupanarii. 144, 145
Titus, imperator, Domitiani fratris uxorem in deliciis habuit. 216
Tonsura lugubris. 287
Torus genialis. Lectus.
Tribonianus, notatus. 173, 174, 177, 223, 309, 419, 426

Tribu-

Tributum meretricium. 148
Triens τριώβολος. 262
Tunica nova nupta. 42
Tutela qua ætate absolvatur? 99
Tutela perpetua. 304, 322. *& non perpetua.* 24
Tutela periculo obstricti. 406
Tutor, an & quando pupillam ducere possit? 405, 407
Tutor cessicus. 322, 323. *fiduciarius.* 30. *usuaria uxoris.* 322
Tutor, & curator. 265
Tutores, κύριοι. 25
Tutores honorarii. 406
Tutores, & pupilli. 179, 180, 184, 185
Tutorum constitutio. 22, 23. *& differentia.* 23. *potestas.* 25. *datio.* 158, 188. *auctoritas.* 318, 323, 324, 342. *filii & filia.* 194, 195, 196. *heredes, tutelæ periculo obstricti.* 406. *vetitas nuptias copulantium pœna.* 189

V.

Varro, emendatus. 57, 60, 79, 80, 88
Velle, quid? 229
Velum novæ nuptæ. 50
Venus, dea. 329
Verrius Flaccus notatus. 2
Vesta, numen castitatis. 76

Vestalium nuptiæ incestæ. 248
Viduarum nubentium deductio infrequens. 83
Vincula virginalia. 43
Virginensis, dea. 49, 329
Viri auctoritas in administratione rei uxoriæ. 323, 324
Vir. Maritus.
Vir & uxor, una persona per matrimonium. 446
Vir absens, quomodo uxorem ducat? 282
Virorum absentia longa, divortii legitima causa. 310
Vitricus, propinquus matris. 440. *cognatus privigna.* 443
Vlpianus in regulis, emendatus. 419
Vngues & capillos in nave deponere, religiosum olim. 286
Vnicuba & univira decus. 94, 95
Vnxia luno. 43, 49, 75
Voluntas. Vide, Affectus.
Vsus, possessio, veteribus. 31, 297. *quî fiat proprietas?* 300, 301
Vsus promiscuus. 316, 317
Vsu, id est, jure gentium. 309
Vsu quæsitæ, partæque, uxores. 31, 32, 33, 102, 294, 296, 298. *quî fiant matres usucaptæ?* 300
Vsu ducta mulier, & dominus bonitarius. 316
Vsu contracta matrimonia. 378

Vſucapionis nomen. 31
Vſurpatio uxorum. 32
Vtilitas publica privatis commodis præferenda. 403
Vulgo quæſiti, ſpurii, 35, 470, 471, 476. *matrem ſequuntur*. 479, 486, 487. Liberi injuſti, & eorum natales.
Vulgo quæſitorum pater, populus. 124
Vxor, & concubina, 297, 298
Vxor, & ſponſa. 358, 359, 360, 382
Vxor. Materfamilias. Mulier. *nomen dignitatis*. 33, 36. *διάνοια*. 304. *in mariti familia*. 361. *quando primum dicatur?* 291, 384. *an in poteſtate mariti?* 301. *capite deminuta*. 22, 304, 305. *marito ceu filia, heres*. 29, 304, 317. *& filio ſororis loco, & in conſanguineorum numero*. 318. *quid inſcio marito juris habeat?* 325. *non omnis materfamilias*. 12. *ſimplex, uſu ducta*. 316, 317. *injuſta*. 403
Vxoris inane conſortium. 32. *deducenda cultus*. 280. *& velatio*. 280. *deductio*. 291, 292. *etymon*. 74. *patrimonium, dos*. 320. *peculium*. 324
Vxorem ducere. 54
Vxores, quaſi unxores. 74, 288
Vxores, & concubina. 33, 34, 35, 36
Vxores ſubmœniana. 142
Vxorum quarendarum modi. 11, 34, 35, 292. *emen-*

emendarum mos. 20, 21. *ducendarum.* 1, 16. *genera.* 11, 294, 296, 298, 315, 316.
usurpatio. 32
Vxores aliis elocare, quomodo usitatum Romanis, & Athenienſibus? 299, 300.
Vxoros duas habere eodem tempore, Romæ non licuit. 235, 239

X.

XErxis & Arthemenis controverſia. 110
Xiphilini interpres, notatus. 142
Xylander, notatus. 135

Z.

ZE'α, an far? 293
Ζεὺς Πίστιος. Dius Fidius. 66
Zona Diana. 328
Zonaræ interpres, notatus. 135
Zυγία luno. 48, 49.

FINIS.

Bayerische Staatsbibliothek München

2 5. 1. c.

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Brisson, Barnabé,

De veteri vitu nuptiarum & iure connubiorum

Amstelodamum 1662
J.rom.m. 604 i
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10567411-9